Turpe æstimantes aliquid commissum a suis,
Post aliquod tempus alios adscribi jubent.
Rumor legatos superiores prodidit.
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,

Odore Canibus anum, sed multo, replent.
Mandata dant : hi dimittuntur et statim
Adeunt. Rogantes aditum continuo impetrant.
Consedit genitor tum Deorum maximus
Quassatque fulmen : tremere cœpere omnia.
Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam injuriam.
Sic est locutus ante pœnam Juppiter :
Legatos non est regis non dimittere,
Nec est difficile pœnas culpæ imponere,
Sed hoc feretis pro judicio præmium :
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum
Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.

Ita nunc legatos exspectant et posteri.
Novum venire qui videt, culum olfacit.

XIX. — SERPENS MISERICORDIA NOCIVA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.

Gelu rigentem quidam Colubram sustulit
Sinuque fovit, contra se ipse misericors;
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit : Ne quis discat prodesse improbis.

XX. — VULPES ET DRACO.

Vulpes, cubile fodiens, dum terram eruit
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad Draconis speluncam intimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.

[illegible]

XXII. — DE SIMONIDE.

Homo doctus in se semper divitias habet.

Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circum ire cœpit urbes Asiæ nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Redire in patriam voluit cursu pelagio;
Erat autem, ut aiunt, natus in Cea insula :
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitæ. Quidam curiosior :
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tum pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenæ prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui sæpe versus legerat
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
Portant rogantes victum. Quos casu obvios
Simonides ut vidit : Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perit.

XXIII. — MONS PARTURIENS.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima exspectatio.

At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

XXIV. — FORMICA ET MUSCA.

Formica et Musca contendebant acriter,
Quæ pluris esset. Musca sic cœpit prior :
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta prægusto Deum;
Moror inter aras, templa perlustro omnia.
In capite regis sedeo, cum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula.
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?
Est gloriosus sane convictus Deûm,
Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas : nempe abigeris, quo venis.
Reges conmemoras et matronarum oscula :
Super enim jactas, tegere quod debet pudor.
Nihil laboras : ideo cum opus est, nil habes.
Ego granum in hiemem cum studiose congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Æstate me lacessis; cum bruma est, siles.
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto rettudi superbiam.

Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

XXV. — POETA.

Quantum valerent inter homines litteræ,
Dixi superius : quantus nunc illis honos
A Superis sit tributus, tradam memoriæ.

Simonides idem ille, de quo rettuli,

Victori laudem cuidam pyctæ ut scriberet,
Certo conduxit pretio; secretum petit.
Exigua cum frenaret materia impetum,
Usus poetæ more est et licentia
Atque interposuit gemina Ledæ sidera,
Auctoritatem similis referens gloriæ.
Opus adprobavit; sed mercedis tertiam
Accepit partem. Cum reliquum reposceret :
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duæ.
Verum, ut ne irate te dimissum sentiam;
Ad cœnam mihi promitte; cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis et dolens injuria,
Ne male dimissus gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu læta resonabat domus.
Repente duo cum juvenes sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem;
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ subito oppressit ceteros;
Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam.
Ut est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt Numinum præsentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

[EPILOGUS.]

IDEM POETA.

Supersunt mihi quæ scribam, sed parco sciens,
Primum ne videar esse tibi molestior,

Distringit quem multarum rerum varietas;
Dein, si quis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui :
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.

Brevitati nostræ præmium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus : exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie,
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usu fiet longior :
Fruar diutius, si celerius cœpero.
Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus est : olim senio debilem
Frustra adjuvare bonitas nitetur tua,
Cum jam desierit esse beneficio utilis
Et mors vicina flagitabit debitum.

Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro cum sit misericordia.
Sæpe impetravit veniam confessus reus :
Quanto innocenti justius debet dari?
Tuæ sunt partes; fuerunt aliorum prius;
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.

Excedit animus quem proposuit terminum,
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sinceræ conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires; apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer sententiam,
« Palam mutire plebeio piaculum est »,
Dum sanitas constabit, pulchre meminere.

[PARS SECUNDA.]

[PROLOGUS.]

POETA AD PARTICULONEM.

Cum destinassem terminum operi statuere
In hoc, ut aliis esset materiæ satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.
Nam, si quis talis etiam tituli est appetens,
Quo pacto divinabit, quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiat famæ tradere,
Sua cuique cum sit animi cogitatio
Colorque proprius! Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis
(Quas Æsopeas, non Æsopi, nomino,
Quia paucas ille ostendit, ego plures fero,
Usus vetusto genere, sed rebus novis),
Quartum libellum, dum Variæ stas, perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.
Inlitteratum plausum non desidero.

I. — IDEM POETA.

Æsopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi jam pridem quicquid debui,

Auctoritatis esse scito gratia :
Ut quidam artifices nostro faciunt seculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
Trito Myronem argento. Fabulæ et audiant
Adeo fucatæ. Plus vetustis nam favet
Invidia mordax quam bonis præsentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

II. — DEMETRIUS REX ET MENANDER POETA.

Quomodo sæpe fallatur hominum judicium.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruit,
Feliciter! succlamans. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,
Tacite gementes tristem fortunæ vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repunt ultimi;
In queis Menander, nobilis comœdiis,
Quas ipsum ignorans legerat Demetrius
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, vestitu fluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine :
Quisnam cinædus ille in conspectum meum
Audet venire? Responderunt proximi :
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim :
Homo, inquit, fieri non potest formosior.

III. — DUO MILITES ET LATRO.

Duo cum incidissent in Latronem milites,
Unus profugit, alter autem restitit

Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso, timidus accurrit comes
Stringitque gladium, dein rejecta pænula :
Cedo, inquit, illum; jam curabo sentiat,
Quos attentarit. Tunc, qui depugnaverat :
Vellem istis verbis saltem adjuvisses modo;
Constantior fuissem vera existimans.
Nunc conde ferrum et linguam pariter futilem,
Ut possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio quam virtuti non sit credendum tuæ.

Illi adsignari debet hæc narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

IV. — CALVUS ET MUSCA.

Calvi momordit Musca nudatum caput;
Quam opprimere captans alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa inridens : Punctum volucris parvulæ
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam?
Respondit : Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem lædendi scio.
Sed te, contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.

Hoc argumentum veniam plus dari docet
Qui casu peccat quam qui consilio est nocens,
Illum esse quamvis dignum pœna judico.

V. — ASINI ET PORCELLI.

Quidam immolasset verrem cum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat sua,

Asello jussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille sic locutus est :
Libenter istum prorsus adpeterem cibum,
Nisi, qui nutritus illo est, jugulatus foret.

Hujus respectu fabulæ deterritus,
Periculosum semper vitavi lucrum.
Sed dicis : Qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprensi perierunt.
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

VI. — SCURRA [ET] RUSTICUS.

Pravo favore labi mortales solent,
Et, pro judicio dum stant erroris sui,
Ad pœnitendum rebus manifestis agi.

Facturus ludos dives quidam et nobilis
Proposito cunctos invitavit præmio,
Quam quisque posset ut novitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina ;
Quos inter Scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Dispersus rumor civitatem concitat.
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
In scena vero postquam solus constitit
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipsa fecit exspectatio.
Ille in sinum repente demisit caput
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderent
Et èxcuti juberent. Quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus

Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Rusticus. Non mehercule
Me vincet, inquit : et statim professus est
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba major. Jam favor mentes tenet,
Et derisuri, non spectaturi, sedent.
Uterque prodit. Scurra degrunnit prior
Movetque plausus et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere (quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens),
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Adclamat populus Scurram multo similius
Imitatum, et cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans :
En hic declarat, quales sitis judices!

[EPILOGUS.]

POETA AD PARTICULONEM.

Adhuc supersunt multa, quæ possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas;
Sed temperatæ suaves sunt argutiæ,
Immodicæ offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris,
Si non ingenium, certe brevitatem adproba,
Quæ commendari tanto debet justius,
Quanto poetæ sunt molesti validius.

LIBER V.

I. — CALVUS ET QUIDAM [ÆQUE] PILIS DEFECTUS.

Invenit Calvus forte in trivio pectinem.
Accessit alter, æque defectus pilis.
Heia! inquit, in commune quodcumque est lucri.
Ostendit ille prædam et adjecit simul:
Superum voluntas favit; sed fato invido
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.

Quem spes delusit, huic querela convenit.

II. — PROCAX TIBICEN.

Ubi vanus animus, aura captus frivola,
Abripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.

Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare.
Is forte ludis (non satis memini quibus),
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Ut spectatorum mos est, id lepidum genus
Desiderare cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat rursum Princeps ingredi.
Adducit, pretio, precibus, ut tantummodo

Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro. Quidam adfirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulæo misso, devolutis tonitribus,
Di sunt locuti more translatitio.
Tunc chorus ignotum modo reducto canticum
Insonuit, cujus hæc fuit sententia :
« Lætare, incolumis Roma, salvo Principe ! »
In plausus consurrectum est. Jactat basia
Tibicen; gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intelligit,
Magnoque risu canticum repeti jubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Totum prosternit. Plaudit inludens eques.
Rogare populus hunc coronam existimat.
Ut vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure nivea fascia,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinæ domus,
Ab universis capite est protrusus foras.

III. — TEMPUS.

Cursu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudus corpore
(Quem si occuparis, teneas ; elapsum semel
Non ipse possit Juppiter reprehendere),
Occasionem rerum significat brevem.

Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

IV. — TAURUS ET VITULUS.

Augusto in aditu Taurus luctans cornibus,
Cum vix intrare posset ad præsepia,

Monstrabat Vitulus quo se pacto flecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.

Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

V. — CANIS ET SUS ET VENATOR.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis cum domino semper fecisset satis,
Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquando objectus hispidi pugnæ Suis
Adripuit aurem : sed cariosis dentibus
Prædam dimisit. Hic tunc Venator dolens
Canem objurgabat. Cui senex contra latrans :
Non te destituit animus, sed vires meæ.
Quod fuimus laudasti, jam damnas quod sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre vides.

APPENDIX.

I. — [SIMIUS ET VULPES.]

Avarum etiam quod sibi superest non libenter dare.

Vulpem rogabat partem caudæ Simius,
Contegere honeste posset ut nudas nates;
Cui sic maligna : Longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Tibi quam partem quamvis parvam impertiar.

II. — DE HIS QUI LEGUNT LIBELLUM.

Hoc qualecumque est Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et frugalitas,
Sed hæc simpliciter; illa tacite irascitur.

III. — [AUCTOR.]

Non esse plus æquo petendum.

Arbitrio si Natura finxisset meo
Genus mortale, longe foret instructius :
Nam cuncta nobis attribuisset commoda,
Quæcumque indulgens Fortuna animali dedit :
Elephanti vires, et leonis impetum,
Cornicis ævum, gloriam tauri trucis,
Equi velocis placidam mansuetudinem,
Et adesset homini sua tamen solertia.
Nimirum in cœlo secum ridet Juppiter,
Magno hæc consilio qui negavit hominibus,
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo, contenti munere invicti Jovis,
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam sinit mortalitas.

IV. — DE EODEM ALIA FABELLA.

Mercurium hospitio mulieres olim duæ
Inliberali et sordido receperant :
Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quæstus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem,
Abiturus et jam limen excedens ait :
Deum videtis ; tribuam vobis protinus,
Quod quæque optarit. Mater suppliciter rogat,
Barbatum ut videat natum quamprimum suum :
Mœcha, ut sequatur sese quicquid tetigerit.
Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.
Barbatus infans ecce vagitus ciet.
Id forte meretrix cum rideret validius,
Nares replevit humor, ut fieri solet.

Emungere igitur se volens, prendit manu
Traxitque ad terram nasi longitudinem,
Et aliam ridens ipsa ridenda exstitit.

V. — DE VERITATE ET MENDACIO.

Olim Prometheus, seculi figulus novi,
Creta subtili Veritatem fecerat,
Ut jura posset inter homines reddere.
Subito accersitus nuntio magni Jovis,
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper quem receperat.
Hic studio accensus, facie simulacrum pari,
Una statura simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callida finxit manu.
Quod prope jam totum mire cum positum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit magister, quo festinanter Dolus
Metu turbatus in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem,
Propriæ videri voluit artis gloriam.
Igitur fornaci pariter duo signa intulit;
Quibus percoctis atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca species hæsit in vestigio.
Tunc falsa imago atque operis furtivi labor
Mendacium appellatum est; quod negantibus
Pedes habere facile ipse ego consentio.

VI. — [AUCTOR.]

Nil diu occultum.

Simulata interdum vitia prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas.

VII. — [IDEM.]

Sensum æstimandum esse, non verba.

Ixion quod versari narratur rota,
Volubilem Fortunam jactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agens
Saxum labore summo, quod de vertice
Sudore semper irrito revolvitur,
Ostendit hominum sine fine esse miserias.
Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit
Usus bonorum, sed nil possunt tangere.
Urnis scelestas Danaides portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia;
Immo, luxuriæ quicquid dederis, perfluet.
Novem porrectus Tityos est per jugera,
Tristis renatum suggerens pœnæ jecur;
Quo quis majorem possidet terræ locum,
Hoc demonstratur cura graviore adfici.
Consulto involvit veritatem antiquitas,
Ut sapiens intelligeret, erraret rudis.

VIII. — DE ORACULO APOLLINIS.

Utilius nobis quid sit dic, Phœbe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnassum incolis.
Quid o! sacratæ vatis horrescunt comæ,
Tripodes moventur, mugit adytis Religio,
Tremuntque lauri et ipse pallescit dies.
Voces resolvit icta Pytho numine :
Audite, gentes, Delii monitus Dei :
Pietatem colite; vota Superis reddite;
Patriam, parentes, natos, castas conjuges
Defendite armis; hostem ferro pellite;

Amicos sublevate; miseris parcite;
Bonis favete; subdolis ite obviam;
Delicta vindicate; cohibete impios;
Punite turpi thalamos qui violant stupro;
Malos cavete; nulli nimium credite.
Hæc elocuta, concidit virgo furens :
Furens profecto, nam quæ dixit perdidit.

IX. — DE MALO SCRIPTORE SE LAUDANTE.

Æsopo quidam scripta recitarat mala,
In queis inepte multum se jactaverat.
Scire ergo cupiens quidnam sentiret Senex :
Numquid tibi, inquit, visus sum superbior?
Haud vana nobis ingenii fiducia est.
Confectus ille pessimo volumine :
Ego, inquit, quod te laudas vehementer probo;
Namque hoc ab alio nunquam continget tibi.

X. — [POMPEIUS MAGNUS ET EJUS MILES.]

Quam difficile sit hominem nosse.

Magni Pompei Miles vasti corporis,
Fracte loquendo et ambulando molliter,
Famam cinædi traxerat certissimam.
Hic insidiatus nocte jumentis ducis,
Cum veste et auro et magno argenti pondere
Avertit mulos. Factum rumor dissipat;
Arguitur Miles, rapitur in prætorium.
Tum Magnus : Quid? ait, tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuo exscreat
Sibi in sinistram et sputum digitis dissipat.
Sic, imperator, oculi exstillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum vir animi simplicis
Id dedecus castrorum propelli jubet,

Nec cadere in illum credit tantam audaciam.
Breve tempus intercessit, et fidens manu
Unum e romanis provocabat barbarus.
Sibi quisque metuit et primi mussant duces.
Tandem cinædus habitu, sed Mars viribus,
Adit sedentem pro tribunali ducem,
Et voce molli : Licet? Enimvero ejici
Virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat.
Tum quidam senior ex amicis principis :
Hunc ego committi satius Fortunæ arbitror,
In quo jactura levis est, quam fortem virum,
Qui casu victus temeritatis te arguat.
Assensit Magnus et permisit Militi
Prodire contra; qui, mirante exercitu,
Dicto celerius hostis abscidit caput
Victorque rediit. His tunc Pompeius super :
Corona, Miles, equidem te dono libens,
Quod vindicasti laudem romani imperi;
Sed exstillescant oculi sic, inquit, mei,
Turpe illud imitans jusjurandum Militis,
Nisi tu abstulisti sarcinas nuper meas.

XI. — DE MULIERUM LIBIDINE.

Cum castitatem Juno laudaret suam,
Jucunditatis causam non sprevit Venus,
Nullamque ut affirmaret esse illi parem,
Interrogasse sic Gallinam dicitur :
Dic, sodes, quanto possis satiari cibo?
Respondit illa : Quicquid dederis, satis erit,
Sic, ut concedas pedibus aliquid scalpere.
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici?
Plane, immo nimium est, sed permitte scalpere.
Ex toto, ne quid scalpas, quid desideras?
Tum denique illa fassa est naturæ malum :

Licet horreum mi pateat, ego scalpam tamen.
Risisse Juno dicitur Veneris joco,
Quia per Gallinam denotavit feminas.

XII. — [PATERFAMILIAS ET ÆSOPUS.]

Quomodo domanda si ferox juventus.

Paterfamilias sævum habebat filium.
Hic e conspectu cum patris recesserat,
Verberibus servos afficiebat plurimis
Et exercebat fervidam adolescentiam.
Æsopus ergo narrat hoc breviter seni :
Quidam Juvenco vetulum adjungebat Bovem.
Is cum, refugiens impari collo jugum,
Ætatis excusaret vires languidas :
Non est quod timeas, inquit illi Rusticus;
Non ut labores facio, sed ut istum domes,
Qui calce et cornu multos reddit debiles.
Et tu, nisi istum tecum assidue detines
Feroxque ingenium comprimis clementia,
Vide, ne querela major accrescat domus.

Atrocitati mansuetudo est remedium.

XIII. — [ÆSOPUS ET VICTOR GYMNICUS.]

Quomodo comprimatur aliquando jactantia.

Victorem forte gymnici certaminis
Jactantiorem cum vidisset Phryx sophus,
Interrogavit, an plus adversarius
Ejus valuisset? Ille : Ne istud dixeris;
Multo fuere vires majores meæ.
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, forte si te diceres
Superasse, qui fuisset melior viribus.

XIV. — [ASINUS AD LYRAM.]

Asinus jacentem vidit in prato lyram.
Accessit et tentavit chordas ungula;
Sonuere tactæ. Bella res, sed mehercules
Male cessit, inquit, artis quia sum nescius.
Si repperisset aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectasset cantibus.

Sic sæpe ingenia calamitate intercidunt.

XV. — [MULIER VIDUA ET MILES.]

Quanta sit inconstantia et libido mulierum.

Per aliquot annos quædam dilectum virum
Amisit et sarcophago corpus condidit;
A quo revelli nullo cum posset modo
Et in sepulcro vitam lugens degeret,
Claram assecuta est famam castæ Mulieris.
Interea fanum qui compilarant Jovis,
Cruci suffixi luerunt pœnas numini.
Horum reliquias ne quis posset tollere,
Custodes dantur milites cadaverum
Monumentum juxta, Mulier quo se incluserat.
Aliquando sitiens unus de custodibus
Aquam rogavit media nocte ancillulam,
Quæ forte dominæ tunc adsistebat suæ
Dormitum eunti; namque lucubraverat
Et usque in serum vigilias perduxerat.
Paulum reclusis foribus Miles prospicit
Atque videt ægram facie pulchra feminam.
Correptus animus illico succenditur
Et uritur sensim impudentis cupiditas.
Solers acumen mille causas invenit,
Per quas videre posset viduam sæpius.

Quotidiana capta consuetudine,
Paulatim facta est advenæ submissior;
Mox arctiore vinxit animum copula.
Hic dum consumit noctes custos diligens,
Desideratum est corpus ex una cruce.
Turbatus Miles factum exponit Mulieri.
At sancta Mulier : Non est quod timeas, ait,
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille pœnas negligentiæ.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

XVI. — [DUO JUVENES SPONSI DIVES ET PAUPER.]

Fortunam interdum præter spem hominibus favere.

Unam expetebant virginem Juvenes duo;
Vicit Locuples genus et formam Pauperis.
Ut nuptiarum dictus advenit dies,
Amans dolorem quia non poterat perpeti,
Mœrens propinquos contulit se in hortulos,
Quos ultra paulo villa splendida divitis
Erat acceptura virginem e matris sinu,
Parum ampla in urbe visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur, turba concurrit frequens,
Et conjugalem præbet Hymenæus facem.
Asellus autem, qui solebat pauperi
Quæstum referre, stabat portæ in limine.
Illum puellæ casu conducunt suæ,
Viæ labores teneros ne lædant pedes.
Repente cœlum, Veneris misericordia,
Ventis movetur, intonat mundi fragor
Noctemque densis horridam nimbis parat :
Lux rapitur oculis et simul vis grandinis
Effusa trepidos passim comites dissipat,
Sibi quemque cogens petere præsidium fuga.
Asellus notum proximum tectum subit

Et voce magna sese venisse indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem
Et admirantur : deinde domino nuntiant.
Inter sodales ille paucos accubans
Amorem crebris avocabat poculis.
Ubi nuntiatum est, recreatus gaudiis,
Hortante Baccho et Venere, dulces perficit
Æqualitatis inter plausus nuptias.
Quærunt parentes per præconem filiam;
Novus maritus conjuge amissa dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes favorem comprobarunt Cœlitum.

XVII. — [ÆSOPUS ET DOMINA.]

Quam noceat sæpe verum dicere.

Æsopus turpi cum serviret Feminæ,
Quæ se expingendo totum intricabat diem,
Vestem, uniones, aurum, argentum sumeret,
Nec inveniret digito qui se tangeret :
Licetne paucis, inquit? Dicas. Censeo,
Quidvis efficies, cultum si deposueris.
Adeone per me videor tibi meliuscula?
Immo, ni dederis, sponda cessabit tua.
At non cessabunt latera, respondit, tua,
Et objurgari jussit servum garrulum.
Post paulo armillam tollit fur argenteam.
Eam non apparere ut dictum est mulieri,
Furore plena vocat omnes et verbera
Proponit gravia, verum si non dixerint.
Aliis minare, me non falles certe, ait :
Flagris sum cæsus, verum quia dixi modo.

XVIII. — [GALLUS LECTICA A FELIBUS VECTUS.]

Nimiam securitatem sæpe in periculum homines ducere.

Feles habebat Gallus lecticarios.
Hunc gloriosum Vulpes ut vidit vehi,
Sic est locuta : Moneo præcaveas dolum;
Istorum vultus namque si consideras,
Prædam portare judices, non sarcinam.
Postquam esurire cœpit sæva societas,
Discerpsit dominum et fecit partes facinoris.

XIX. — [SCROFA PARTURIENS ET LUPUS.]

Faciendum prius hominis periculum, quam ejus te committas fidei.

Premente partu Scrofa cum gemeret jacens,
Accurrit Lupus et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quæ vero nosset pectoris fraudem improbi,
Suspectum officium repudiavit malefici,
Et : Satis est, inquit, si recedas longius.
Quod si perfidiæ se commisisset Lupi,
Pari dolore fata deflesset sua.

XX. — [ÆSOPUS ET SERVUS PROFUGUS.]

Non esse malo addendum malum.

Servus profugiens dominum naturæ asperæ,
Æsopo occurrit notus e vicinia.
Quid tu confusus? Dicam tibi clare, pater,
Hoc namque es dignus appellari nomine,
Tuto querela quia apud te deponitur.
Plagæ supersunt, desunt mihi cibaria;
Subinde ad villam mittor sine viatico.
Domi si cœnat, totis persto noctibus,

Sive est vocatus, jaceo ad lucem in semita.
Emerui libertatem, canus servio.
Ullius essem culpæ mihi si conscius,
Æquo animo ferrem : nunquam sum factus satur
Et super infelix sævum patior dominium.
Has propter causas et quas longum est promere,
Abire destinavi, quo tulerint pedes.
Ergo, inquit, audi : cum mali nil feceris,
Hæc experiris, ut refers, incommoda :
Quid si peccaris? quæ te passurum putas?
Tali consilio est a fuga deterritus.

XXI. — [EQUUS QUADRIGALIS IN PISTRINUM VENUMDATUS.]

Ferendum esse æquo animo, quicquid acciderit.

Equum e quadriga multis palmis nobilem
Abegit quidam et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum cum foret a molis,
In Circum æquales ire conspexit suos,
Ut grata ludis redderent certamina.
Lacrimis obortis : Ite felices, ait,
Celebrate sine me cursu solemnem diem;
Ego quo scelesta furis attraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

XXII. — [URSUS ESURIENS.]

Si quando in silvis Urso desunt copiæ,
Scopulosum ad littus currit et prendens petram
Pilosa crura sensim demittit vado;
Quorum inter villos hæserunt cancri simul,
In terram arripiens excutit prædam maris
Escaque fruitur passim collecta vafer.

Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

XXIII. — [VIATOR ET CORVUS.]

Verbis sæpenumero homines decipi solere.

Quidam per agros devium carpens iter,
AVE exaudivit, et moratus paululum,
Adesse ut vidit neminem, cepit gradum.
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
Ut, quisquis esset, par officium reciperet.
Cum circumspectans errore hæsisset diu
Et perdidisset tempus aliquot millium,
Ostendit sese Corvus et supervolans
AVE usque ingessit. Tum se lusum intelligens :
At male tibi sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantis sic detinuisti pedes.

XXIV. — [PASTOR ET CAPELLA.]

Nil occultum esse, quod non reveletur.

Pastor Capellæ cornu baculo fregerat :
Rogare cœpit, ne se domino proderet.
Quamvis indigne læsa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa, quid deliqueris.

XXV. — [SERPENS ET LACERTA.]

Ubi leonis pellis deficit, vulpinam insuendam esse,
hoc est, ubi deficiunt vires, astu utendum.

Serpens Lacertam forte adversam prenderat;
Quam devorare patula cum vellet gula,
Arripuit illa prope jacentem surculum,
Et pertinaci morsu transversum tenens,
Avidum solerti rictum frenavit mora.
Prædam dimisit ore Serpens irritam.

XXVI. — [CORNIX ET OVIS.]

Multos lacessere debiles et cedere fortibus.

Odiosa Cornix super Ovem consederat;
Quam dorso cum tulisset invita et diu :
Hoc, inquit, si dentato fecisses cani,
Pœnas dedisses. Illa contra pessima :
Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
Scio quem lacessam, cui dolosa blandiar;
Ideo senectam mille in annos prorogo.

XXVII. — [SOCRATES ET SERVUS.]

Nullum maledictum esse gravius conscientia.

Cum Servus nequam Socrati malediceret,
Uxorem Domini qui corrupisset sui,
Idque ille sciret notum circumstantibus :
Places tibi, inquit, quia cui non debes places;
Sed non impune, quia cui debes non places.

XXVIII. — [LEPUS ET BUBULCUS.]

Multos verbis blandos esse et pectore infideles.

Cum venatorem celeri pede fugeret Lepus
Et a Bubulco visus veprem irreperet :
Per Superos oro perque spes omnes tuas,
Ne me indices, Bubulce; nihil unquam mali
Huic agro feci. Et rusticus : Ne timueris;
Late securus. Jamque venator sequens :
Quæso, Bubulce, numquid huc venit Lepus?
Venit, sed abiit hac ad lævam; et dexteram
Demonstrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit seque e conspectu abstulit.
Tunc sic Bubulcus : Ecquid est gratum tibi,

Quod te celavi? Linguæ prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias;
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

XXIX. — [MERETRIX ET JUVENIS.]

Multa esse jucunda quæ tamen sunt incommoda.

Cum blandiretur Juveni Meretrix perfida,
Et ille læsus multis sæpe injuriis
Tamen præberet sese facilem Mulieri,
Sic insidiatrix : Omnes muneribus licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Juvenis recordans quotiens deceptus foret :
Lubenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod jucunda es mihi.

XXX. — [FIBER.]

Canes effugere cum jam non possit Fiber
(Græci loquaces quem dixerunt Castorem
Et indiderunt bestiæ nomen Dei,
Illi, qui jactant se verborum copia),
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat sese peti.
Divina quod ratione fieri non negem;
Venator namque simul invenit remedium,
Omittit ipsum persequi et revocat canes.

Hoc si præstare possent homines, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent;
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

XXXI. — [PAPILIO ET VESPA.]

Non præteritam, sed præsentem aspiciendam esse fortunam.

Papilio Vespam prætervolitans viderat.
O sortem iniquam! dum vivebant corpora,
Quorum ex reliquiis animam nos accepimus,
Ego eloquens in pace, fortis præliis,
Arte omni princeps inter æquales fui.
En cuncta levitas putris et volito cinis!
Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcumque visum est lædis infixo aculeo.
At Vespa dignam moribus vocem edidit :
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide.

XXXII. — [TERRANEOLA ET VULPES.]

Pravis non esse fidem adhibendam.

Avis, quam dicunt Terraneolam rustici,
In terra nidum quia componit scilicet,
Forte occucurrit improbæ Vulpeculæ;
Qua visa, pennis altius se sustulit.
Salve, inquit illa, cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abunde sit mihi in prato cibus,
Grilli, scarabæi, locustarum copia :
Nihil est, quod metuas, ego te multum diligo
Propter quietos mores et vitam probam.
Respondit contra : Tu quidem bene prædicas;
In campo non sum, sed sub dio, par tibi.
Quin sequere; tibi salutem committo meam.

CODICUM QUINQUE MANUSCRIPTORUM

SCRIPTURÆ SPECIMINA.

I.

PITHŒI CODICIS SCRIPTURÆ SPECIMEN.

Page LXX.

postquam lauaro cepto penetrata· afictione
uerorum linguam mulieris adfinitatem tra
xit inde obscenitas· IDEM·
Rogauit alter triuadas et molles mares· quę
ratio procreasset exposuit senex· Idem
prometheus auctor uulgi fictilis qui simul
offendit ad fortunam frangitur naturę
partis uestesque quas celat pudor cum separa
tim toto finxisset die· aptare mox ut pos
set corporibus suis· ad cenam ē inuitatus ut
subito a libero ubi inrigatus multo uenas nec
tare sero domū ē· reuersus titubante pede

II.

REMENSIS CODICIS SCRIPTURÆ SPECIMINA.

FEDRI AUGUSTI LIBERTI LIBER
FABULARUM

ce titre et les premières lignes descendent un peu par une faute, mais l'inégalité des lettres est conforme à celle des mss.

Aesopus auctor quā materiā repperit
hanc ego polivi versibus senariis;
Duplex libelli dos est quod risum mo
vet. et quod prudenti vitā consilio
monet calumniari si quis autem voluerit
quod arbores loquantur non tantū fe
re fictis iocari nos meminerit fabulis

cette fable a le même rang dans les mss. que dans les impr. Je l'ai choisie pour les variantes.

OUIS CERUUS ET LUPUS

Fraudator homines cum advocat
sponsore improbo non rem ex
pedire. sed mala videre expetit (*sic in mss.*)

(*De la fable Ranae metuentes Taurorum praelia: in Edit. fab. 29. lib. 1.*)

nobis
...... heu quantā instat pnicies (*sic in mss.*)
ait interrogata ab alia. cur hoc di
ceret. de principatu cū illi certarent

III.

DANIELIS CODICIS SCRIPTURÆ SPECIMEN.

Fol. XVII *a*.

17

PHEDRI · AVG · LIBER · I · AESOPIARVM INCIPIT FELICITER ·
Ignotos fallit, notis est derisui. DE LEONE ET ASINO ·
Venari asello comite cum uellet leo
Contexit illum frutice et admonuit simul
Ut ille insueta uoce terreret feras
Fugientes ipse exciperet hic auriculus
Clamorem subitum totis tollit uiribus
Nouoq; turbat bestias miraculo
Quę dum pauentes exitus notos petunt
Leonis adfliguntur horrendo impetu
Qui postquam cęde fessus est asinum euocat
Iubetque uocem premere tunc ille insolens
Qualis uidetur opera tibi uocis meę
Insignis inquit nisi nossem tuum
Animum genusq; simili fugissem metu
Sępe esse utiliora quę contempseris
Eius rei testis hęc narratio est ·;
CERVVS AD FONTEM LAVDAT CORNVA ·
Ad fontem ceruus cum bibisset restitit
Et in liquore uidit effigiem suam
Ibi dum ramosa laudat mirans cornua
Crurumq; nimiam tenuitatē uituperat
Venatum subito uocibus conterritus
Per campum fugere coepit et cursu leui
Canes elusit silua tum excepit ferum
In qua retentus inpeditus cornibus
Lacerari coepit morsibus sęuis canum
Tum moriens edidisse uocem hanc dicitur
O me infelicem qui nunc demum intellego
Utilia mihi quam fuerint quę despexeram

IV.

PEROTTI NEAPOLITANI CODICIS SCRIPTURÆ SPECIMINA.

Page 1.

NICOLAI PEROTTI EPI
TOME FABELLARVM
AESOPI . AVIENI . ET PHE
DRI . AD PYRRVM . PEROT
TVM FRATRIS FILIVM
ADOLESCENTEM SVAVIS
SIMVM INCIPIT FOELI
CI TER.

Non sunt hi mei quos putas versiculi
Sed Esopi sunt: & Avieni: & phedri
Quos collegi ut essent Pyrrhe utiles tibi.
Tuaque causa legerentque posteritas,
Quas edidissent viri docti fabulas.
Honori & meritis dicavi illos tuis.
Sepe versiculos interponens meos
Quasdam tuis quasi insidias auribus
Sole quippe iuvare ista varietas.
Hos si leges: letabor. Sin autē minus.
Habebunt certe quo se oblectent posteri

Page II.

N unc fabularum cur sit inuentum genus
B reui docebo: seruitus obnoxia,
Q uia que uolebat non audebat dicere,
A ffectus proprios in fabellas transtulit
C alumniamq; fictis elusit iocis.
R edeo unde discessi ad libellum meum
H Hunc obtrectare si uolet malignitas,
I mitari dū nō possit: obtrectet licet.
M ihi magna laus est qum q; similes tui
L abores libenter legant usq; meos,
D ignosq; longa iudicēt memoria.
S emp̄ fugats plus uetustati fauet
I nuidia mordax: q̄ bonis presentibus
Auarum ē quod sibi superest non
libenter dare.
V ulpem rogabat partem caude simius
C ontegere honeste posset ut nudas nates.
C ui sic maligna: longior fiat licet
T amen illā citius p̄ lutum et spinas traham
Q uā tibi impartiar paruā q̄uis bonā p

Page XXXVIII.

A ud& uenire . respondervnt proximi
H ic est Menander scriptor mutato statu
H omo inquit fieri non potest formosior.

16 Apostropha ad urbem viterbum

O nimium foelix tellus preclara uiterbi
Pone graues curas tempora leta uidens
H ic iã depositis habitat concordia telis
Hic belli tandẽ ianua clausa man&
Q ui modo pugnabãt iungũt pia pectora ciues
Tendentes placidas in sua colla manus
N ũc amor & pietas nrã dominãtur in urbe
Asperitas : odium : murmura : bella ruunt
N ulle nunc lites : nec amare iurgia lingue
Verus nũc amor est : qui mõ fictus erat
C erne triumphales ludos : cerne indyta festa
Que celebrant pulchris pignora nrã locis
H i dulces fructus : sunt hec spectacula pacis
Qualia uix unquam secula prisca dabant
V iue igitur foelix tellus preclara uiterbi
& teneas faciles in tua uota deos.

Page LXVII.

87 Ad Brigidam iuris consultum
quem licet uictor donauerat poeta.
Vincis carminibus uincis me brigida donis
Quincis ludis uincis et ipse iocis,
Nam uincit quisquis uictricia signa reportat:
Signa refert quisquis brigida dona refert.
88 Ad Iulium Tetrastichon
Aurea sunt nobis quę mittis munera iuli
Aureus est crater: aurea poma: puer.
Omnia cum iuli sint aurea: nescio quid sit.
Quod remanet dulce est: dulcius est quod abit.
89 Faciendum prius de homine periculum quam eius te committas fidei
Tremente partu scropha cum gemeret iacens
Accurrit lupus et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit: promittens opem.
Quę uero nosset pectoris fraudem improbi
Suspectum officium repudiauit malefica.
Et satis est inquit si recedis longius
Quod si perfidię se commisisset lupi.
Pari dolore fata deflesset sua.

V.

PEROTTI VATICANI CODICIS SCRIPTURÆ SPECIMINA. — Fol. 115 *b*.

H unc simul aspexit oro ut inprudentie
D es primum ueniam: deinde si pulchre uides
Q uam non muniens aurum sit mi meæ.
R espondeas clementer quem fructum capis
b oc ex labore: quodue tantum est premium
V t careas somno & ?uum in tenebris exigas:
N ullum inquit ille uerum hoc a summo mihi
I oue attributum est: ergo nec summis tibi
N ec ulli donas quicquam: sic fatus placet
N olo irascaris libere si dixero:
D iis est iratis natus qui est similis tui.

D E . A V A R I S.

A Nser erat cuidam pretioso germine foeta
Oueq; que nidis aurea sepe daret.
F ixerat hanc uolucri legem natura superbe
Ne liceat pariter munera ferre duo
S ed dominus cupidum ueritus uanescere uotum
N on tulit exosas in sua lucra moras
G rande ratus precium uolucris de morte referre
Quæ cum continuo munere diues erat.
P ostquam nuda minax egit per uiscera ferrum
& uacuam solitis foetibus esse uidet.
I ngemuit tante deceptus crimine fraudis
Nam poenam meritis retulit inde suis.

D E . D I V I T I I S . & P A V P E R T A T E . A D A N D R E A M . C O N T R A R I V M V E N E T V M

C Ontrarium doctis omnibus contrarie

Fol. 116 *a*.

& gratus doctis & cui grati sunt docti
Q uem tot simul ornant naturæ munera
I ngenium cui diues: & ubertas linguę
Q ui dulci immites uoce placares feras
& terris mortuos traheres sepulchris
Q ui quodcunq; libet docta pingis manu
P olignoto maior atq; aglaophonte
& zeuxim superans atq; parasium
P rotogenemq; pamphilumq; & melantium
T heonemq; Samium: euphranoremq;
C ui sponte doctus palmam daret Apelles
Q uid seuam tantum paupertatem q̄reris ?
N ec facit bonos illa nec facit malos
O bsunq; sepius q̄ prosunt diuitiæ
M uli grauati sarcinis ibant duo
V nus ferebat phiscos cum pecunia
A lter tumentis multos saccos ordeo
I lle onere diues celsa ceruice eminet
C larumq; collo iactat tintinabulum
C omes q̄eto sequitur & placido gradu
L atrones subito ex insidiis aduolant
I nterq; cedem ferro mulum sauciant
D iripiunt nummos negligunt uile ordeum
S poliatus igitur casus cum fleret suos
& q̄dem inquit alter me contentum gaudeo
Q uod nihil amisi: nec sum passus uulnera .
P AUPERTATĒ.CUM.LIBERTATE PRESTAR̄

CODICUM QUINQUE MANUSCRIPTORUM

DISSIMILES LECTIONES.

FABULÆ VETERES.

LIB. I.	MS. PITHŒI.	MS. REMENSIS.
PROL.		
v. 2	senareis	senariis. *Voyez le fac-similé de Dom Vincent.*
v. 3	mos	dos
F. I		
v. 3	face improba	fauce improba
v. 5	Quur	Cur
v. 12	Hercle	Hercule
F. II		
v. 8	Omnino insuetis onus est et. *Il y avait à l'origine* onus e; *au moyen d'un trait sur l'e, on a de* e *fait* est, *et l'on a ajouté* et.	Omnino insueti sonus est et
v. 8	queri. *Le copiste avait d'abord écrit* quer. *L'*i *ajouté est le résultat d'une correction postérieure.*	queri
v. 11	petiere. *On avait d'abord écrit* petere.	petiere
v. 17	tacite. *La première leçon portait* tacete.	tacite
v. 26	Fugitant	Fugiant
F. III		
Tit.	GRAGULUS.	GRACULUS.
v. 4	Gragulus	Graculus
v. 9	multatus Gragulus	mulcatus Graculus
v. 11	notitiam. *On avait d'abord écrit* notam.	notam
F. VI.		
v. 3	Solem velle. *Ces mots paraissent être le résultat d'une correction qui les a substitués à* Sol cum vellet.	Sol cum vellet
F. VIII		
v. 3	Impune abire deinde	Abire deinde impune
v. 8	longitudinem	longetudinem
v. 10	factu	factum

LIB. I.	MS. PITHŒI.	MS. REMENSIS.	MS. DANIELIS.
v. 12	postulas	postolas.	
F. IX			
v. 3	fletussedens	fletus edentem	
F. X			
v. 5	culpæ	culpæ. *On avait d'abord écrit* culpa.	
v. 8	sentiam	sententiam	
F. XI			
Tit.	ASINUS ET LEO VENANTES.	ASINUS ET LEO VENANTES.	DE LEONE ET ASINO.
v. 5	Ut insueta	Ut insueta	Ut ille insueta
v. 5	terreret feras	terreret feras	terreret et feras
v. 6	ipse ut exciperet	ut ipse exciperet	ipse exciperet
v. 7	Clamorem subito. *La première écriture portait* clamoret.	Clamorem subito	Clamorem subitum
v. 7	tollit totis	tollit totis	totis tollit
v. 10	adficiuntur	adficiuntur	adfliguntur
v. 11	fessus	fessus	fessus est
v. 12	Tunc ille	Ille	Tunc ille
v. 13	Qualis. *Première leçon :* quales.	Qualis	Qualis
v. 13	tibi videtur opera vocis	opera tibi videtur vocis	videtur opera tibi vocis
v. 14	sic, ut nisi	sic, ut nisi	nisi
v. 15	fuissem in metu	fuissem in metu	fugissem metu.
F. XII			
Tit.	CERVUS AD FONTEM.	CERVUS AD FONTEM.	CERVUS AD FONTEM LAUDAT CORNUA. *Ce titre, au lieu d'être placé en tête de la fable, ne vient qu'après les deux vers qui forment le promythion.*
v. 1	Laudatis utiliora	Laudatis utiliora	Sepe esse utiliora
v. 2	Sepe inveniri, hæc erit narratio	Sæpe inveniri, hæc erit narratio	Ejus rei testis hæc narratio est
v. 5	mirans laudat cornua	mirans laudat cornua	laudat mirans cornua
v. 7	Venantum	Venantum	Venatum
v. 12	Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur	Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur	Tum moriens dedisse vocem hanc dicitur
v. 14	Ut illa	Utilla	Utilia
v. 14	quam profuerint	quam profuerint. « *Ce* quam *est effacé.* » D. V.	quam fuerint
F. XIII			
Tit.	VULPIS ET CORVUS	VULPIS ET CORVUS.	VULPIS AD CORVUM.
v. 1	Qui	Qui	Quæ
v. 1	gaudet	gaudet	gaudent
v. 2	Fere dat	Fere dat	Seræ dant

LIB. I.	MS. PITHŒI.	MS. REMENSIS.	MS. DANIELIS.
v. 2	penitentia	pœnitentia	pœnitentiæ
v. 5	hunc vidit, dehinc	hunc vidit, dehinc	ut vidit, deinde
v. 6	pennarum	pennarum	pinnarum
v. 7	Quantum decoris	Quantum decoris	Quantum decorem
v. 9	At ille stultus, dum vult	At ille stultus, dùm vult	At ille, dum etiam vul
v. 10	Emisit	Emisit	Latiorem emisit
v. 12	Tum	Tum	Tunc
v. 12	Corvi deceptus stupor	Corvi deceptus stupor	Corvus : cur dolosis
v. 13	*Ce vers manque.*	*Ce vers manque.*	Fuisset deceptus fraudibus ut ignavus
v. 14	quantum ingenium valet	valet quantum ingenium	*Ce vers manque.*
v. 15	Virtute	Virtute, « *Ici est la virgule* ». D. V.	*Ce vers manque.*
F. XIV			
v. 3	anthidotum	antidotum	
v. 4	strofis	strophis	
v. 7	deinde. *On avait d'abord écrit* dein.	dein	
v. 8	Miscere anthidoto illius	Illius miscere antidoto	
v. 16	calcandos	calceandos	
F. XV			
v. 1	Commutando civium sœpius	Commutando, civium, sœpius. « *Ce mot* civium *a été rayé; mais il est douteux que ce soit avec la même encre.* » D. V.	
v. 3	Id esse verum	To esse verum	
v. 4	senex	senes	
F. XVI			
v. 2	expedit	expetit. *Le copiste avait d'abord écrit* expedit, *puis du* d *il a fait un* t.	
v. 5	atquæ	atque	
v. 6	Tum	Tu	
F. XVII			
Tit.	OVIS, CANIS ET LUPUS.	OVIS, CANIS ET LUPUS.	CANIS AD OVEM LUPUS TESTIS COMMODASSE CONTENDIT. *Ce titre est écrit en marge, à droite des premiers vers.*
v. 3	commendasse	cum mendasse	commodasse
v. 8	ovis	ovis	videns
v. 8	in fovea conspexit	in fovea conspexit	prospexit in fovea

LIB. I.	MS. PITHŒI.	MS. REMENSIS.	MS. DANIELIS.
F. XVIII			
Tit.	MULIER PARTURIENS.	MULIER PARTURIENS.	MULIER PARTURIENS AD VIRUM. *Ce titre est placé au-dessous du premier vers qui contient le promythion.*
v. 2	peractis	peractis	actis
v. 3	Humo	Humo	Humi
v. 3	flebiles gemitus ciens	flebiles gemitu conciens	flebilis gemitus ciens
v. 6	inquit, illo	inquit, illo	inquit illa,
v. 7	initio	initio	inicium
F. XIX			
Tit.	CANIS PARTURIENS.	CANIS PARTURIENS.	CANIS PARTURIENS AD ALTERAM. *Ce titre est placé au-dessous des deux premiers vers qui contiennent le promythion.*
v. 1	Habent. *Le copiste avait d'abord écrit* Habentis.	Habentis	Habent
v. 1	homines	homines	hominis
v. 2	subjecti	subjecti	subjestí.
v. 4	Ut fetum	Ut fetum	Ut fetus
v. 4	tugurio	tugurio	tugulio
v. 5	deinde	dein « de *a été effacé* ». D. V.	deinde
v. 6	Preces admonuit	Prece admonuit. « *Il y avait d'abord* preces admonuit. *On a corrigé.* » D. V.	Preces admonuit
v. 7	Dum firmiores catulos posset ducere	Dum firmiores catulos posset ducere	Dum firmos et posset catulos deducere
v. 8	consumto	consumto	consumpto
v. 8	flagitare	flagitare	flagitari
v. 9	cœpit illa	cœpit. « *Il y avait* cœpit illa : *on a effacé* illa. *Toutes ces corrections pourraient être du copiste.* » D. V.	cœpit illa
F. XX			
Tit.	CANES FAMILICI.	CANES FAMILICI.	*Le titre manque.*
v. 2	mortales	mortales	mortalis
v. 5	bibere	bibere	ebibere
v. 6	Ibi periere	Periere. « Ibi *a été effacé par le copiste qui a mis vis-à-vis ce signe* K. » D. V.	Periere

LIB. I.	MS. PITHŒI.	MS. REMENSIS.	MS. DANIELIS.
F. XXI			
Tit.	LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.	LEO SENEX, APER TAURUS ET ASINUS.	LEO DEFICIENS, APER TAURUS, ASELLUS.
v. 2	est etiam jocus	est etiam jocus	etiam locus est
v. 5	ad eum venit	ad eum venit .	venit ad eum
v. 6	ictu veterem	ictu veterem	veterem ictu
v. 9	extorxit	extudit	extudit
v. 10	At ille	Ille	At ille
v. 10	Fortes indigne tuli	Fortes indigne tuli	Fortis indigne fero. *Ici se termine la fable; les deux derniers vers manquent.*
F. XXII			
v. 4	Facerem	Facerem. « *Mais on a mis au-dessus de l'm une* s. » D. V.	
Post v. 7	Hic intellege, Soricem esse generis masculini	*La glose ci-contre ne me paraît pas avoir existé dans le manuscrit de Reims.*	
v. 8	me putare	*sic :* { im / me putare	
F. XXIII			
v. 2	ostendit	ostendit. « *Mais* os *est effacé.* » D. V.	
F. XXV			
Tit.	CANES ET CORCODRILLI.	CANES ET CORCODILLI.	
v. 4	Corcodrillis	Corcodillis	
v. 6	Corcodrillus	Corcodillus	
v. 6	otius. *Une main plus récente a substitué ce mot à* otio.	otio.	
v. 8	At ille : Facerem hercule. *Il y avait d'abord:* At ille : Facere me hercule; *le copiste a ensuite supprimé l'*e *de* me.	At ille : Facerem hercule.	
F. XXVI			
v. 1	vero	verro	
v. 5	sorbitione	sorbitionem	
v. 7	intrito. *Le copiste avait d'abord écrit :* intito	intrito	
v. 10	collum frustra lamberet	lamberet collum frustra	
F. XXVII			
v. 3	thesaurum	thensaurum	
v. 4	violat	violarat	

LIB. I.	MS. PITHŒI.	MS. REMENSIS.
v. 9	locutus	loquutus
v. 10	concupistis	concupisti
F. XXVIII		
v. 1	homines humiles	humiles
v. 4	Nido quæ	Nidoque
v. 5	persecuta	persequuta
v. 11	pericolo	periculo
F. XXIX		
Tit.	INRIDENS	IRRIDENS
v. 2	destringunt	distringunt
v. 7	dimisso pene	dimissa pene
F. XXX		
v. 3	instar	instat
v. 5	cum ille illi certarent greges	cum illi certarent gregis
v. 8 et 9	profugerit paludis	profugeret paludes. « *Puis on a mis* profugerit paludis ; *mais on n'a pas compris que notre copiste met ordinairement des* e *pour des* i. D. V.
v. 11	Ita caput	Caput ita
F. XXXI		
Tit.	MILUUM, *etc.*	MILUUS, *etc.*
v. 2	exitum	exitium
v. 8	icto. *Au-dessus de ce mot, le copiste entre l'*i *et le* c *a écrit* un *comme pour indiquer cette variante:* iuncto.	icto
Sousc.	PHEDRI AUG. LIBERTI LIBER SECUNDUS.	*La souscription ci-contre d'ailleurs fautive n'existait pas dans le manuscrit de Reims.*
LIB. II.		
Tit.	INCIPIT LIBER TERTIUS FELICITER.	PHÆDRI AUG. LIB. SECUNDUS INCIPIT.
PROL.		
v. 5	jocus	locus
v. 8	morem	more
v. 9	si libuerit	siluerit
v. 9	interpone	interponere
v. 12	rependet	rependit
v. 13	Cujus verbosa nescit	Cui jus verbosa ne cit. « *Notre copiste avait d'abord écrit* nescit. *Ensuite lui ou un autre a effacé l'*s. » D.V.
F. I		
v. 2	postulans. *On avait d'abord écrit* postolans	postulans
v. 9	Aucdacter	Audacter
F. II		
v. 1	spoliari	expoliare
v. 3	non rudis	non rodis
v. 5	Animusque	Animosque

LIB. II.	MS. PITHŒI.	MS. REMENSIS.	MS. NEAP. PER.	MS. VAT. PER.
F. III				
Tit.	ESOPUS AD QUEDAM...	ÆSOPUS AD QUEMDAM...		
v. 5	ne nos vivos	ne nos ut vos		
v. 7	allicit	allicet.		
F. IV				
v. 18	suspensu	suspenso		
F. V				
v. 8	Immisiniensem	In Misinensem		
v. 9	Lucilii	Lucili		
v. 10	prospicit	perspicit		
v. 12	umeris	humeris		
v. 18	xistum	xystum		
v. 19	Cæsaremque	Cæsar, remque		
v. 20	quit boni	quid boni		
F. VI				
(1) Cum in antiquo Lemovicensi codice qui nunc in Lugduno-Batavæ Universitatis bibliotheca inter Vossianos latinos in 8°, sub sign. 15, asservatur, fabulæ nullis titulis ornatæ essent, conveniens mihi visum est ut hos super easdem fabulas, ex eodem codice a Nilantio ann. 1709 ad lucem prolatas, positos ego inter uncinos [ ] adhiberem. — (2) optata. — (3) celerius — (4) rupti prius perierunt. — (5) ad quod.

III. — [LUPUS ET AGNUS.]

Lupus et Agnus ad rivum venerunt. Superior Lupus, longe inferior Agnus. Tunc fauce improba latro incitatus jurgio dixit. Cur turbulentam fecisti mihi aquam? Laniger : Qui (1) fieri potest, dum (2) a te liquor decurrens ad meum os venit (3)? L[upus]: Ante hos sex menses maledixisti mihi. R[es]p[ondit] (4) : Non eram natus. L[upus] : Pater tuus maledixit mihi. Et ita correptum lacerat injuste.

Qui fictis causis innocentes opprimunt.

IV. — [MUS ET RANA.]

Mus quo transire posset facile (5) flumen, petiit Ranæ auxilium. Illa posteriori cruri suo lino alligat pedem priorem Muris; et (6) natantes venerunt in medium amnem. Mutata fide submersit se Rana, et traxit secum sub aquis Soricem. Quo m[ortuo] surg(i)ens (7) cum fluctuaretur, conspexit prædam Milvus volans; Mure rapto comitemque Ranam abstulit. Perfida quæ vitam alterius..... rat, experto (8) simul exitu, ipsum ulta est (9).

Qui nocent aliis..... terimunt (10).

V. — [CANIS, OVIS, LUPUS, MILVUS ET ACCIPITER.]

Canis calumpniosus (11) dixit ad Ovem : Debes mihi reddere panem, quem dederam mutuo. Contendebant autem. Ovis autem d[i]c[e]b[at], nunquam ab illo panem se acc[e]p[isse]. Cum ant[e] judic[em] (12) venissent, Canis dixisse fertur habere test[es]. Introductus L[u]p[us] ait : Scio panem Canis commodatum Ovi. Introductus Milvus dix[it] : Me coram accepit. Accipiter introiens ait : Negas tu, quod accepisti? Victa Ovis a tribus

(1) Quomodo. — (2) cum. — (3) ven? — (4) Respond. — (5) facilius. — (6) et *deest*. — (7) Qua'..... surgens. — (8) alteri..... Experto. — (9) Ipsa consumpta est. — (10) aliis se ipsos interimunt. — (11) calumniosus. — (12) judices.

falsis testibus, artius exigitur; coacta vero extractam lanam suam vendidit, ut quod non acceperat, redderet.

Qui seditiose innocentes laniant et opprimunt.

VI. — [GALLI DUO ET ACCIPITER.]

Gallus, dum cum alio G[allo] sæpius intenderet pugnam, requirit Accipitrem sibi vindicem (1). Acc[i]p[iter] vero sperab[at], ut, dum ambò ad eum veniss[ent], ipsum qui se cum (2) exhiberet, devoraret. Cum venissent ante judicem, ut causam suam exponerent, Accipiter ipsum comprehendit, qui ejus primo petierat forum. At ille clamabat : Jam (3) sum ergo; sed ille qui fugam petit. Cui Accipiter dixit : Non tu credas ex meis unguibus hodie liberari, quia quod tu alio intendere voluisti, æquum est, ut ipse sustineas.

Qui aliorum necem tractant, et de ipsorum quid agatur ignorant.

VII. — [CANIS SUPER FLUVIUM CARNEM FERENS.]

Cum Canis super fluvium carnem ferret, nympharum (4) speculo vidit simulacrum suum, alteramque prædam ab altero (5) ferret (*sic pro* ferri) putans, eripere voluit. At (6) decepta aviditas, quam ferebat, dimisit offam; et quæ (7) valebat sua non potuit vel (8) extrema (*sic*) tangere dente.

Qui dum aliena quærunt, propria amittunt.

VIII. — [COCHLEA ET SIMIA.]

Coc[h]lea repperit spiculum (9), quem (*sic pro* quod) dum nimium fulgere vidisset, adamavit eum (*sic pro* id), et statim ascendens super ejus orbem, cœpit eum delingere. Nil vero ei visa est contulisse, nisi ut splendorem salivis vel sordibus

(1) judicem. — (2) tum. — (3) non. — (4) nimpharum. — (5) alio. — (6) Et. — (7) qui. — (8) aut. — (9) speculum.

pollueret. Simia invenit eum taliter inquinatum, et ait : Qui talibus se calcari permittunt, talia sustinere merentur.

Mulieribus, quæ se stultis et inutilissimis viris conjungunt.

IX. — [VACCA, OVIS, CAPELLA ET LEO.]

Vacca, Ovis et Capella obviam fuerunt cum Leone in saltibus. Hi cum cepissent vasti corporis cervum, factis partibus, sic est locutus Leo : Ego primam tollo partem, quia nominor Leo. Secundam, quia sum fortis. Tertiam, quia omnibus vobis magis valeo. Quartam qui tetigerit, male patietur. Sicque totam prædam sua improbitas defendit.

Nunquam fidelis cum potente societas sit copulanda.

X. — [SOL UXOREM DUCENS.]

Viri frequentabant nuptias. Sapiens intervenit dicens : Audite gaudia vestra. Sol Uxorem ducere voluit. Omnis natio dixit, et magno clamore, convitiis non tacuerunt. Juppiter commotus illis causa[s] injuriæ [quærit]. Tunc unus ex illis : Modo Sol unus est nobis; æstus vero, ut omnia turbet, ut deficiat omnis natura. Quidnam erit nobis, cum Sol creaverit filios?

Ammonitio malis hominibus non gratulari.

XI. — [FEMINA ET COLUBER.]

Frigore et gelu rigentem quædam pietatis causa (1) Colubrum ad se sustulit, et in latere suo habuit, et tota hieme fovit. Refectus usque ad tempus cœpit esse injuriosus, et veneno multa fœdare, ne cum gratia exiret. Injuriosus pellitur.

Qui sponte ingratos fovent; et cum exire velint, nocent.

XII. — [ASINUS IRRIDENS APRUM.]

Asellus Apro cum fuisset obvius : Salve, inquit, frater Indignatus Aper tacuit, atque indignum repudiavit (2) officium,

(1) *Loco verbi* causa *spatium est vacuum.* — (2) repudiat.

cur sic mentiri voluisset Asinus; dissimulansque agitavit caput. Qui extenso pede ostendit ungulam. Si me denegas similem tibi esse, Asinus inquit, hic rostro tuo similis. Non est (1)? Aper vero, cum vellet se facere generosum impetu (2), recessit ab ira, et ait : Facilis (3) est mihi vindicta de te, sed modo ignavo sanguine tuo me inquinari nolo; nam oportuisset injuriosum vel (4) laceratum te relinquere.

Monet insipientibus parci debere; stultos autem defendere, qui irrident melioribus.

XIII. — [MUS URBANUS ET RUSTICUS.]

Hospitio quondam Mus Urbanus exceptus est Rustici, et humili glande cœnavit. Causam (*sic*) perfecit. Perduxit precibus post in urbem (5) Rusticum, cellamque intravit plurimo refertam cibo. In qua cum variis perfruitur, (h)ostiis (6) cellarario repulsis, Urbanus nota facile se abscondit caverna. At miser Rusticus ignota trepidat domo, mortemque metuens circa parietes cursitat. Cellararius quæ voluit, sustulit, clausitque limen (7). Iterum Urbanus Rusticam (*sic*) ad escam hortatur. At ille : Vix possum valde perterritus. Putasne veniet ille? Tantum ergo metuens, ait. Haud has tu poteris invenire delicias. Qui r[es]-p[ondit] (8) : Me glans securam pascat et liberam.

Quia melius est in paupertatula sua secum vivere, quam divitiarum carpi sollicitudine.

XIV. — [AQUILA ET VULPIS.]

Vulpinos catulos Aquila rap[uit], et in nid[um], ut pull[is] escam dar[et], apposuit. Vulp[is] (9) Aquil[am] rog[a]b[at], ut catulos suos sibi redd[eret]. Aqui[la] contemnens Vulp[em], quasi esset inferior. At V[ulpis] (10) plena dolor[e] ab ara ignem

(1) Similis non est? — (2) impetum. — (3) est *deest*. — (4) aut. — (5) in urbe. — (6) hostiis. — (7) *verba* clausitque limen *desunt*. — (8) Cui respondet. — (9) Vulpes. — (10) Vulpes.

rap[uit] cum facula, et arbor[em] (1) circumd[edit], damnis miscens sanguinem. Aquila, ut a periculo mortis eriperet suos, incolomes (2) natos supplex Vulp[i] reddid[it].

Ut quamvis (3) sublimes sint opibus, tamen humiles metuere debent.

XV. — [CORVUS ET VULPIS.]

Corvus cum (4) de fenestra rapta[sse]t (5) caseum, et comesse vellet, celsa resedit in arbore. Vulpis, hunc cum fuisset intuita, sic alloqui cœpit (6) : O quis tuarum, Corve, pennarum vigor est? Si vocem haberes latiorem, nulla avium prior adesset tibi. Ille, dum vult ostendere vocem latiorem, emisit caseum; quem celeriter dolosa Vulpis avide dentibus rapuit. Tunc demum Corvus ingemuit, quia dolo esset deceptus, ut ignarus (7).

Qui se laudari verbis subdolis gaudent, ferunt pennas (*sic pro* pœnas) turpi pœnitentia indiscretas.

XVI. — [LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.]

Defectus annis et desolatus viribus, Leo cum jaceret extremum spiritum trahens, super fulmineis (8) venit ad eum Aper, et dentibus se vindicavit. Ictu veteres injurias infestans, Taurus mox hostile cornibus confodit corpus. Asinus, ut vidit ferum impune lædi, calcibus cœpit. At ille, suspirans fortiter, indigne tulit. Mihi insultat, inquit, naturæ dedecus. Cum esset virtus mea, fuit honor, fuit timor, ut omnes viso me fugerent (9), et opinio ipsa terreret. Plures quos benivolus non læsi, quibus et auxiliator fui, ipsi malignantur mihi; et quia sum sine viribus, nullus est timor pristinus.

Mansuetos esse in dignitate.

(1) arborem. — (2) incolumes. — (3) Ut qui. — (4) quum. — (5) raperet. — (6) cepit. — (7) *Scriba, qui prius scripserat* ignarus, *litteræ* r *litteram* v *substituit et sic verbum* ignarus *in verbum* ignavus *vertit.* — (8) superfulmineis *in uno verbo.* — (9) morum gerent.

XVII. — [ASINUS, DOMINO BLANDIENS.]

Asinus cotidie videbat Catellum blandiri Dominum, et de mensa saturari, et a familia illi largiri plura. Sic dixit As[inus] : Si Canem immundissimum sic diligit Dominus meus, et familia; et si obsequium illi fecero, qui multo plus melior sum quam Canis, et multis rebus laudabilior, et valde utilis : aqua sanctis (1) fontibus alor; cibus mihi mundus datur : melior sum Catello; meliori vita frui possum, et maximum honorem habere. Cum hæc As[inus] cogitass[et], vidit Dominum introire. Cui occurrens velocius, et clamans prosilivit (2), et ambos pedes super humeros Domini sui imposuit, eumque lingua linguens (3), et ungulis vestem discerpens, Dominum suo fatigat pondere. Clamore Domini concitatur omnis familia; fustes et lapides arripiunt, et super Asinum insurgunt; faciunt debilem membris, costisque confractis ab[j]itiunt (4) ad præsepia lassum atque semivivum.

Ne quis indignus ingerat, ut melioris officium faciat.

XVIII. — [LEO ET MUS.]

Dormiente Leone in silva Mures agrarii ludentes, unus ex eis super Leonem non voluntate transiit. Experrectus Leo celeri (5) manu miserum Murem apprehendit. Ille rogabat veniam sibi dari, quia non voluntate fecerat. Leo cogitab[at], si occideret, crimen esset, et non gloria (6). Ignovit, et dimisit. Post paucos dies Leo in foveam cecidit : captus mugire cœpit. Mus, ut audivit, cucurrit. Ubi captum cognovit, ait : Non sum inmemor beneficii tui. Tunc illius ligaturas lustrare cœpit, nervos secare, et laxare illius artis ingenia. Sic Mus Leonem captum liberum silvis restituit.

Ne quis minimos lædere præsumat.

(1) a quo scis. — (2) prosiluit. — (3) lingens. — (4) abigunt. — (5) celer. — (6) gratia.

XIX. — [GRUS, CORNIX ET DOMINUS.]

Grus et Cornix inter se conjuratione unita firmaverunt, ut Grus Cornicem ab aliis Avibus defensaret, et Cornix illi futura prævidendo narraret. Quæ dum ad agrum cujusdam sæpius advenirent, et grana quæ olim sata fuerant, radicitus vellerent, videns Dominus agri doluit, et ait Puero : Da mihi petram. Monuit Gruem; et caute se egerunt. Alia vero die audiens Cornix, quod petram quæreret, commonuit Gruem, ne mali aliquid pateretur. Perpendit Homo ille, quia Cornix divinaret. Dicit Puero : Quando dixero, da mihi offam, porrige lapidem. Ille veniens dixit P[uero], ut daret offam; at ille porrexit l[apidem]; qui Gruem percussit, et crura ejus fr[egit]. Vulneratus Grus dixit Corn[ici] : Ubi sunt divina (h)auspicia tua? cur me non monuisti, quia mihi taliter habuit provenire? R[espondit] : Mea hic intelligentia culpabilis non est; sed omnium malorum sunt dolosa consilia, qui aliud dicunt, et aliud agunt.

Qui promissionibus innocentes inducunt, quos postea lædere non cessant.

XX. — [AVES ET HIRUNDO.]

Aves quædam, cum essent in unum, viderunt Hominem linum seminantem, et pro nihilo habuerunt; Hirundo autem hoc intellexit. Convocatis Avibus retulit hæc omnia esse mala. Aves riserunt. Ut fruticavit, iterum ait Hir[undo] : Malum est hoc, venite, eruamus. Si creverit, retia facta, exinde humanis artibus capi possumus. Deriserunt A[ves] verba Hir[undinis], et consilium ejus c[on]t[empserunt]. Venit Hir[undo] ad Homines, et transtulit se tota sub tecta eorum. Et quia Av[es] ejus respuerunt monita, semper retibus capiuntur.

XXI. — [RANÆ REGEM PETENTES.]

Ranæ, vagantes in liberis paludibus, clamore regem petierunt a Jove, qui dissolutos mores earum compesceret. Juppiter risit, et eis dedit tigillum; quem (*sic pro* quod) subito missum

levi motu sonoque terruit pavidum genus. Mersæ limo cum laterent diutius, forte una tacite profert amne caput; explorato rege cunctas advocat. Illæ timore postposito certatim adn(o)[a]tant; supra turba petulans illusit. Quem cum inquinassent omni contumelia, alium rogantes misere ad Jovem. Iratus ille, qui fuerat datus cur esset illusus, misit illis hydr(a)[u]m, qui dente aspero comperiset (*sic pro* corriperet) singulas. Qui dum avide eas vesci cœpisset, fugitant inertes, vocesque præcludit metus. Furtim mittunt per Mercurium mandata Jovi, ut desistat. E contra Jupiter : Quia noluistis ferre bonum, ut feratis malum. Hunc sustinete malum, ne pejor adveniat vobis.

XXII. — [COLUMBÆ ET MILVUS.]

Columbæ cum semper fugerent, et celeritate pennarum mutassent necem, consilio raptor vertit fallaciam, et genus incertum decepit h[oc] m[odo] : Cur sollicitum non eligitis unum, qui vos defendat? Cur me non eligitis pacto fœderis regem, ut vos ab omnibus præstem injuriis? At illæ credentes tradunt se Milvo. Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas, et (ad) imperium sævis unguibus exercere. Una ex reliquis : Sic merito agitur, qu(i)[æ] nostrum spiritum tali credidimus inimico.

Qui se committit tutandum homini, auxilium cum quærit, exitium invenit.

XXIII. — [CANIS FIDELIS.]

Nocturnus Fur cum panem misisset Cani, Canis ait : Linguam meam vis præcludere, pro re Domini mei ne latrem. Quæris ut faciam (*sic pro* facias) per meam culpam lucrum.

Quia repentina liber[ali]tas stultis grata esse videtur, peritis inita.

XXIV. — [CALVUS ET HORTULANUS.]

Calvus petiit a vicino Hortulano, ut daret sibi de melonibus. Ille deridens dixit : Vade, Calve, v[ade], C[alve], vel nolo meos dare melones, quia tu rusticus es. Hieme et æstate semper

habeat mala tua calvaria: muscæ et tabani super front[em] tuam, qui comedant et bibant sanguinem de ipso capite calvo, et postea stercorizent. Calvus iratus, evaginans gladium, apprehendit capillos ejus, ut interficeret. Hort[u]l[anus], accipiens unum melonem, percussit Calvum in fronte. Calvus prævalens amputavit caput ejus.

Qui nec petentibus bona tribuunt, neque bonis sermonibus vel responsis tribuunt.

XXV. — [CAVANNUS, CATTUS ET MUS.]

Cavannus petiit Cattum, ut adscensor sibi fieri liceret, et secum quærerent, quæ colloquia inter se haberent. Cattus asportavit eum ad domum Muris. Rogavit Cavannus C[attum], ut clamaret se. Sic fec[it]. Mus, cum audisset vocem ejus, ad (h)ostium domus venit, dixitque : Quid quæritis, aut quid dicitis? At illi : Volumus tecum loqui. Mus cognovit, quod malum consilium contra ipsum cogitassent. Dixit : Maledictus tu sis, Catte, tu dominus meus, et ipse qui super te sedet, et domus vestræ, et filii et filiæ, et omnis parentela vestra sit maledicta. Male huc venissetis (*sic pro* veneritis), et male sit redeuntibus vobis de h[oc] loco.

Qui inimicis suis bona loqui non queunt, qui sibi inimicitias imponunt, vel malum inter se ineunt.

XXVI. — [GRACULUS INTER PAVONES.]

Tumens inani Gragulus (*sic*) superbia pennas Pavonum, quæ deciderant, sustulit, seque exinde ornavit; contempnens suos miscuit se Pavonum formoso gregi. Illi imprudenti pennas eripiunt avi, effugantque miserum. Male multatus Gragulus rediit mœrens ad proprium genus; a quo repulsus luctificam iterum sustinuit notam. Tunc quidam ex his, quem pridem despexerat, ait : Contentus nostris si fuisses sedibus, et pati quod natura dederat, voluisses, nec illam expertus contumel[iam] fuisses, nec ad hanc repulsus pervenire potuisses miseriam.

Ne libeat gloriari quenquam bonis alienis, suis quin potius vivere malle.

XXVII. — [MUSCA ET FORMICA.]

Musca et F[ormica] contendebant, quis illarum melior esset. M[usca] prior ait : Nunquid nostris te poteris comparari (*sic*) laudibus? Ubi immolant episcopi, prima gusto; in capite regis sedeo; omnibus matronis labia osculor; dulcia pungo : de quibus tũ nihil rebus. Et F[ormica] contra : Hæc quæ dicis, improba pestis, laudas importunit[a]t[em] tuam. Num optata venis? Reges et matronas nominas, et castas tu importuna adoras, et dicis tui esse omnia, cum accedis fugata; undique quasi injuriosa abjeceris; æstate vales, pruina veniente peris. Ego sum delitiosa, hieme secura sum mihi, me incolomem habeo, tempus meum gaudia sequuntur. Cur ventuata (*sic pro* ventilata) a flabello pelleris sordida?

Litigiosis, quibus dicitur, dicis dico, laudas [lau]do, vituperas [vitupe]ro; et qui se laudaverit, ad nihilum venit sæpe.

XXVIII. — [LUPUS, ET VULPIS SIMIO JUDICE.]

Lupus arguebat Vulpem iratus forti (*sic*) crimine. Hæc neg[a]b[at] se (non) esse ream. Judex sedet Simius, ut verum diceret. Causam dicunt. R[es]p[ondet] Si[mius] : Tu non videris perdidisse, quod quæris : te credo surripui(t)[sse], quod pulchre negas.

Qui turpi fraude semel innotuit, etiamsi verum dicat, fidem amittit; et qui fraude inclaruit, semper turpiter vivit.

XXIX. — [MUSTELA ET HOMO.]

Mustela apprehend[it] mu[rem] fugientem; cepit eam Homo, Et M[u]s[tela] : Rogo, parce mihi, quia a molestis muribus purgavi domum tuam. Respondit Ho[mo] : Non causa mea facis; nam si pro me fecisses, gratum haberem, et darem tibi veniam. Nam ideo mures necas, ut comedas; reliquias nostras, quas

illi erant rosuri, totas devoras. Noli imputare vanum beneficium. Sic locutus; improba cito deperit.

Qui, dum se præstare dicunt, sic lædere potius memorantur.

XXX. — [PERDIX ET VULPIS.]

Perdix dum in loco eminentiori sederet, adven[it] Vulpis, et dixit ei : Quam formosa est facies tua? crura tua ut rostrum, os tuum sicut corallum. Nam si dormires, pulchrior esses. Credens ei Perdix clausit oculos; atque eam il[l]ico Vulpis rapuit. At Perdix fletu permixt(a)[o] locuta est : Per artium tuarum virtutes te quæso, ut antea nomen meum dicas, et sic me devorabis. At ubi Vulp[is] Perd[i]c[em] voluit nominare, aperuit os, et evasit Perdix. Dolens Vulp[is] ait : Heu me quid opus fuerat loqui? R[espondit] Per[dix] : Heu me dormire quid necesse erat, cui somnus non venerat?

Qui, ubi eis necessarium non est, loquuntur, et ubi eos vigilare oportet, dormiunt.

XXXI. — [CANIS ET CROCODILLUS.]

Canes currendo bibunt ex Nilo flumine, ne rapiantur a Crocodillis. Rapidius igitur currens ex Nilo cum bibere cœpisset Canis, dixit ei Crocodillus : Quod libet labio tuo, noli vereri. R[espondit] : Facerem quod dicis, nisi esse te scirem carnis meæ cupidum.

Qui consilia adversa sapientibus sumministrant, et non solum quod operantur, perdunt, verum ab eis turpiter deridentur.

XXXII. — [CANIS ET VULTUR.]

Canis et Vultur humana effodientes ossa, Canis thesaurum invenit, et violatus mane(n)s, injecta est illi divitiarum cupiditas, per quas sacrilegii lueret pœnas. Aurum dum custodit, oblitus ciborum copia[m], fame est consumptus. Cui adstans Vultur ait : O Canis, merito luis, quia concupisti regales opes,

trivio contentus et in stercoribus educatus. Quid tibi profuit has invenire divitias?

Avaris, qui ante exhausti perire possunt, quam cupiditatis rabie satiarentur.

XXXIII. — [RANA RUPTA ET BOS.]

In prato conspexit Rana Bovem pasc[entem]; aucta (*sic pro* tacta] invidia tantæ magnitudinis, rugosam implevit pellem; natos suos interrogat, si esset altior Bovi. Illi negaverunt. Rursus majus (*sic*) cutem extendit suam; et simili modo illi dixerunt : Bos tibi superior est. Novissime indignata, dum vult validius inflare se, rupta interiit.

Inopi, qui dum vult imitari potentem, ipse se punit.

XXXIV. — [ASELLUS, BOS ET VOLUCRES.]

Asellus et Bos uno sociati jugo trahebant. Bos dum conatur paulo validius incedere ægro cornu, Asellus ipse negabat nullum levamen accipere. Solus at[ta]m [en] [trahens] Bos cornu (*sic pro* corruit?), et confestim mortuus est. Asinum Bobulcus carne Bovis exaggerat. Qui multas inter plagas ruptus cecidit, et expiravit media [via] pondere collapsus. Tua (*sic pro* Tunc) Volucres advenientes ad prædam convolant dicentes : Si te precanti mitem exhibuisses Bovi, non jam inmaturo nos interitu pasceres tuo.

XXXV. — [LEO ET PASTOR.]

Leo errans spinam calcavit, et illico ad Pastorem cauda blandiens venit; cui ait : Non perturberis, auxilium a te imploro; non indigeo esca. Sublatum Hominis posuit in gremio pedem. Pastor spinam exemit pede. Redit in silvas Leo. Post autem Pastor falso incusatur crimine, et ludis proximis emissis bestiis projicitur. Passim dum discurrunt feræ, agnovit Leo, qui fuerat medicinatus, qui pridem fuerat. Sublatum rursus Pastori ponit in gremio pedem. Hoc Rex ut cognovit, Leoni jussit parci, et mansuetum Pastorem dimitti parentibus.

Quia bene gerenti nunquam poterunt adversariorum prævalere supplicia.

XXXVI. — [CULEX ET TAURUS.]

Culex cum Taurum provocasset viribus, venerunt populi cuncti, ut spectacula cernerent. Tunc parvus Culex : Satis, inquit, habeo, quod venisti comminus. Parvus tibi factus sum judicio tuo. Hic semper (*sic pro* se per) auras sustulit penna levi, lusitque turba, et Tauri destituit minas. Quod si fuisset validæ cervicis memor, pudendum contempserat inimicum, et ineptæ materiæ non fuisset gloriatio.

Quia ille sibi famam diminuit, qui se indignis comparat.

XXXVII. — [EQUUS ET ASINUS.]

Insolens faleris Asino occurrit Equus, qui fatigatus malis transeunti tardius dedit viam. Vix, inquit, me teneo, ut non te rumpam calcibus. Reticuit ille, et gemitu testatur Deos. Equus currendo ruptus parvo in tempore ad villam est missus. Hunc onustum stercore ut vidit Asinus, tali eum irrisit verbo : Quid tibi gloriose quondam faleris? modo ad contemptam redisti miseriam.

Felices qui ullum despiciunt, dubii meminere debent, quia nesciunt quid futuri sunt.

XXXVIII. — [VOLUCRES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.]

Bellum gerebant Volucres cum Quadrupedibus, et modo vincentes iterum vincebantur. Vespertilio, dubios eventus timens, superiorem quem primo vidisset, ad eam (*sic pro* eum) se conferebat. In pacem cum redissent pristinam, utroque generi fraus decepta apparuit. Damnatus ergo tam pudendo crimine, lucem refugiens atris se condidit tenebris noctis.

Quia quisquis a duabus partibus se vindicari desiderat, utrisque ingratus turpiter vivit; melius est enim hostem non habere, quam [non] vinci.

XXXIX. — [LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.]

In nidum Lusciniæ cum sederet Accipiter, ut specularetur auritum (*sic*), parvos in illo invenit pullos. Supervenit Luscinia, et rogabat illum parcere pullis. Ait Ac[cipiter] : Faciam quod vis, si mihi bene cantav[eris]. Et quamvis se præcederet animo, tamen metu pavebat; denique coacta et dolore plena cantavit. Acceptor (*sic pro* Accipiter) qui prædam captaverat, ait : Non bene cantasti; apprehenditque unum de pullis ejus, et devorare cœpit. Ex diverso venit Auceps, et calamo silenter levato Acceptore contracto visco in terram dejecit.

Qui aliis insidiantur, timere debent ne capiantur.

XL. — [LUPUS, VULPIS ET PASTOR.]

Lupus in cubile (*sic*) suo per tempus, ut menses haberet, quo plures posset delitias frui, maximam congregaverat prædam. Vulpis ut hæc agnovit, venit ad ejus cubile; tremula inquit voce : Recte non vidi te; tristis fui per dies, quia non peragravisti in iis. Lupus livore ait : Non de me sollicita venisti, sed ut aliquid accipias; non gratis venisti : scio te fraudem petere. His verbis valde irata, Vulp[is] Pastorem ovium adiit, et dixit illi : Ageres mihi gratias, si tibi inimicum gregis tui hodie tradidero, et jam non sis sollicitus? Pastor : Serviam tibi, et tribuam quicquid volueris. Illico clausum ostendit Lupum, quem protinus lancea peremit, et æmulam de alieno saturavit Vulpem. Deinde ipsa, cum in venatores incideret, comprehensa, a canibus laniata ait : Modo majora feci mala, et modo pereo, qui (*sic*) alterum feci occidere.

Qui aliis nocet, timeat, ne noceatur ab altero.

XLI. — [CERVUS AD FONTEM.]

Cervus ad fontem bibens, sua cornua magna videns, nimium laudare cœpit; crura vero tenuia vituperat. Mox audiens canum et venatorum voces, latratus, fuga per campum ducitur, et sic

evadit. At ubi silva(s) suscepit, et magnitudo illum cornu(or)um venantibus rete retinuit, tunc mortem videns deceptuosa vituperat.

Quia plerumque laudamus inutilia, et vituperamus bona.

XLII. — [VIPERA ET LIMA.]

In officina cujusdam Fabri introiit Vipera; dum quæreret aquam et cibos, rodere cœpit Limam. Lima arridens ait ad Viperam : Quid ad me, improba, tuos vis lædere dentes? ipsumque si quid forte est, [facio] lene, asperi[tatem] fricando. Facile namque frangeris dentibus, si angelo (*sic pro* angulos) torsero.

Duobus malis, malus pejorem non dolet, nec iniquus iniquum superat; et durus ad durum non hæret.

XLIII. — [OVES ET LUPI.]

Oves et Lupi cum certassent prælio, vicerunt Oves tutæ præsidio Canum. Lupi legatos mittunt; fictam quærunt pacem, ut dederent se ipsis custodibus suis. Sperantes illæ æternum statuere fœdus, dederunt, quod ipsi petierant. Post pace facta irrita, cœperunt carpere, nullo existente defensore. Sero pœnitentes consilium, quem (*sic*) primo dudum habuerant, accusabant.

Qui auxilio tradere se vult alio (*sic*), frustra postmodum requirit, quando invenire nequit.

XLIV. — [HOMO ET ARBORES.]

Securis cum fuisset facta, postulabat Homo Arbores sibi manubrium dare de ligno, quod esset (quod esset) omnium firmius. Oleastro jusserunt ceter(a)[æ]. Sumsit Homo manubrium; aptata secure, ramos et robora magna, omniaque quæ vellet, indubiose cœpit incidere. Sicque Quercus Fraxino ait : Digne et juste patimur, qui (*sic*) roganti hosti nostro manubrium dedimus.

Ut cogites ante ne hosti aliqua præstes.

XLV. — [CANIS ET LUPUS.]

Canis et L[upus] dum venirent, ait L[upus] Cani : Unde, frater, sic mitis et bene pinguis? C[anis] r[espondit] : Quia sum custos domus latrones contra venientes; nullus passim ingreditur; nocturnum furem nuntio; effertur mihi panis, dantur ossa, et carnem projiciunt; familia, si quid ei superat, quod fastidit ciborum, mihi porrigitur; ita venter meus impletur; me blandiuntur omnes; mihi aqua abunde est; otiosus vita fruor. Et L[upus] : Bene, inquit, frater : vellem ita mihi contingeret sic otiosum satiari cibo, et sub tecto melius vivere. Et C[anis] : Si vis bene vivere, veni mecum in cubile; ne timeas. Cum ambularent simul, vidit L[upus] Cani collum catenatum, et ait : Dic, frater, quid est hoc, quod circa collum tuum video? Et C[anis] : Quia sum acrior, in die ligor, nocte solvor; intra domum sum vagus; ubi volo, hic dormio. Et L[upus] : Non mihi est opus frui ista (*sic*), quæ laudasti. Vivere volo liber, ad quod evenerit mihi; ubi volo, peragro; nulla catena me tenet; viæ mihi patent in campo aut in montibus; nullus metus, pecora prius gusto; canibus ingenium deludo. Vive ut consuesti; ego consuete vita fruar.

Quia dulcis est libertas, et est lætus [actus] bene agendi, et in liberis sunt sævitia, in servis virtus et gloria, et pollere videmus servos, et pro nihilo esse liberos.

XLVI. — [SIMIA ET VULPIS.]

Simia rogabat Vulpem, ut de magnitudine caudæ sibi daret, unde nates suas turpissimas tegeret. Quid enim m[oll]e, inquit, ita sit cauda tantæ longitudinis, quam per terram trahis! Cui Vulpis : Pilus fiat longior, et [cauda magis] magna, ut per terram illam traha[m, per] p[e]tras et spinas.

De divite et paupere(m) increpat [hæc fabula te, ava]re, qui non das id, quod tibi superat.

XLVII. — [NEGOCIATOR ET ASELLUS.]

Negotiator in via cum Asello festinabat nundinas. Onusto Asino, male flagello et fuste cædebat, ut citius po(tui)sset venire lucri causa. Asellus [sperabat] ne (*sic pro* ut) post mortem esset securus; quassatus moritur. De pelle ejus facta sunt tympana et cilibra, quæ semper battu[u]ntur, et qui putabat post mortem esse securus, post mortem cæditur.

Quia multi post mortem vexantur.

XLVIII. — [CERVUS ET BOVES.]

Turnacus ut strepitum venatorum effugeret, proxima venatorum fuit villa, et se in [b]ovile conjecit. Refert Bovi, qua causa fugeret. Et Bos : Ut quid tibi miser voluisti huc ad necem currere? Silva te melius celares, aut ungula secares campum, quam hic devorare[ri]s. At ille contra supplex : Me modo celate tantum, et cum venerit sero, ibo qua voluero parte securus. Hæc cum dixisset, obscuro se condidit loco. Cum fœnum et frondes, et omne genus pabuli bobulci stabulo reponunt, Cervum vero non viderunt. Sic ingrediens major, qui omnia lustrat, nec ipse Cervum vidit. Gaudens ferus agebat gratias Bub[us], quod fugientem celassent. Tunc unus ex illis ait Cervo : Salvum te volumus, si ab illo non videaris, qui c[entum] oculos habet; nam si te viderit ille, statim vitam tuam eripiet. Cum Bos Cervo hæc diceret, ingreditur dominus; et quia nuper viderat neglecte suos et macilentos Boves, accessit Boves et præsepia. Qui ut vidit inanes (*sic pro* inania) esse, et pabulum contra positum, dum irascitur bobulcis, ad summam frondes vidit, et alta Cervi cornua. Ait : Quid est hoc? Et vocat ad se bobulcos, et quærit unde Cervus hic veniret. Nescire se dixerunt. Gaudet dominus. Miles (*sic pro* Nullus) venit quær[endo], et miratur cum suis per [aliquot] dies.

Dominum plurimum posse in omnibus videre : et quia fugientes non [cura] sui, sed fortuna salvantur.

XLIX. — [LEO REGNANS ET SIMIA.]

Cum sibi feræ regem fortissimum Leonem fecissent, ille voluit [mo]re regum bonam famam consequi... Factis renuntians prioribus, mutat consuetudinem : pecus nullum lædere, sanguinem non sumere, sanctam et incorruptam fidem servare juravit. Ex hac re posteaquam pœnituit, et mutare naturam non potuit patientia, cœpit aliquos (*sic*) ducere in secretum, fallacia quærere an os fœtens haberet. Qui dicerent : Putit, et qui : Non putit, omnes laniabat, et saturabatur eorum carnibus. Cum de multis hoc faceret, vocat Simiam ad se; interrogat, si putidum haberet os. Ille (*sic*) vero cinnamomo suavius olere dixit, et quasi deorum altaria. Leo vero erubuit laudatorem (*sic*); cum sederet, mutavit fidem.

Quia loqui pœna est, et tacere tormentum.

L. — [LUPUS, PASTOR ET PERSECUTOR.]

Cum Persecutorem fugeret Lupus, et a Pastore esset visus qua parte fugeret et in quo loco se celaret, timore plenus Pastorem rogabat : Oro per omnes spes tuas, ne me innues (*sic*); cui non se facere jurat malum. At Pastor : Esto securus; ostendam aliam partem. Venit Persecutor dicens : Peto te, vidisti hac parte venisse Lupum? Et P[astor] : Venit... Sed sinistra parte, ut et dextra parte assignat oculis Persecutori loca. Ille non intelligens abiit festinanter. Tunc Pastor Lupo ait : Quam gratiam habebo, quod te ipse celaverim? Et L[upus] : Linguæ tuæ gratias ago; oculis vero tuis fallacibus maximam opto cæcitatem.

Bilinguibus, et qui habent blanda verba; et infidelis est, [qui] peccat corde.

LI. — [HOMINES DUO : FALLAX, VERAX, ET SIMIÆ.]

Duo Homines, unus Fallax, et alter Verax, iter simul agebant; et cum ambularent, venerunt in provinciam Simiarum. Quos ut vidit una ex multitudine Simiarum, ipse qui prior esse

videbatur, jussit eos teneri, et interrogat, quid de illo Homines dicerent; jussitque omnes sibi similes adstare ante se ordine longo, dextra lævaque, et sibi sedile parari; sicut viderat Imperatorem aliquando, taliter sibi adstare fecit. Jubentur Homines adduci in medio. Ait Major : Quis sum ego? Fallax dixit : Tu es Imperator. Iterum interrog[at] : Et isti, quos vides ante me stare? R[es]p[ondit] : Hi sunt comites tui, primicerii, campiductores, militares officii. Et quia mendacio laudatus est cum turba sua, jubet illum munerari, et quia adulatus est, omnes illos fefellit. Verax autem apud se cogitabat : Si iste mendax, qui omnia mentitur, sic accepit, ego, si verum dixero, magis munerabor. Tunc ait major Simia : Dic et tu, quis sum ego, et hi quos ante me vides? At ille, qui semper veritatem amabat, et loqui consueverat, respondit : Tu es vere Simia, et omnes hi similes tui Simiæ semper sunt. Jubetur continuo lacerari dentibus et unguibus, eo quod verum dixisset.

Malis hominibus, qui fallaciam et malitiam amant, honestatem et veritatem lacerant.

LII. — [HOMO ET LEO.]

Homo et Leo, cum inter se quærerent quis eorum esset superior, et quærerent hujus altercationis testimonium, venerunt ad monumentum, ubi erat pictum quomodo ab Homine suffocabatur Leo; hanc ostendit Homo picturam in testimonium. Cui Leo : Hoc ab homine pictum est; nam si Leo pingeret, nosset quomodo suffocasset Hominem. Sed ego dabo tibi verum testimonium. Induxit Leo Hominem in amphitheatrum, et ostendit illi vera fide quo[modo] Homo a Leone suffocatur. Hinc dixit : Colorum non sunt opus testimonia, sed veritate facta.

Mendacium colore compositum a veritate actorum parari, ubi est certa probatio.

LIII. — [CICONIA, ANSER ET ACCIPITER.

Ciconia, dum ad solitum devenisset stagnum, invenit Anserem se creberrimis mergentem undis. Inquirit ab ea cur hoc

faceret. R[es]p[ondit] : Consuetudo nobis est; nam escam in limo reperimus, et Accipitris impetum ad nos venientis sic evadimus. Cui Ciconia : Sum Accipitri (*sic*) ipsa fortior. Sed tene amicitiam mecum, et faciam te illi insultare. Credidit, et protinus ejus petivit auxilium. Quæ dum cum illa foras in agrum exiret, illico Accipiter supervenit, et comprehensum Anserem unguibus devoravit. Cui Anser e contra : Qui se tam flebili patrono conjungit, pejori nece finiri debet.

Qui se ab illis defendi desiderant, qui tutationem præstare non possunt.

LIV. — [CANIS PARTURIENS ET SCROFA.]

Canis parturiens Scrofam rogavit, ut in ejus cubile fœtus exponeret. At illa roganti concessit. Ingressa illa ut fœtus exponeret. Post iterum rogavit ut catuli firmi exirent. Roganti et hoc concessit. Paululum post tempus illa cœpit cubile suum repetere et cogere ut exiret. Et illa ab stomacho sic ait : Quid turbaris? Cur injuriosa sic mihi occurris? Et si es fortior nobis, reddam locum tibi aliquando.

Bonis, qui amittunt sua, dum credunt verba blanda; et blanda verba pluribus faciunt contumelias.

LV. — [OVIS ET CORNIX.]

Ovi Cornix consedit tundens dorsum ejus. Hoc cum diu fecisset, ait Ovis : Cani temptationem hanc si fecisses, non ferres latratum ejus. Et Cornix : Collo [equidem] forti sedet (*sic pro* sedeo) et novi quando sessum eo, quia sum antiqua annis, improba innocentibus, amica vero asperis. Sic me [cre]atam dii voluerunt.

Qui ab infimis sua innocentia injuriantur.

LVI. — [FORMICA ET CICADA.]

Hiemis tempore Formica ex caverna frumentum trahens secabat (*sic*), quod æstate colligens collocaverat. Esuriens autem Cicada rogabat eam ut aliquid sibi daret. Cui Formica : Quid

agebas in æstate? At illa : Quia mihi vacabat, [per] s[e]pes oberrabam cantando. Ridens Formica et frumentum includens ait : Si æstate cantasti, hieme salta.

Pigris (*sic pro* Pigro), ut tempore certo laboret, ne dum manus habuerit, dum petierit, non accipiet.

LVII. — [LEPUS, PASSER ET AQUILA.]

Oppressam Aquila(m) et fletus dantem Lepus objurgabat Passerem : Ubi pernicitas tua est, et cur sic pedes cessarunt? Hoc vere te fecit insidiari et sustinere. Talibus dum loquitur, ipsum Accipiter necopinum rapuit, questuque vano clamitantem interfecit. Et Aquila (*sic pro* Passer) : Solatium [est], quod tu [qui] securus nostra irridebas mala, simili querela fa(c)ta deploras tua.

Stultis, qui sibi non cavent, et aliis consilium dant.

LVIII. — [EQUUS ET ASINUS.]

Equum cum rogaret Asinus parum sibi hordei dare : Libenter, inquit, si possem, et pro dignitate nostra large tribuerem. Sed cum venerimus ad præsepia vespere, dabo tibi folliculum plenum farre. Et Asellus : Qui rem tam parvam negas, quid in majori te facturum existimem?

Qui cum magna promittunt, parva negant; est in dando le[ntus, qui] tena[x fuit in] pollicitando.

LIX. — [LEO SENEX ET VULPIS.]

Leo in annis deficiens languere fingebat, et per eam fallaciam ceteræ bestiæ ad visitandum eum introibant. Leo vero continuo edebat eas. Vulpis autem veniens stetit ante speluncam, et salutavit eum; interrogata a Leone, cur non introiret, r[es]p[ondit] : Quoniam video ineuntium vestigia, non egredientium.

Quia aliorum privata doctrina nobis debet esse sanitas; et in domum potentis facile est intrare, exire autem jam tardum est.

LX. — [CULEX ET CAMELUS.]

Culex dum forte in Cameli dorso morasset cum omnibus sarcinis, deinde saliens dixit : Ideo me ocius ad terram mitto, ne te attritum gravem. At ille : Gratum est, inquit; sed nec imposito te sentire pondus potui, nec deposito habere levamen.

Qui se superiori absque ordine coæquare nititur, in despectum notatus devenit.

LXI. — [HŒDUS ET LUPUS.]

Capella cum esset fœta, et partum vellet custodire, ignarum Hœdum, ne aperiret (h)ostium, monuit, sciens quod multæ feræ stabula pecorum circuirent. Monuit, et abiit exinde. Venit Lupus vocem assimilans matris. Hœdus, ut vocem audivit, ait : Vocem matris audio; sed tu fallax et inimicus es, et sub matris voce nostrum quæris sanguinem bibere et carnes edere.

Quia præcepta parentum audire laus est.

LXII. — [CANIS SENEX ET DOMINUS.]

Canis cum Domino suo semper satisfecisset juvenis venando, angustia gravatus, et sua ætate tardus, dentem autem infirmum ferens, cum comprehenderet Leporem, Lepus sua virtute de ore Canis exivit, et quia non fuerat læsus, per campum fortiter Canem fatigat. Irascitur Dominus Cani, et objurgat ineptum rei. Cui Canis : Sat animæ sine virtutibus; sunt mihi scabrosi dentes; fui aliquando fortis. Laudasti quod fui, mihi jam damnas quod sum. Memor esto pristinis; quod hodie possumus, bona gratia apud te.

Si quis bene egit juvenis, senex male pati non contempnatur : et suum exhorrere nulli debent. Fuit quondam juvenis, et si non vis senex, dilige facta ejus opera priora.

LXIII. — [VULPIS ET CICONIA.]

Vulpis ad cœnam prior invitavit Ciconiam, et posuit illi in scutella sorbitiunculam; et satiari non potuit. Esuriens et verecunda abiit Ciconia. Post paucos dies rogat Ciconia Vulpem, ut veniret ad cœnam. Ciconia in lagena posuit cibos, et prior sumere cœpit; deinde hortatur Vulpem. Vulpis sensit injuriam. Et ait ei Ciconia : Dum bona dedisti, accipe : si dedignaris, ignosce.

Nullum deridere alium; et qui verbis se deludunt, ita vere fatigantur injuria.

LXIV. — [LUPUS ET GRUS.]

Lupus, osse devorato fauce inhæso, magno dolore victus cœpit singulos promissionibus et præmio deprecari, ut illud extraheretur malum. Tandem persuasum jurejurando Gruem, gulæ credens colli longitudinem, optulit (*sic*) se periculo, et fecit medicamen Lupo. A quo cum pactum flagitaret præmium : Ingratum est, inquit, ori nostro quod caput incolume extuleris; pro hoc et mercedem a nobis insuper postulare videris.

Qui pretium meriti ab improbo desiderat, plus peccat : primum quia indignos juvat importune, deinde quia ingratus postulat quod implere non possit.

[LXV. — PAUPER ET SERPENS.]

In domo cujusdam Pauperis Serpens ad mensam semper venire consueverat, et inde fovebatur micis. Non longo post tempore factus est pauperior; et cœpit irasci Serpenti, quem secure vulneravit. Interposito tempore ille ad egestatem rediit, et intellexit f[ortuna], S[erpentis] c[ausa], dives fieri antequam ab illo laceratur. Ut ignosceret peccanti petiit. Et Serpens r[es]p[ondit] : Quia tum pœnitebis sceleris tui, usque dum cicatrix clauserit, non credas in me gratam fidem. Nam redeo tecum in gratiam, sed si obliviscar securis perfidiam.

Quis debet esse suspectus, qui aliquem læsit aliquando, et hoc est maxime nocendum cum amico in gratiam redire.

LXVI. — [CALVUS ET MUSCA.]

Calvo injuriosa fuit Musca, et nudum caput capillis assiduo morsu tundebat. Ille sibi alapis non parcebat, volens iniquam rapere; illa ridens plus faciebat. Et Calvus ait : Mortem quæris, improba, facilem : si tamen mecum redieris in gratiam, non morieris mea alapa.

Injuriosis, qui sibi inimicos creant, et qui sibi injuriam facit, aliis plus ridendus est.

LXVII. — [AQUILA ET MILVUS.]

Aquila cum tristis sederet in (in) arborem, ubi Milvus insederat, dixit ad eam Milvus : Cur video faciem tuam tam tristem? At illa : Quo [modo] ægra non ero, quia quæro parilem conjugii mei, et reperire non possum. Cui Milvus : Me accipe, quia superior tibi sum, ut quæris. Cui Aquila : Quid ergo venari tu poteris? Milvus : Struthionem unguibus meis captum sæpius devoravi. Illa hæc audiens adquievit, et accepit eum in conjugio maritali. Transactoque tempore quod nuptiis fuerat dedicatum, dixit ei Aquila : Vade, et rape nobis prædam, secundum quod pollicitus es. Et volans in altum exhibuit ei immanissimum Soricem; omni enim erat putredine madefacta. Cui Aquila : Hæc est promissio tua? Cui Milvus : Ego ut ad tuum potissimum pervenire possem conjugium, si qua mihi impossibilia voluisses extorquere, nullatenus me tibi impleturum potui denegare.

Mulieribus, quæ dum sibi ditiores exquirunt, postea ignavis sociantur.

PHÆDRIANÆ FABULÆ

È CODICE OLIM WEISSENBURGENSI, HODIE GUELFERBYTANO GUD. LAT. 148, NUNC PRIMUM EDITÆ.

Fol. 60 *b*.

INCIPIT LIBER [PRIMUS] YSOPI (1).

MAGISTRO RUFO ÆSOPUS
SA LU TEM.

(Fol. 61 *a*.) Memoriam tibi tradam, carissime Rufo (*sic*); mea membranis habeto scripta; candorem quo mereris a me suscipe donum, ut pretiosa libia (*sic*), saxa diversis coloribus, marmora, quo*a* non p(u)[os]teris vetustas perdat, aut et utinam ledant ita ut legant fabula docti longevi memoriam. Si tamen placet Esopus tibi, cujus colore pingitur varietas, conposui libri (*sic*) Æsopi fabularum quinque; omnes homines docet calumniosos timere, potentes metuere, injuriosos contemnere, malos ne quis credat, blanda verba cavere bona et mala et cetera, et multa alia jam docens. Hic exemplis scriptam (*sic*) loquenter adrogant verba per fabulas.

EXPLICIT PREFATIO.

I. — [LUPUS ET AGNUS.]

Agnus et Lupus sicientes ad rivum e diverso venerunt.

(1) Lituræ, quibus verba et verborum elementa quædam deleta fuerant, punctis notata sunt. Verba autem et verborum elementa, quæ, quamvis rescissa, tamen lectu facilia adhuc erant, per litteras a typographis **ægyptiacas** aut **pingues** dictas excussa sunt. Verborum contra vel modo elementorum omnes emendationes, adjectiones et suffectiones, secunda manu scriptæ, per litteras *italicas* dictas excussa sunt. Denique verba et elementa inter uncinos [ ] posita, editoris ipsius, qui, codicis Guelferbytani diplomaticam editionem præsertim cupiens in lucem proferre, alia qualicumque emendatione se abstinuit, ceteroquin rara sunt additamenta.

Sursum bibebat Lupus longeque inferius Agnus. Lupus, ut Agnum vidit, sic ait : Turbasti mihi aquam bibenti. Agnus patiens dixit : Quomodo aquam turbavi tibi, quæ a te ad me currit? Lupus non erubuit veritati . . . . *mendacium preferre*. Et maledicis mihi, inquit. Agnus ait : De aqua loquimur. *Non maledixi verum dicens*. Et Lupus dixit : Et pater, inquit, tuus ante sex menses. . . . . *pari modo fecerat :* [male] dixit mihi. Agnus ait : Ego na- (fol. 61 *b*) tus non eram. Lupus improba fauce ait : Et adhuc loqueris, latro? Et statim se in eum direxit et innocenti vitam. . . . *tulit*.

Hæc in illos dicta est fabula, [q]ui calumniis ledunt inno centes.

I. — [CANIS, OVIS, LUPUS, MILUUS ET ACCIPITER.]

De calumniosis hominibus.

Sæpe homines ad calumniam cogitant sibi mendacia. Nam et falsos testis (*sic*) ement aut aliquos faventes adducunt, quibus similis hæc fabula.

Canis calumpni*osus* [d]ixit debere*i* ab Ove sibi q*uem* antea dederat mutuo*um*. Contendebat pro se Ovis, quod numquam ab illo accepisset. Cum ante judicis (*sic*) venirent, *Canis dixit se* habere testi*es*. Introductus Lupus dixit : Panes se *sibi* commodatu*os* me quoties presente accepit. Miluus introductus sic ait : Coram me accepit restituendum. Accipiter dixit : Jura te reddere que*od* accepisti. Victa Ovis testis*ibus* falsis judicatur statim reddere; quæ cum lacrimis ante tempus lanas suas coacta(s) vendidit et calumniatoribus reddidit quod non accepit.

Hæc in calumniosos reddidit fabula.

III. — [MUS ET RANA.]

(Fol. 62 *a*.) — **Qui de salute alterius *adversa* cogitat, non effugiet pœnam.**

Mus, cum transire vellit (*sic*) flumen, Rana(m) petivit auxilium. Illa Rana, grossum linum sumens, Murem sibi ad pedem

ligavit et natare per fluvium cœpit. In medio autem flumine Rana se in deorsum mersit, et Mus natare per fluvium cœpit. Miluus, ut Murem vidit, hunc unguibus rapuit, et secum Murem et Ranam sustulit.

Si ergo, dum aliquis periculum operatur, se ipsum perdit.

IV. — [LEPORES ET RANÆ.]

Qui sustinere non potest malum, *alios inspiciat et tolerare discat.*

Cum strepitu*s* magnu*s* venit ad Lepores, dicunt se propter assiduos metus jam vitam velle finire. Venerunt a[d] quendam locum quo se precipites darent. Leporum vero magn*o* adventu territæ, Ranæ fugientes. Heu, inquid unus Leporum; sunt *alii* quos malorum tetigit timor. Sequamur ut ceteri vita*m*.

V. — [HÆDUS ET LUPUS.]

(Fol. 62 *b*.) — **Præcepta parentium audire.**

Ant[iqu]orum semper laus.

Capella, cum esset recens fœta, ad pastum vellens ire in silva*m*, ignarum monuit Hedum et mandavit ne alio aperiret, quod clausum super eum fecerat, propter quod **nullæ forte** *multas feras venire sciret* ad stabula pecorum. Ita commo**nit***nuit* Hædum, et sic Capella silvam petivit. Paulo post venit Lupus, vocaem (*sic*) adsimulans matris. Aperi mihi, inquid, precor; aperi tuis plenis uberibus. **Ad Hedis** *At Hedus aspiciens et* per rimas auscultans, ait : Vocem matris audio, non figuram; iniqua*e* nostrum captas sanguinem; sed **monet** *monuit* me qui (*sic*) te novit et metum tuum propter relinquere.

VI. — [CANIS SUPER FLUVIUM CARNEM FERENS.]

Amittit proprium qui alienum petit.

Canis, cum flumen transit*iret*, partem aliquam *carnis* in ore ferebat. Cui Canis umbra[m] ut vidit in aqua, patefecit **ore** os, ut illa*m* teneret. Illam vero **quem** *quam* portabat, fluvius

sustulit, nec illam obtinere potuit, et alteram quam portabat perdidit.

Sic omnes avidi sua amittunt, et *dum* aliena obtinere non possunt.

VII. — [VACCA, CAPELLA, OVIS ET LEO.]

(Fol. 63 *a*.) — **Nunquam est fidelis cum potente societas,** *vel divisio.*

Vacca et Capella et Ovis fuere socii cum Leone in saltibus. Hi cum caperent cervum, factis partibus, Leo sic ait : Ego primus tollo ut Leo, et secunda pars mea est, *quia fortior vobis sum*; terciam vero mihi defendo, quia plus...... *vobis cucurri;* quartam qui vestrum .... *tetig*erit inimicum .... *me habebit.* Sic totam predam solus inprobus abstulit.

VIII. — [SOL UXOREM DUCENS.]

A natura nemo mutatur, sed **de malo... pejor nascitur.**

Vicini qui erant illi *furi* frequentare*bant* nuptias. Æsopus interveniens vicinos gratulari aspexit; qui *et* continuo narrare cœpit. Uxorem cum velliet ducere . . . . ., magno clamore Jovi*em* conviciis non tacuerunt. Jupiter conmotus *ex* illis causam injuria*æ* querit. Tunc unus ex illis ait. Modo, inquid, unus est Sol, et œstu suo turbat omnia. Verum cogit omnia pet*rd*ere. Quidnam erit futurum nobis, cum creaverit filium*os* . . . . Sic Æsopus fabulam narra*t* ne male sint plures.

IX. — [LUPUS ET GRUS.]

(Fol. 63 *b*.) — **Qui bene facere voluerit malis, satis peccat.**

Ossa Lupus cum devora*r*et, unus*m* ex illis adhesit in faucibus ei*jus,* tra*trans*versus*m* graviter hæsit. Invitat magno pretio Lupus qui extraheri*e*t malum. . . . . Grus*us* rogatus collo longo . . . . ut prestaret Lupo medicinam. Ita fecit Grus*us*, ut mitteret caput et extraheret de faucibus malum. Sanus cum fuisset Lupus, ex. . . . . *postulabat*.

Gruisus. qui*e* caput tuum **in collo meo** *incolome* extulisti, non vexato*um* dente nostro, et nunc mercedem postulasti.

Hæc ita patiuntur qui mal*l*os liberant.

X. — [CANIS PARTURIENS ET ALTERA.]

De linguo*a* su*b*dolis.

Blanda verba hominis malifaciunt **vel** gravi*es* **invidias**-*jurias*. Quas ut omnes vitemus, versus subter monet.

Canis parturiens ad alteram dicebat ut fetum suum illa doleret. Illa Canis facile consensit, **u***e*t locum roganti dedit et exposuit. Deinde rogare cœpit tempus, ut catulos molles non moveret. Illa Canis et hoc consensit ut catulos fortes moveret. Consumpto quidem tempore, *cœpit* cubile suum repetere. Illa in stomacho talis ait : Sine paulisper ut non dares cum velis, Ecriter domina illa vero dixisse fertur : Si **me***mihi* et turp*b*e me*e*e occurris, ita faciam ut locum dimittam.

Sic benevoli a(d)mittunt(ur) (*sic*) propria, *qui per blanda verba aliis credunt.*

XI. — [ASINUS IRRIDENS APRUM.]

(Fol 64 *a.*) — **De male ridentibus.**

Aloquenti (*sic*) **vero** homines, dum sibi faciunt risum, aliis faciunt contumeliam, sed t*s*ibi congr**uu***eru*nt mala.

Asinus occurrit Apro et dixit. Salve, inqui**d***t*, frater. Indignatus Aper conpressit iram et agitavit caput. Noluit illum *sua* Virtute scindere, et cogitans secum sic ait : Absit a me ut dentes meos acutos in *vano* sanguine tuo coinquinem.

Ideo insipientibus parcere*i* debe**t***re hæc fabula monet.*

XII. — [PAUPER ET SERPENS.]

De his qui aliquem ledunt *qualiter suspecti esse debent.*

In domo*um cujusdam Pauperis* dominica Serpens consuetudinem ad mensam fecerat, et de illius paupertate (a)edebat : fovebatur reliquia*i*s. Interposito tempore, dives effectus est

Pauper. Dehinc cœpit irasci Serpenti; qua*e*m manu homo ille secure*im* tenens vulneravit **Serpentem**. Iterum paulo post miser factus est. Subito ad egestatem deductus, intellexit fortuna Serpenti*s* et causa*m* huic*jus* ægestate*is* pati. Quamo*d* ut vidit, **repropitio***g*are cœpit ignoranti potius ignosceret. Tunc ergo Serpens (fol. 64 *b*) dixit illi : . . . .
Ignoscam petenti **gratia,** quia pœniteris sceleris tui. Sed dum*onec* [ci]catrix claus*a* erit, dum*onec* a me transierit dolor, non credas integram fidem. *Redeo tecum in gratiam,* . . . si obli viscar securis perfidiam.

XIII. — [CERVUS ET OVIS.]

De fraudatoribus.

Fraudatores com mutuantur, fide dictores dant improbos.
Diis deabusque præsentibus Juno laudavit (5) castitatem, eamque (6) persuadebat et melius esse ut femina uni esset conjuncta (7) proprioque suo usui (8) sufficeret. Sic Venus jocandi causa interposuit Gallinarum dicta. Cum interrogaret (9) patientem et (10) domesticam (11) suam (12) Gallinam quanto posset (13) satiari cibo, illa (14) dixit : Quodcunque accepero, abundat (15) mihi, et contra sic scalpo (16). Venus contra (17) huic Gallinæ dicitur coram ipsis dixisse : Ne scalpas, do tibi (18) modium tritici. Et Gallina sic ait Veneri : Si horreum mihi patefacias, (19) tamen scalpam. Ubi risisse dicitur (20) Juno ad dictum Veneris [probatum] a Gallina, per qua[m] (21) agnoverunt Dii (22) feminis fieri similia. Sic deinde Jupiter cœpit multa addere et dicere : Femina (23) nulla se importuno negabit (24). Deinde et Venus cum Marte, inde (25) et cum Vulcano, et ut potuerunt ceteræ multæ.

Sic et hodie plures feminæ didicerunt maritis (26) imponere.

(1) M. Sic laudamus nos utilia. — (2) M. *Hæc tria verba desunt.* — (3) G. *et* M. **Fab.** *deest.* — (4) G. *et* M. **auctor proposuit fabulam**. — (5) M. laudabat. — (6) M. eamque *deest.* — (7) M. convicta. — (8) G. *et* M. usui *deest.* — (9) M. interrogarem, inquit. — (10) G. *et* M. taciturnam. — (11) M. domesticam *deest.* — (12) M. meam. — (13) M. possit. — (14) M. illa *deest.* — (15) M. habundat. — (16) G. *et* M. et e contra scalpo. — (17) M. e contra. — (18) G. *et* M. tibi *deest.* — (19) M. sic. — (20) M. dicitur *deest.* — (21) G. quæ. — M. quam. — (22) M. Dii agnoverant. — (23) M. Sic deinde cœpit Jupiter multas adire feminas. — (24) M. negavit. — (25) M. deinde. — (26) M. maritis didicerunt.

IX. — [FEMINA ET MILES.]

Fab. quod (1) **casta est illa mulier** (2), **quæ importunum non patitur** (3).

Femina, quæ amiserat virum, contulit se ad mausoleum, ubi maritus erat positus, ut lugubres ageret dies illic (4). Contigit interea (5), ut aliquis peccasset, et de lege accepit sententiam, ut suspenderetur (6) in cruce. Custos illi ponitur Miles ne a suis noctu (7) furaretur. Qui, cum observaret(ur) per vices, siti (8) fatigatus (9) accessit ad mausoleum, aquæ pusillum rogans; accepit, bibit et exinde abiit. Cumque ille (10) videret Feminam pulchram (11), rediens consolatus est (12) eam. Iterum sic (13) fecit et (14) tertio. Dum illuc sæpe ab amica vocatur, subtrahitur ille qui (ab amica) (15) in cruce pendebat (16). Miles (17) rediens non invenit crucidatum (18), confugiensque (19) ad pedes Mulieris volutare se cœpit. Cui sic ait : Quid agam, vel quid faciam? At ille (20) : Subveni, inquit (21), mihi. A te quæro consilium. Illa, misericors facta Militi, maritum de monumento (22) levavit et in cruce noctu suspendit (23). Celatum (24) furtivum facinus est (25), misericordia pro tanta, quia Miles potuit (26) officiari Mulieri. Mulier non erubuit de (27) officio suo, et quæ jam casta dudum (28) fuit, scelus geminum a[d]misit (29), assensum Militi tribuens (30).

Habeant (31) mortui quod doleant (32) et vivi quod timeant.

(1) G. *et* M. *Verba* **Fab. quod** *desunt.* — (2) M. **puto.** — (3) G. **Unde.** — G. *et* M. **sic auctor hujus tituli prosequitur fabulam.** — (4) G. *et* M. illic ageret dies. — (5) M. interea *deest.* — (6) M. suspensus est. — (7) G. *et* M. nocte. — (8) M. cum observat satius. — (9) M. post noctem. (10) M. Cum illic. — (11) M. pulchram *deest.* — (12) G. *et* M. consolatur. — (13) M. sic *deest.* — (14) M. et *deest.* — (15) G. *Verba* ab amica *desunt.* — (16) M. *Tota ista phrasis deest.* — (17) M. Sic Miles. — (18) M. cruciatum. — (19) M. que *deest.* — (20) M. *Verba* At ille *desunt.* — (21) M. inquit *deest.* — (22) G. *et* M. de loco. — (23) M. suspendit nocte. — (24) M. Celatur. — (25) G. *et* M. est *deest.*— (26) M. militem pro tanta misericordia oportuit. — (27) M. de *deest.* — (28) M. jamdudum casta. — (29) G. *et* M. scelus utrumque admisit. — (30) G. *et* M. *Hæc tria verba desunt.* — (31) M. Habent. — (32) M. deleant.

X. — [MERETRIX ET JUVENIS.]

Fab. de Meretricibus earumque impudentia (1).

(Fol. 159 *a*.) Quædam Meretrix, quæ erat perfida, multis cum blandiretur Juveni, quem sæpe afflixerat injuriis (2), et ille facile se præbuisset (3) propter usum, Mulier sic (4) ad eum dixit : Licet multi super me muneribus (5) contendant, ego vero satis te amo (6) et plus diligo. Et Juvenis memor quotiens ab ea (7) deceptus fuerit (8), tamen benigne respondit. Ergo (9), inquit, tu mea lux (10), non quod mihi fidem servaveris (11), sed quod mihi jocunda (12) es (13). Sic verbis se (14) deluserunt.

Nam simplices homines, et si forte nudos (15) invenerint (16), sic expoliant (17).

XI. — [PATER ET FILIUS SÆVUS.]

Fab. quod minores domandi potius quam majores (18).

Quidam pater familias sævum filium habebat. Nam foris quotidie manebat et servi pro eo vapulabant. Tunc sic auctor ait (19) fabulam. Quidam homo Rusticus junxit Vitulum majori Bovi. Vitulus vero calce et cornibus (20) e[j]iciebat (21) jugum a cervice. Bovem vero (22) cum terreret Vitulus, Rusticus Bovi sic dixisse (23) fertur. Non ut labores (24), inquit, te (25) jungo, sed

(1) G. **De meretricibus auctor talem nobis refert fabulam, quia impuderatæ feminæ per ingenium se imponunt viris. — M. De meretricibus refert auctor nobis fabulam. Impudoratæ feminæ per ingenium imponunt viris.** — (2) M. injuris. — (3) M. præbuit. — (4) M. deinde sic Mulier. — (5) G. muneribus super me. — M. muneribus semper me. — (6) M. dono *pro* amo. — (7) M. ab ea quotiens. — (8) M. sit. — (9) M. Et ego. — (10) M. lux mea es. — (11) M. fidem mihi servas. — (12) G. jucunda. — (13) M. jocunda es mihi. — (14) M. se *deest.* — (15) M. nudi. — (16) M. invenerint *deest.* — (17) M. expolientur. — (18) G. *et* M. **Quosdam minores. — G. sæpe. — M. Sic. — G.** *et* **M. oportet domare, quia. — G. majores difficile domare est. — M. major vix potest.** — (19) M. suam. — (20) M. cornu. — (21) G. ejiciebat. — (22) M. verti *pro* vero. — (23) M. sic dixisse Bovi. — (24) M. laboretis. — (25) M. te *deest.*

domitare (1) volo minorem. Nam calcibus vagis (2) et cornu cum aliquos læserit, lapidibus et fustibus debilitatur.

Ita oportet quemquam filios suos minores domare.

XII. — [VIPERA ET LIMA.]

Fab. de duobus malis, quod malus pejorem non reddit nec iniquus iniquum superat (3).

In officina cujusdam Fabri introisse dicitur Vipera. Dum quæreret (4) aliquid ciborum, rodere cœpit limam. Tunc Lima ridens ait ad Viperam. Quid (5) vis, improba, tuos (6) lædere dentes? Ipsa sum quæ consuevi omne ferrum rodere. Sed et si quid forte est (7) asperum, fricando facio lene, quæ si angulum tersero, si quid ibidem est (8), ipsa præcido (9).

Ideo cum acriore non (10) certandum est.

XIII. — [OVES ET LUPI.]

Fab. quod non expediat defensorem ac patronum relinquere (11).

Oves et Lupi inter se bellum gerebant ita ut nulla pars alii cederet. Illæ Oves erant plures et cum eis (12) Canes et Arietes. Visum est signum victoriæ esse Ovium. Tunc (13) Lupi legatos (14) mittunt pacem petentes, jurando (15), si Canes obsides darent, et Oves catulos eorum ab eis acciperent. Ita fecerunt et (16) jurando fidem dederunt illis. Ovibus in pace positis, lupini (17) catuli ululare cœperunt (18). Lupi (19) natos vexari

(1) M. domare. — (2) M. calce vago. — (3) G. **De duobus malis auctor talem subjecit fabulam : malus pejorem non lædit, nec iniquus iniquum superat.** — M. **De duobus malis auctor subjecit fabulam: malus non lædit nec iniquus superat, et durum ad durum non haberet.** — (4) M. quærit. — (5) M. me. — (6) M. vis. — (7) M. est forte. — (8) M. torsero, si quidem ibi. — (9) G. præscido. — (10) M. michi *pro* non. — (11) G. *et* M. **Defensorem.** — G. **et.** — G. *et* M. **non expedit relinquere.** — G. **De hoc auctor talem fabulam dixit.** — M. **Auctor sic posuit fabulam.** — (12) M. Illæ plures cum his et. — (13) M. Scierunt tunc. — (14) M. tunc. — (15) M. jure jurando. — (16) M. et *deest.* — (17) M. lupini *deest.* — (18) M. ululaverunt. — (19) M. Illi.

putantes veniunt undique simul; dicunt pacem ab illis ruptam. Hæc dicentes (1) Oves laniare cœperunt, nullo tutore adjutorium præstante, nullo patrono defendente (2).

XIV. — [HOMO ET ARBORES.]

Fab. quod auxilium hosti dare suum necem est facere (3).

Securi facta, Homo postulabat ab Arboribus (4), ut illi manubrium darent de ligno (fol. 189 *b*), quod erat (5) firmum. Omnes Oleastrum (6) jusserunt. Sumpsit Homo manubrium abhastatum (7) securi, et (8) ramos ac (9) robora magna, omniaque quæ voluit, cœpit indubitanter (10) incidere. Tunc (11) Quercus Fraxino ait : Digne et bene patimur, qui roganti hosti nostro manubrium (12) dedimus.

Ideo quisque caute (13) cogitet, ne hosti aliquid præstet.

XV. — [CANIS ET LUPUS.]

Fab. (14) **quam dulcis sit libertas** (15).

Omnis libertas (16) actus bene agendi (17) est. Nam in liberis est sævitia (18), in servis virtus et gloria. Pollere enim sæpe videmus (19) servos, et pro nihilo esse liberos.

Sicut Canis et Lupus, dum convenissent in silvam (20), ait Lupus Cani : Unde, frater, sic nitidus et bene pinguis es (21)?

(1) M. *Verba* Hæc dicentes *desunt*. — — (2) M. tutore præsente, nullo defendente patrono. — (3) G. **Auxilium hosti dare suam necem facere est, sicut hæc probat fabula.** — M. **Defensorem patronum non expedit relinquere; auctor sic posuit fabulam.** — (4) M. Securis cum esset facta, postulabat ab Arboribus Homo. — (5) G. *et* M. esset. — (6) M. Oleastro. — (7) M. manubrium. Aptata autem. — (8) M. et *deest*. — (9) M. et. — (10) M. et omnia quæ vellet indubius cœpit. — (11) M. Sic *pro* Tunc. — (12) M. hosti nostri, ut cæci, manubria. — (13) M. quis ante. — (14) G. *et* M. **Fab.** *deest*. — (15) G. **auctoris breviter narrat fabula.** — M. **auctor breviter narrat.** — (16) M. Omnis enim libertas. — (17) M. agendus. — (18) M. sunt vitia. — (19) M. *Hic est vacuum spatium in quo verba* Pollere, *etc. desunt*. — (20) M. in silva dum convenirent. — (21) M. es *deest*.

Canis sic dixit Lupo : Quia sum custos domi contra latrones (1) venientes, et (2) nullus passim (3) ingreditur noctu (4). Si forte fur venerit, illum annuntio. Ultro panis offertur mihi (5); dat ossa dominus, similiter et ceteri; amat me tota familia; pro[j]iciunt (6) mihi quicquid illis superat; quod fastidit unusquisque ciborum mihi porrigit (7). Ita venter impletur. Cum mihi blandit (8), sub tectis cubo. Aqua non deest mihi. Sic otiosus vitam gero. Et Lupus : Bene, inquit, (9) frater. Vellem ista contingerent mihi, ut otiosus saturarer cibo et sub tecto melius viverem. Deinde (10) Canis Lupo ait (11) : Si vis ut bene tibi sit (12), veni mecum; nihil est quod timeas. Cum ambularent simul, vidit Lupus Cani collum catena tritum (13) et ait : Quid est, frater? Dic (14) quod jugum attrivit (15) collum tuum? Et Canis : Quia sum acrior, inquit, intra diem (16) ligor. Nocte (17) solvor; intra domum sum vagus; ubi volo illic dormio. Et Lupus contra (18) Cani : Non est mihi opus, ait (19), fruere ipsis quæ (20) laudasti; vivere volo liber ad quodcunque evenerit mihi. Liber ubi volo peragro (21); nulla catena me tenet; nulla causa impedit; viæ mihi patent in campo, aditus in montibus; nullus (22) mihi timor. De grege primus (23) gusto; canes ingenio deludo. Tu (24), vive ut consuevisti; ego quam consuevi vitam ago (25).

(1) M. latrones contra.— (2) M. et *deest.* —(3) M. passum.— (4) M. nocte. — (5) G. adfertur mihi panis. — M. Si forte furem nuntio, affertur ultro panis mihi.— (6) G. projiciunt. — (7) M. *Pro* Similiter, *etc.* Amant et celeri. Ita proiciunt. Familia, si quid eis superat, quid fastidit quisque ciborum mihi porrigat. — (8) G. *et* M. Me blanditurus. — (9) M. est. — (10) M. et. — (11) M. ait Lupo. — (12) M. Si vis tibi bene. — (13) G. catena attritum. — M. catenaticum. — (14) M. Dic, frater, quid hoc est.— (15) M. trivit.— (16) G. *et* M. interdiu. — (17) G. noctu. — (18) G. e contra. — (19) M. ait *deest.* — (20) G. fruere quæ. — M. frui istis quæ. — (21) M. peragro, eo quo placet. — (22) M. nulla. — (23) M. prior. — (24) M. Tu *deest.*— (25) M. ego ut consuevi vivam.

XVI. — [MEMBRA ET VENTER.]

Fab. quod (1) qui suos stulte (2) deserit, se potius decipi sciat (3).

Nemo aliquid valet sine suis, ut partes corporis humani, de quibus dicitur indignatas esse Manus et Pedes, et (4) Ventri cibum dare noluerunt (5), eo quod sine ullo labore quotidie repleretur, sedens otiosus. Unde graviter indignantes adversus eum Manus et Pedes (6) laborare noluerunt et negaverunt servitium. Ven- (fol. 160 *a*) ter vero esuriens clamabat. At illæ (7) per paucos dies nihil (8) ei (9) dare voluerunt. Jejuno autem Ventre omnia membra (10) lassaverunt. Postea vero cibum dare volentibus recusavit Venter, quia jam clauserat vias. Sic Membra et Venter simul lassa intereunt.

XVII. — [SIMIUS ET VULPIS.]

Fab. (11) **inter** (12) **divitem et pauperem** (13).

Rogabat (14) Simius Vulpem ut de magnitudine caudæ suæ (15) sibi daret, unde (16) nates suas turpissimas tegeret (17). Quid enim, inquit, utile est tibi, ut sis ponderosus sine causa tantæque longitudinis [sit] cauda tua quam per terram trahis (18)? Cui (19) Vulpis dicitur dixisse : Utinam longior esset et major (20), ut per terram illam traherem (21), sive per petras et spinas et lutum, ne tu meo tegumento pulchrior videaris et (22) locuples.

O (23) avare, te nunc increpat fabula (24) qui non das quod tibi superat.

(1) G. *et* M. *Verba* **Fab. quod** *desunt.* — (2) M. **stultitia.** — (3) M. **fiat.** — (4) M. quod *pro* et. — (5) M. voluissent. — (6) M. repleatur, illo sedente otioso. Manus autem et pedes adversus eum indignantes. — (7) M. illi. — (8) M. nichil per paucos dies. — (9) M. ei *deest.* — (10) M. volentes recusat. — (11) G. *et* M. **Fab.** deest. — (12) M. in. — (13) G. *et* M. **talis dicitur fabula.** — (14) M. Quod rogaret. — (15) M. suæ *deest.* — (16) M. et. — (17) G. natos suos turpissimos tegere posset. — (18) M. utile tibi sit pondus sine causa tantæ longitudinis caudæ. — (19) M. Tum *pro* Cui. — (20) M. Plus longior fiat et magna. — (21) M. traham. — (22) M. et *deest.* — (23) M. Locuples, inquit, et. — (24) M. fabula increpat.

XVIII. — [NEGOCIATOR ET ASELLUS.]

Fab. quod (1) **multi post mortem vexantur** (2).

Fuit quidam Negociator in via cum Asello festinans nundinas ingredi. Onustum autem (3) animal flagello et fuste cædebat (4), ut veniret citius lucri causa. Asellus vero (5) optabat mortem putans se post mortem esse securum (6); lassus et quassatus moritur. Statim (7) de illius pelle facta sunt tympana et cribolla (8), quæ semper battuntur (9). Et qui putabat post mortem se esse securum, et etiam post mortem cæditur (10).

XIX. — [CERVUS ET BOVES.]

Fab. quod (11) **fugientes non sint** (12) **securi** (13), **sed fortuna salvantur** (14).

Cervus perturbatus (15) strepitu venatorum (16) et tremefactus, ut venatores evaderet, (17) proximam villam fugit, et se in stabulum conjecit, referens Bovi ob quam causam (18) fugeret (19). Et Bos ad eum sic ait : Ut quid (20) voluisti, miser, huc ad necem tuam (21) currere? Melius te silva cœlasset (22), aut ungula quateres campum quam huc devenires (23). At ille contra supplex : Vos me modo, inquit (24), celate (25) tantum ; dum erit sero, eo ubi (26) volo securus. Hæc cum loquitur obscuro se condit (27) loco. Cumque fœnum (28) et frondes, et omne genus pabuli bubulci stabulo reponerent (29), Cervum non viderunt.

(1) G. *et* M. *Verba* **Fab. quod** *desunt.* — (2) G. *et* M. **ut probat.** — G. **hæc.** — G. *et* M. **similis fabula.** — (3) M. autem *deest.* — (4) G. *et* M. cedebat. — (5) M. autem. — (6) M. securum esse. — (7) M. Statim *deest.* — (8) G. cribrella. — M. cribra. — (9) M. percutiuntur. — (10) M. *Verba* se esse *etc. usque ad finem desunt.* — (11) G. *et* M. *Verba* **Fab. quod** *desunt.* — (12) M. **sunt.** — (13) G. *et* M. **sui.** — (14) G. **sicut hæc refert fabula.** — M. **ut subjecta refert fabula.** — (15) M. perturbatur. — (16) M. vexator. — (17) G. *et* M. in. — (18) M. refert Bovi qua causa. — (19) M. fugeret *deest.* — (20) M. tibi. — (21) M. tuam *deest.* — (22) M. Silva te melius celabat. — (23) M. devenires huc. — (24) M. inquit *deest.* — (25) M. celare. — (26) M. et eo quo. — (27) G. *et* M. condidit. — (28) M. fenum. — (29) M. reponunt.

Sic et (1) ingredientes. Illic transiit et major villæ qui omnia lustrabat, nec ipse Cervum vidit (2). Tunc gaudens fera (3) gratias egit Bo(vi)bus (4) quod fugientem celarent. Tunc unus ex illis ait Cervo : Salvum te servabimus (5), si ab illo non videaris, qui centum habet oculos (6). Nam si te ille viderit, statim (fol. 160 *b*) vitam eripiet (7) tuam. Cumque (fol. 160 *b*) hæc Bos Cervi diceret (8), ecce (9) ingreditur dominus, et quia nuper viderat pro (10) negligentia Boves suos (11) esse macilentos, accessit videre præsepia. Quæ (12) ut vidit inania esse, et pabulum contra positum, dum irascitur bubulcis, assum(m)it ipse (13) frondes, et statim (14) ut (15) vidit erecta Cervi cornua inscius (16) ait : Quid est hoc (17)? Vocavit ad se bubulcos, quærit unde Cervus esset (18). Illi (19) nescire se dixerunt. Et quomodo huc venit, inquit (20), ad stabulum (21)? Omnes plena fide (22) jurant se ignorare (23). Gaudet dominus de Cervo. Nullus venit quærendo. Miratur de hoc cum suis per aliquot dies (24).

Hæc fabula probat (25) dominum plurimum posse in omnibus rebus videre.

XX. — [LEO REGNANS.]

Fab. quod (26) **et** (27) **loqui pœna est et tacere tormentum** (28).

Cum sibi feræ regem fecissent fortissimum Leonem, voluit ille, mores regum bona fama (29) consequi, renuntians priori-

(1) G. etiam *pro* et. — (2) M. *Verba* Sic et, *etc., usque ad* vidit *desunt*. — (3) M. ferus. — (4) M. sibi agebat gratias Bobus. — (5) M. voluimus. — (6) M. oculos habet. — (7) M. eriperet. — (8) M. Cervo doceret. — (9) M. ecce *deest*. — (10) M. pro *deest*. — (11) M. suos Boves. — (12) M. Quis. — (13) G. assumit ipse. — M. et ipse assumit. — (14) M. *Verba* et statim *desunt*. — (15) G. *et* M. ut *deest*. — (16) G. et. — (17) M. hoc est. — (18) M. venisset. — (19) M. Illi *deest*. — (20) M. Et quomodo, inquit, huc venitur? — (21) G. ad stabularium. — M. *Hæc verba desunt*. — (22) M. Plena fide omnes. — (23) M. *Verba* se ignorare *desunt*. — (24) M. per dies illud. — (25) M. Probat fabula. (26) G. *et* M. *Verba* **Fab. quod** *desunt*. — (27) M. **et** *deest*. — (28) G. **ut probat hæc subjecta fabula**. — M. **ut hæc fabula probat**. — (29) M. bonam famam.

bus factis, et mutavit consuetudinem : pecus ullum se non (1) lædere, sine sanguine cibum sumere, sanctam et incorruptam juravit se fidem servare (2). Postea ut habere cœpit de hac re potentiam (3) et mutare non posset naturam, cœpit aliquos (4) ducere in secretam (5) fallaciam, et quærere si os ei (6) puteret. Illos qui dicebant putet et qui dicebant non putet (7), omnes tamen (8) laniebat, ita ut saturaretur sanguine. Cum multis hoc fecisset, postea Symium (9) interrogabat, si putorem haberet in ore. Ille quasi cynnamomum (10) dixit fragrare (11), et quasi deorum altaria. Leo erubuit laudatorem, sed ut deciperet (12), mutavit (13) fidem, et quæsivit fraudem atque (14) languere se simulavit. Continue (15) venerunt medici, qui ut venas (16) consideraverunt, pulsum sanum ut viderunt, suaserunt ei sumere cibum aliquem qui levis esset et tolleret fastidium pro digestione. Ut regibus omnia licent : Ignota est, inquit (17), mihi caro Simii; vellem illam probare. Ut est locutus, statim necatur beniloquus Symius (18), ut ejus carnem cito (19) escam sum(m)eret (20).

Una enim est pœna loquentis et non loquentis.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

ÆSOPI INCIPIT LIBER FAB. QUARTUS (21).

I. — [VULPIS ET UVA.]

(Fol. 161 *a.*) — **Fab.** (22) : **verbis maturandum** (23) **facinus qui non potest viribus** (24).

Fame coacta Vulpis (25) vitem unam (26) pendentem

(1) M. non se. — (2) M. servare fidem. — (3) M. pœnitentiam. — (4) M. aliquam. — (5) M. in secreto. — (6) G. ei os. — M. ejus os. — (7) M. potet. — (8) M. tum. — (9) G. *et* M. Simium. — (10) G. *et* M. cinnamomum. — (11) G. fraglare. — M. fragrare *deest.* — (12) M. læderet. — (13) G. invitavit. — (14) M. atque *deest.* — (15) G. *et* M. Continuo. — (16) M. qui venæ. — (17) M. ille. — (18) G. *et* M. Simius. — (19) M. in. — (20) G. *et* M. sumeret. — (21) G. INCIPIT QUARTUS. — M. *Titulus deest.* — (22) G. *et* M. **Fab.** *deest.* — (23) G. *et* M. **maturet.** — (24) G. **De qua re audi fabulam.** — M. **De quali talem auctor subicit fabulam.** — (25) M. Vulpes. — (26) G. uvam sursum. — M. quondam sursum uvam.

aspexit in alta vinea, ad quam pervenire volebat alto gradu se excutiens. Quotiens hoc voluit, adtingere (1) sursum non potuit. Irata dicitur dixisse : Nolo (2) te acerbam et immaturatam (3), et (4), quasi nolens eam tangere, abiit.

Ita, qui nihil facere possunt, verbis tantum se posse et nolle ostendunt.

II. — [MUSTELA ET MURE.]

Fab. (5) **ingenio quemquam facere quod viribus non potest** (6).

Mustela quæ fuerat senex et Mures jam non sequebatur, involvit se in farina (7) et loco obscuro (8) se condidit, volens (9) de innocentibus sine sui (10) labore prædam facere. Venit miser, ignarusque Mus quandam (11) herbam putans : præteriit (12) innox et mœrens; (13) alter similiter capitur. Deinde et tertius. Postea venit major annis (14) et cautus, qui omnem (15) jam noverat muscipulam (16), caveas et laqueos arcentes (17) et cætera deceptionis ingenia. Cumque hostis insidias videret, dixisse (18) fertur : Inimicis (*sic pro* Inducis) (19) quidem Mures et devoras innocentes; me tamen non captabis (20), improba, quia omnia tua (21) novi ingenia (22).

III. — [LUPUS, PASTOR ET VENATOR.]

Fab. quod blanditiæ sit parum fidendum (23).

Cum persecutionem (24) fugeret impius Lupus celeriter (25) et a Bubulco visus esset (26) qua parte fugeret, et in quo loco se

(1) G. et M. attingere. — (2) M. Nola. — (3) M. acerva et immaturata. — (4) M. Dixit et. — (5) G. *et* M. **Fab.** *deest.* — (6) G. *et* M. **breviter instruit.** — G. **hæc.** — G. *et* M. **fabula.** — (7) M. farinam. — (8) G. obscuro. — (9) M. sibi. — (10) M. ullo *pro* sui. — (11) M. quamdam. — (12) M. periit. — (13) M. immerens, et. — (14) M. ingeniosus. — (15) M. omnia. — (16) M. muscipulas. — (17) M. serpentes. — (18) M. ad illam. — (19) G. *et* M. Inducis. — (20) M. captas. — (21) M. tua *deest.* — (22) M. ingenia novi. (23) G. *et* M. **Qui habet verba blanda.** — G. **infidelis peccator est, ut hæc fabula narrat.** — M. **et infidelis est, peccat corde, ut hæc fabula refert.** — (24) M. persecutorem. — (25) M. celeriter impius Lupus. — (26) G. *et* M. esset visus.

celaret, timore plenus Bubulcum rogabat de hoste (1) suo (2): Oro te per omnes spes tuas, ne me persequenti (3) tradas, cui nihil me (4) fecisse juro. Et Bubulcus ait (5) Lupo : Ne timeas, esto securus, in aliam ei partem (6) te fugisse dicam. Venit persecutor, rogans ostendi sibi Lupum (dicens). Peto te, Bubulce (7), si (8) vidisti, ait, huc venire Lupum; ubi sit ostende. Et Bubulcus : Venit quidem, sed (9) sinistra parte (10) abiit. Illic deorsum quære (11), dixit; sed dextera (12) oculis assignat (13) persecutori (14) loca. At ille non intelligens (15), festinans abiit. Tunc sic Bubulcus Lupo ait : Et quidem gratum habes, quod te celaverim (16)? Et Lupus e (17) contra Bubulco ait : Linguæ tuæ gratias ago; sed oculis tuis fallacibus magnam cæcitatem opto (18).

Hæc illos increpat fabula qui bilingues esse videntur.

IV. — [PAVO AD JUNONEM.]

Fab. quod quisque utatur quod illi concessum est (19).

Pavo ad Junonem venit iratus et indignans, non ferens quod luscinia cantaret (fol. 161 *b*) et humana cognosceret, et sibi hoc non (20) esset datum, sed irrideretur de voce summissa (21). Tunc Juno consolandi causa blanditur, alloquiturque (22) eum : Visus tuus superat vocem, et forma tua superat lusciniam. Colore et nitore smaragdi profusus (23) es; nullus similis tibi, pictisque plumis (24) gemmæ (25) cauda et collo refulgent. Et Pavo ad Junonem (26) sic ait (27) : Quid mihi hæc sunt (28)? Vincor

(1) M. haste. — (2) M. suo *deest.* — (3) M. sequenti. — (4) M. me nichil. — (5) M. ait *deest.* — (6) M. in alia enim parte. — (7) M. Peto, publice. — (8) M. si *deest.* — (9) M. sed *pro* de. — (10) M. et. — (11) M. quærere. — (12) M. et de sinistra. — (13) G. adsignat. — (14) M. prosecutori. — (15) G. intellegens. — (16) M. celaveram. — (17) M. e *deest.* — (18) M. peto maximam cæcitatem. — (19) M. **Quod unicuique concessum est hoc utatur, sicut hæc.** — M. **Quod unicuique consensum sit hoc utatur, sicut.** — G. *et* M. **nobis auctoris fabula narrat.** — (20) M. cantaret tam dulciter et conquerens quod sibi non. — (21) M. derideretur voce demissa. — (22) M. et alloquitur. — (23) M. smaragdini profusa. — (24) M. *Verba* es; nullus, *etc.*, *desunt.* — (25) M. in. — (26) M. Jononem. — (27) M. ait *deest.* — M. (28) M. mihi sint?

voce. Et Juno : Fatorum (1), inquit, arbitrio a diis datæ sunt partes omnibus vobis : tibi nitor et color et forma; major virtus aquilæ; lusciniæ cantus vocis; auguria sumit corvus; grunnire (2) accepit columba; dolet..... (3) gruis; ostendit semper tempus et in oliva parit turdus; ficedula (4) probanda promis; Lucifero gaudet hirundo (5); nudus sero volat vespertilio; gallus novit noctis horas (6). Omnibus in suo abundat (7). Tu loqueris, quod tibi a (8) diis non est datum.

V. — [PANTHERA ET PASTORES.]

Fab. benivolentiam peregrino cuique servandam, ac etiam peccanti (9) ignoscendum (10).

Panthera (11), inquit, innox cecidit in foveam. Agrestes ut viderunt, alii fustibus feriunt, alii saxa ridentes mittunt. Quidam (12) e contra dixerunt (13) : Parcite innocenti, qui (14) neminem læsit, et hæc dicendo multos prohibuerunt (15) ne morte eam affligerent. Alii autem miserunt panem. Alii dolebant (16) hujus innocentiam, ut sunt variæ voluntates. Nox ut venit, abierunt omnes domum, putantes eam noctu (17) mori Deinde ut illa vires suas refecit languidas, veloci saltu se inde liberavit, et ad suum cubile properavit (18). Post paucos dies, rememorans (19) quæ perpessa fuerat (20), venit ad locum, pecudes illic trucidat, Pastores dissipat, in aratores et agrestes (21) impetu sævit, et multa male devastando perdidit. Timent omnes; non curant dampna (22), tantum pro

(1) G. Factorum. — M. Fateor. — (2) M. grunire. — (3) G. *Hic est spatium vacuum.* — M. semper tacitus. — (4) G. turdus; ficetula. — M. tu ficet ulla. — (5) M. hyrundo. — (6) M. horras. — (7) M. Sensu habundat. — (8) M. a *deest.* — (9) G. *et* M. **Oportet benivolos esse cuicumque peregrino, et si peccat.** — (10) G. **ignoscendum est; nescit ubi reddat gratiam, ut hæc fabula docet.** — M. **ignoscendus est, ne sit ubi reddat gratias, ut hæc fabula narrat.** — (11) M. Pantera. — (12) M. Quidem et. — (13) M. dicunt. — (14) M. quæ. — (15) M. perhibuerunt. — (16) M. hic. — (17) M. nocte. — (18) M. properat. — (19) M. commemorans. — (20) M. *Verba* quæ, *etc., desunt.* — (21) M. grestes. — (22) G. damna. — M. de damno.

vita rogant. Tunc Panthera (1) molliter ad eos sic dixisse fertur : Memini quis (2) me fuste cecidit (3), quis me (4) saxo nocuit, (5) quis inique gessit, (6) quis panem miserit. Sed illos hostes refero (7) qui me mori petieri[n]t (8).

Hæc improbi et injuriosi audiant (9) et caveant (10) ne aliquem lædant.

VI. — [VERVECES ET LANIUS.]

Fab. quod qui parentes et amici non sibi consentiunt, merito male intereunt (11).

Verveces in collectu cum essent, simul (12) cum Arietibus, Lanium inter se intrare cogno-(fol. 162 *a*) scentes, dissimulaverunt se (13) videre. Cum autem ex se (14) unum cernerent (15) manu Lanii mortifera teneri (16), trhai (17) et interfici, nec sic timuerunt (18); sed intra se incautæ dicebant : Me non tangit (19) te non tangit (20), dimittamus (21) trhai (22) quem trhait (23). Novissime remansit unus. Cum quidem (24) ipse similiter se trhai (25) videret, sic dixisse Lanioni (26) dicitur : Dignæ sumus laniari singillatim (27) ab uno, qui hoc novissime perspeximus (28), quia cum simul essemus (29), quando te in medio nostri positum aspeximus, capitinis impulsibus (30) quassatum confractum que non occidimus.

Hæc fabula probat illum consumi a malo qui se in vita non tutaverit (31).

(1) M. Pantera. — (2) M. Recordor qui. — (3) M. percussit. — (4) M. mihi. — (5) M. et. — (6) M. gesserit, vel. — (7) M. illis hostis revertor.— (8) M. putaverunt. — (9) M. videant. — (10) M. *Verba* et caveant *desunt.* — (11) G. *et* M. **Parentes et amici qui sibi non consentiunt bene, male intereunt. — G. quod taliter narrat nobis. — M. de hoc taliter nobis narrat. — G. *et* M. subjecta fabula.** — (12) M. una *pro* simul. — (13) M. intrare dissimulantem. — (14) M. sese. — (15) M. in. — (16) M. et. — (17) G. *et* M. trahi. — (18) M. metuerunt. — (19) M. tanget et. — (20) M. tangit *deest.* — (21) M. dimittimus. — (22) G. trahi. — M. trahat. — (23) G. *et* M. trahit. (24) G. *et* M. et *pro* quidem. — (25) G. *et* M. trahi. — (26) M. Lanio. — (27) M. singulatim. — (28) M. prospeximus. — (29) M. Qui cum simulassemus. — (30) M. capitibus impulsum et. — (31) M. mutaverit.

VII. — [AUCEPS ET AVES.]

Fab. sapientis consilium non esse prætermittendum (1).

In verno Aves diversi generis (2), dum exultarent (3) et in nidis suis velatæ fronde sederent (4), aspiciunt Aucupem lupum (5) componere cannas suas, et festucam (6) inserere visco. Illæ ignaræ et simplices Aves sic inter se narrare cœperunt : Quam pium hominem aspicimus, quia pro nimia (7) bonitate lacrymæ (8) ex suis (9) oculis fluunt, quotiens nos aspicit (10). De quibus anus Ales (11), astutior et expertos habens omnes dolos Aucupis, sic dixisse fertur : Heu! fugite, simplices et innocentes Aves, et ab hac vos eripite fraude. Pro qua re moneo, ut impigre(s) (12) alarum pennis, vos ad aerem liberum (13) volatu extollatis celeriter (14). Nam si placet agnoscere (15), ad ejus opera caute intendite, et videte, quia quas fraude cœperit, mox morsu (16) occisas, aut præfocatas, incumbam reponit (17).

Monet hæc fabula non dubium (18) fieri posse ab unius consilio multos de periculo liberari.

VIII. — [HOMINES DUO, FALLAX, VERAX, ET SIMII.]

Fab. quod ab iniquissimis fallacia et adulatio approbatur, honestas autem veritasque improbatur (19).

Dum (20) Homines, unus Fallax et alius (21) Verax, simul iter

(1) G. **Sapientis.** — M. **Sapientibus.** — G. *et* M. **consilium nullatenus prætermitti.** — M. **debere, admonet nos subjecta auctoris fabula.** — M. **debe; de hoc ammonet subjecta fabula.** — (2) M. generi. — (3) M. gauderent. — (4) M. frondes ederent. — (5) G. *et* M. lippum. — (6) M. fistulam. — (7) M. omnia. — (8) M. lacrimæ. — (9) G. ejus. — (10) M. ex oculis ejus profluunt, quotiens nos aspexerit. — (11) G. unus aliis. — M. una Ales. — (12) M. impigre. — (13) M. ad aerem liberum vos. — (14) M. celeri. — (15) G. *et* M. cognoscere. — (16) M. ceperit mortu. — (17) M. in ciba reponet. — (18) M. Hæc fabula monet non indubium. — (19) G. **Solet ab antiquissimis et nefariis hominibus fallatia et adulatio.** — M. **Solebant ab antiquissimis hominibus fallacia et adulatio.** — G. *et* M. **libenter haberi ; honestas autem et veritas bonitasque reprobari ; de qua re instruit nos subjecta fabula.** — (20) G. *et* M. Duo. — (21) M. alter.

agebant, cum ambularent, venerunt ad provinciam Symiorum (1). Quos Homines ut vidit unus ex multitudine Simiorum (2), qui se aliis priorem constituerat, jussit eos teneri et interrogari quid illi Homines de illo dixissent (3). Et jubet (4) omnes Symios (5) sibi similes adstare ante se ordine longo dextra lævaque et sibi ad sedendum contra parari, et (6), sicuti (7) viderat jam (8) imperatorem aliquando facere, taliter ante se eos stare fecit. Jubentur ergo (9) adduci illi Homines in medio. At ille major Simius ait (10) : Quid sum ego? Fallax dixit : Tu (11) es (fol. 162 *b*) imperator. Iterum interrogavit : Et isti, quos ante me videris (12) stare, quid sunt? Idem Fallax respondit (13) : Hi (14) sunt comites tui, primicerii (15), campi doctores, milites et cetera o[f]ficia (16), et pro hoc ille qui in mendacio (17) laudatus est, cum turba sua jussit eum (18) remunerari, quia (19) adulatus est, et omnes (20) illos fefellit. Ille autem Verax (21) hæc apud se aiebat : Si iste qui mendax est et omnia mentitur, sic est acceptus atque remuneratus (22), quid si ego verum dixero? Cum hæc secum deliberaret (23), ait Simius ille, imperatorem dici volebat : Dic, tu, quid sum ego et hi (24) quos qui se ante me vides? At ille qui (25) veritatem amabat semper et loqui verum consueverat, respondit : Tu Simius es et hii homines (26) Simii sunt similes tibi. Continuo jubetur lacerari dentibus et unguibus, quia quod verum fuit dixit.

Hoc modo fieri (et) a malis hominibus solet (27), ut fallacia et malitia ametur, et honestas vel (28) veritas laceretur (29).

(1) G. *et* M. Simiorum. — (2) M. *Verba* Quos homines, *etc. desunt.* — (3) M. dicerent. — (4) G. jussit. — (5) G. *et* M. Simios. — (6) M. et *deest.* — (7) M. Sic ut. — (8) M. jam *deest.* — (9) M. postea. — (10) G. ait *deest.* — M. dixit. — (11) M. Tu es rex, tu. — (12) G. videtis. — M. vides. — (13) M. dixit. — (14) G. Hii. — (15) M. primicii. — (16) M. habentes. — (17) M. mendaciter. — (18) G. illum. — M. eum *deest.* — (19) M. qui *pro* quia. — (20) M. homines *pro* omnes. — (21) G. *et* M. Homo. — (22) M. muneratus. — (23) M. deliberat. — (24) G. ii. — (25) M. qui *deest.* — (26) G. et ii omnes. — M. et omnes hi. — (27) M. fieri solet a malis hominibus. — (28) M. et. — (29) M. laceratur.

IX. — [EQUUS, CERVUS ET VENATOR.]

Fab. quod melius inimicitias reponas quam si cum non possis velis ulcisci (1).

Equus et Cervus iminicitias inter se dixerunt. Cumque videret Equus Cervum in omnibus aptum, excussum (2), leviorem et (3) corpore decorum, et arboreis cornibus ornatum, Equus, livore coactus, se ad Venatorem contulit. Cui ait : Est in prospectu Cervus omnibus ad videndum mirabilis (4). Quem si venabulo poteris transfigere, abundabis (5) pulcherrima carne ad escam; cujus cornua (6) et ossa pecunia vendes non parva. Ille Venator cupiditate accensus : Quomodo, ait, poterimus capere Cervum? (7) Equus Venatori dixit : Ego monstrabo capiendum meo labore Cervum. Tu vero sedens super me, cum (8) consecutus fuero, venabulo manu tua (9) excusso, vulnerato Cervo et occiso, tua (10) venatione perfecta gratulabimur ambo. Hoc dicto Venator super Equum ascendens, de loco Cervo moto (11), cum agitaret in cursum (12), Cervus, non immemor sui naturalis ingenii, celeres tendebat (13) pedes, transiliens (14) campos, in saltu (15) cursu veloci illæsus evasit. Equus vero cum sudore se (16) maceratum et fatigatum videret, sic dixisse sessori fertur (17) : Quo tendebam attingere non potui. Descende et vade solito more transigere vitam tuam (18). Cui contra desuper sessor : Non habes, inquit, potestatem currendi, quia frenum in ore habes, nec saltum dare, quia sella te premit. Si calcitrare volueris, flagellum in manu teneo.

(1) G. **Inimicitias reponere melius quam postea de inimicitiis dum se non valet ulciscere.** — M. **Inimicitias ponere melius est quam postea inimicitiis dum se non valet ulcisci.** — G. *et* M. **pœnitere, ut in præsenti probatur fabula.** — (2) M. excursum. — (3) M. velocem *pro* leviorem et. — (4) M. mirabile. — (5) M. habundabit. — (6) M. cornua, corium. — (7) M. Et. — (8) M. super me sedens. — (9) M. tua *deest*. — (10) M. pro tua. — (11) M. sedens, Cervum de loco motum. — (12) M. cursu. — (13) M. ostendebat. — (14) M. colles et. — (15) M. et. — (16) M. se sudore. — (17) G. ferunt. — (18) M. vade solitam trans agere vitam.

Illos increpat hæc (1) fabula, qui, cum aliis voluerunt (2) nocere, se potius subjugant (3).

X. — [ASINUS ET LEO.]

(Fol. 163 *a*). — **Fab. quod** (4) **multi credunt voce sua fortes terrere sicut debiles** (5).

Asinus e diverso occurrit Leoni. Cui sic dicere cœpit : Ascendamus in cacumine (6) montis, et ostendam tibi quia et me multi timent. Leo ridens ad (7) Aselli verba : Eamus, inquit. Cumque venissent (8) ad locum, stans cum fera Asellus in œdito (9) loco, voce emissa (10) clamare cœpit. Quem audientes Vulpes et Lepores currere cœperunt. Cui Leo contra sic dixisse ferunt (11) : Poterat et (12) me terrere (13) vox tua, si non (14) scirem quis esses.

Hæc fabula monet derideri hunc potius (15) debere, qui virtute facere nihil valet, et (16) verbis inanibus (se) (17) quemquam putat (18) terreri posse (19).

XI. — [CORVUS ET ALIÆ AVES.]

(20) Corvus, simulans se natalem (21) celebrare, Aves ad cœnam invitavit. Deinde ingressus clausit (h)ostium (22) et singillatim (23) cœpit occidere eas.

Hæc fabula facta est in illos, qui, opem hilariter tribuentes, contra (24) machinantur (25).

(1) M. hæc *deest.* — (2) G. aliis voluerint. — M. voluerint alios. — (3) M. subjungant. — (4) G. *et* M. *Verba* **Fab. quod** *desunt.* — (5) G. **et.** — M. **ac.** — G. *et* M. **pro hoc audiamus subjectam fabulam.** — (6) M. cacumina. — (7) M. ad *deest.* — (8) M. venisset. — (9) G. edituo. — (10) M. stans cum fremitu Asinus voce dimissa. — (11) G. *et* M. fertur. — (12) M. et *deest.* — (13) M. terrere me. — (14) M. te. — (15) M. rideri potius hunc. — (16) M. sed. — (17) M. se *deest.* — (18) G. putat se quemquam. — (19) M. quemquam terrere credit. — (20) G. *et* M. *Titulus deest.* — (21) M. simulas natale. — (22) G. ostium. — (23) M. singulatim. — (24) G. contraria. — (25) M. qui ad opem hilarem proficiscentes contraria patiuntur.

XII. — [LEO ET VULPIS.]

Leo jam (1) deficiens langorem (2) fingebat et per hoc (3) ceteræ bestiæ ad visitandum eum (4) introibant. Leo autem continuo edebat eos (5). Vulpis vero veniens ante speluncam (6) stetit et salutavit eum. Interrogata autem a (7) Leone : Quare non intrasti? respondit : Quoniam video introeuntium vestigia, exeuntium autem non video.

Sic quorundam periculum (8) doctrina nobis debet (9) esse nostræ salutis, quia in domum potentis facile quisquam intrat (10), exire vero (11) tarde est.

XIII. — [CORNIX.]

Cornix sitiens accessit ad urnam dimidiam aquæ, et (12) eam conabatur evertere (13). Sed quoniam fortiter stabat, non poterat eam movere. Quod cum videret, hoc (14) argumentum invenit : sumens (15) calculos (16) misit in urnam, et ex multitudine calculorum, aqua ex urna (17) sursum porrecta (18) est, et sic suam satiavit (19) sitim.

XIV. — [PUER ET SCORPIUS.]

Puer, in silva auguria captans (20), stetit super quemdam (21) lapidem, sub quo jacebat Scorpius (22); quem conabatur Puer (23) vertere. Cui Scorpius dixit sic : Vide, miser (24), ne, dum me captas, te ipsum perdas (25).

Præcipit (26) hæc fabula nihil tale audere, quod sit periculosum (27).

(1) M. jam *deest.* — (2) M. languorem. — (3) M. per eam fallaciam. — (4) M. eum *deest.* — (5) G. *et* M. eas. — (6) M. speluncum. — (7) M. a *deest.* — (8) M. quorumdam pericla. — (9) M. debent. — (10) M. intrat quisque. — (11) M. autem. — (12) M. hæc *pro* et. — (13) M. vertere. — (14) M. *Hæc quatuor verba desunt.* — (15) M. sumens *deest.* — (16) M. calculo. — (17) M. *Verba* ex urna *desunt.* — (18) M. perfusa. — (19) M. extinxit. — (20) M. ururias captas. — (21) G. quendam. — (22) M. Scorpius jacebat. — (23) M. pro ururia *pro* Puer. — (24) M. meser. — (25) M. latentem, vivus pereas. — (26) M. Præcepit. — (27) M. nichil periculosum audere.

XV. — [ASELLUS ÆGER ET LUPUS.]

(Fol. 163 *b.*) — **Fab. quod malorum hominum numquam fides credenda est** (1).

Asinum lassum Lupus visitabat, et cœpit corpus ejus tangere et interrogare, quæ membrorum partes ei maxime dolerent (2). Respondit Asellus : Quas tu tangis.

Si (3) homines mali, etiam si prodesse se fingant et bene loqui simulatorie velint, magis nocere festinant.

XVI. — [EQUUS ET TRES HIRCI.]

Fab. quod majoribus interdum minores solent inter se detrahere (4).

Ubi erant tres Hirci, viderunt (5) Equum timentem Leonemque (6) fugientem, et deridebant eum (7). Ille autem respondebat (8) eis : O desperati et ignari! (9) si sciretis quis me persequitur, non minus paveretis (10).

Sic ergo sæpius potentibus personis ab inferioribus detrhai (11) solet.

XVII. — [HOMO ET LEO.]

Fab. quod virtutis est aliquid factis probare (12).

Homo et Leo cum inter se certarent quis esset superior, et quærerent hujus altercationis (13) testimonium, cum venissent ad monumentum, ubi erat pictura quomodo Leo ab Homine suf-

(1) G. **Malorum hominum numquam fides credenda est. Hanc.** — M. **Malo homini nunquam fides adhibenda est ; at.** — G. *et* M. **per hoc audi fabulam.** — (2) M. quæ maxime partes ejus dolent. — (3) G. *et* M. Sic. — (4) G. **Aliquando minores solent inter se detrahere.** — M. **Aliquando minores inter se detrahere majoribus solent.** — (5) M. minores. cum viderent unum. — (6) M. *Verba* timentem Leonemque *desunt.* — (7) M. *Verba* et *etc. desunt.* — (8) M. respondit. — (9) M. Nam. — (10) M. qualem fugio, non de me rideretis. — (11) G. *et* M. detrahi. — (12) G. **Virtutis opus est factis aliquid probare ; hanc per hoc audi fabulam.** — M. **Virtutis opus factis aliquid probari debet, ac per hoc fabulam audi.** — (13) M. alteracationis.

focatur, ostendit Homo ille (1) testimonium in pictura. Cui Leo ait : Hoc ab Homine pictum est (2); nam, si Leo pingere nosset, pinxisset (3) quomodo Leo suffocasset Hominem. Sed (4) ego, inquit, dabo tibi verum testimonum (5). Deduxit (6) Leo Hominem ad (7) amphitheatrum, et ostendit illi vera fide quomodo Homo a Leone suffocatur. Et dixit : Hic color (8) testimonia non sunt, sed opus (9) veritate factum (10).

Hæc fabula probat mendacium colore (11) compositum a veritate cito superari, ubi est certa probatio.

XVIII. — [PULEX ET CAMELUS.]

Fab. quod multi, cum sint nihili, improbos se ipsos magnificant (12).

Pulex in Cameli sarcina, cum fuisset Camelus onustus, plaudebat se (13) esse meliorem. Longum iter cum agerent, venerunt simul ad vesperum in stabulum. Pulex vero statim se ante pedes Cameli excussit, et sic dixisse (14) fertur : Beni feci, inquit, ne te diutius gravarem. Et Camelus ad Pulicem (15) sic ait : Gratias ago, sed nec te imposito gravatus sum.

Hanc illi audiant fabulam, qui nec gravare, nec (16) juvare aliquando meliores possunt (17).

XIX. — [FORMICA ET MUSCA.]

Fab. (18) **de tardis et pigris** (19).

Hiemis (20) tempore Formica (21), frumentum ex caverna (22) trhaens (23), siccabat quod æstate colligens coagulaverat (24).

(1) M. illi. — (2) M. *Verba* Hoc, *etc. desunt.* — (3) M. sæpe pictum videres. — (4) M. Set. — (5) G. *et* M. testimonium. — (6) M. Induxit. — (7) M. in. — (8) M. colorum. — (9) M. non sunt opus, sed. — (10) M. facta. — (11) M. coloris. — (12) G. *et* M. **Aliquanti, cum nihil sint, ipsi se magnificant.** — G. **ut hæc auctoris brevis fabula narrat.** — M. **Sic auctoris brevis narrat.** — (13) M. sibi. — (14) M. Pulex. — (15) G. Culicem. — (16) M. nec *deest.* — (17) G. possunt meliores. — M. possunt melioribus. — (18) G. **Fab.** *deest.* — (19) G. **talem auctor retulit fabulam.** — M. *Titulus deest.* — (20) M. Hyemis. — (21) M. Formica *deest.* — (22) M. carverna. — (23) G. trahens. — M. trahens, Formica. — (24) M. accumulaverat.

Cicada autem eam rogabat esuriens, ut daret ei aliquid ciborum (1), ut viveret. Cui Formica (2) : Quid faciebas (3), inquit, in æstate? At illa : Dum me (4) vacabat, per (5) sepes oberrabam cantando. Ridens Formica frumentum inclusit et dixit (6) : Si æstate cantasti, hieme (7) salta.

Hæc fabula pigrum docet (8), ut tempore certo laboret, ne, dum minus habuerit (9), non accipiat.

XX. — [GLADIUS ET VIATOR.]

(Fol. 164 *a*.) — **Fab. quod** (10) **homo malus multos perdit** (11) **et ipse** (12) **solus perit** (13).

Gladium viator, dum ambulabat, jacentem invenit in via. Quem interrogavit : Quis (14) te perdidit? Cui contra telum : me quidam (15) unus, ego vero multos.

Hæc fabula narrat malum posse perire, sed ante multis (16) nocere posse (17).

XXI. — [OVIS ET CORNIX.]

Fab. (18) **de injuriis innocentum** (19).

Otiosa (20) quædam Cornix supra Ovem consedit (21) tondens (22) dorsum ejus. Hoc cum diu fecisset, sic ad illam Ovis dixisse fertur : Cani (23) si hæc fecisses, non ferres latratum (24) ejus nec iracundiam ardoris (25) illius. (26) Cornix talia Ovi ait : Collo quidem forti (27) sedeo, [et scio] (28) quem lacero (29),

(1) G. illi aliquid de cibo. — M. aliquid illi de cibo. — (2) M. ait. — (3) M. faciebat. — (4) M. Non mihi. — (5) M. per *deest*. — (6) M. includens ait. — (7) M. hyeme. — (8) M. *Verbum* docet *bis adest*. — (9) M. dum petierit. — (10) G. *et* M. *Verba* **Fab. quod** *desunt*. — (11) M. **perdidit**. — (12) M. **ipse** *deest*. — (13) G. *et* M. **ac per hoc audi fabulam**. — G. **istam**. — (14) M. Qui. — (15) G. *et* M. quidem. — (16) G. multos. — (17) M. set multos nocere. — (18) G. *et* M. **Fab.** *deest*. — (19) M. *Verba* **de** *etc., desunt*. — G. **Æsopus**. — M. **Esophus**. — G. *et* M. **fabulam narrat**. — M. **talem**. — (20) M. Ccisa. — (21) M. consedit super Ovem. — (22) G. *et* M. tundens. — (23) M. tamptato. — (24) M. hoc faciebas, non ferebas latratus. — (25) M. oris. — (26) G. Et. — (27) M. equidem fortibus. — (28) G. et scio. — (29) M. et scio lacessere debeo.

quia sum antiqua annis, improba innocentibus, amica autem asperis. Sic me creatam Dii esse (1) voluerunt.

Hæc fabula in illos dicta est, qui infimis et eorum innocentiæ injuriantur (2).

XXII. — ÆSOPUS DE SUA STATUA (3).

Scripta et ingenium Æsopi (4), ut agnoverunt, quod multarum semitarum amplissimas (5) faceret vias et pepercisset humilibus, dum alligaverit (6) multos, qui erant summi Athicorum (7), statuam posuerunt Æsopo (8), cui sustituti (9) sunt tituli (10) : Quoniam artis vias ingenio intellexi (11), mox fabulas edidi. Ideo Cives posuimus statuam, quod est alicujus laboris bona remuneratio, sic scientes sequi querelas (12).

XXXIII. — ÆSOPUS MAGISTRO RUF(F)O (13).

Memoriam tibi tradam, carissime (14) Ruf(f)e (15), meam, membranis habeto scriptam, et in candore quod mereris a me. Suscipe donum, ut pretiosum labium saxis diversi coloris (16) ornatum, jocundam (17) tuam vitam spectans (18), seniles annos, maturos (19) amicis, semper bonus (20) vivas, uxori luxuriosus vaces, famulis disciplinam ingeras (21). Tuorum vota bene cernas, et intentus legas fabulas, et ne forte lector existimet (22 lapsum me imprudentia (23), invenies in servis tuis esse narrandi vias. Nam (24) veteres et paucæ (25) olim fuere fabulæ; sed (26) ut majus fieret corpus, adjeci et (27) meas novas (28),

(1) M. esse *deest.* — (2) M. et innocentibus injuriant. — (3) G. **De statua sua Æsopus ad cives.** — M. **De statua sua Ysopus.** — (4) M. Ysopi. — (5) M. multorum semitas amplivimas. — (6) M. alligaverat. — (7) G. *et* M. Atticorum. — (8) M. Ysopo. — (9) G. substatuti. — M. cujus sub statua. — (10) G. circuli. — (11) M. intellexit. *Cetera verba usque ad fabulæ finem desunt.* — (12) G. querellas. — (13) G. MAGISTRO RUFO ÆSOPUS. — M. MAGISTRO RUFO YSOPUS. — (14) G. beatissime. — (15) G. *et* M. Rufe. — (16) M. diversis coloribus. — (17) G. jucundam. — (18) M. expectans. — (19) M. maturus. — (20) M. bonus *deest.* — (21) M. inferas. — (22) G. *et* M. æstimet. — (23) G. in imprudentiam. — M. inprudentia. — (24) M. et. — (25) M. pauci. — (26) M. sed *deest.* — (27) M. adiciet. — (28) M. nonas.

aperte ac (1) breviter scriptas (2). Apposui vera malis (3), composui integra bonis. Ostendi vias malorum, confirmavi bonorum. Sequatur quisque (4) quodlibet. Per hæc omnia (5) docto atque (6) intelligenti (7) (fol. 164 *b*) parvus non est labor meus, ut norit (8) quisque (9) fabularum cur (10) sit inventum genus, verum ipsam vitam hominum et mores ostendens (11), instruxi legere volentes (12).

Perscripsi Æsopi has fabulas die 30 Junii 1495, cum Fabium privatim interpretarer et græcis operam magis quam latinis impenderem. PETRUS CRINITUS FLORENTIÆ.

(1) G. *et* M. et.— (2) M. narravi *pro* scriptas.— (3) M. malignis. — (4) M. quis. — (5) M. Hic omni. — (6) M. et. — (7) G. intellegenti. — M. intellectuoso. — (8) M. et novit. — (9) G. *et* M. quisquis. — (10) G. quur. — (11) M. ostendi et. — (12) G. EXPLICIT LIBER IV FABULARUM ÆSOPI. — M. EXPLICIT LIBER YSOPHIARUM.

PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI

VETERUM IMITATORUM INDIRECTORUM

FABULÆ

TAM PROSAICÆ QUAM RYHTHMICÆ.

PARS PRIMA.

FABULÆ

TAM PROSAICÆ QUAM RHYTHMICÆ,
EX PRISCIS ROMULI FABULIS
DUNTAXAT ORTÆ.

ROMULEÆ FABULÆ,

A VINCENTIO BELLOVACENSI IN SPECULO HISTORIALI,
LIB. III, C. II-VIII INSERTÆ,
ET EX MENTELLINI SECUNDA EDITIONE EXTRACTÆ

(C. II.) — DE HESOPO ET FABULIS EJUS MORALITER FICTIS CONTRA CALUMNIOSOS ET INSIDIOSOS, CUPIDOS ET INCAUTOS, EUSEBIUS ET ACTOR.

Anno regni Cyri primo Hesopus a Delphis interimitur. Exstant Hesopi fabulæ elegantes et famosæ, quas Romulus quidam de græco in latinum transtulit et ad filium suum Tybe[r]inum dirigit, ita scribens : De civitate Attica Æsopus quidam, homo græcus et ingeniosus, famulos suos docet quid observare debeant homines. Et ut vitam hominum ostendat et mores, inducit aves et arbores bestiasque loquentes, probanda cujuslibet fabula. Id ego Romulus transtuli de græco sermone in latinum. Si autem legas, Tyber[t]ine fili, et pleno animo avertas, invenies apposita loca quæ tibi misceant risum et acuant satis ingenium. Verbi gratia :

I. (R. I, 2.) — [LUPUS ET AGNUS.]

Contra calumniosos fingit quod Agnus et Lupus sitientes ad rivulum e diverso venerunt. Sursum bibebat Lupus longeque inferior Agnus. Lupus, ut Agnum vidit, sic ait : Turbasti michi aquam bibenti. Agnus patiens dixit : Quomodo aquam turbavi? A te ad me decurrit. Cui Lupus : Maledicis michi, inquit. At ille : Non maledixi. Lupus vero : Pater, inquit, tuus multa michi mala ostendit. In fine altricationis Lupus improba voce dixit : Et adhuc michi loqueris, Latro? Statimque se in eum direxit, et innocenti vitam eripuit.

II. (R. I, 3.) — [MUS ET RANA.]

Contra illos quoque qui alienæ saluti insidias parant, fingit quod Mus, ut flumen transiret, auxilium a Rana petiit. Illa grossum filum petens, Murem ad pedem sibi alligavit et natare cœpit. In medio vero flumine Rana se immersit. At ille validius dum teneret vires, Miluus econtra volans Murem cum unguibus rapuit, simul et Ranam pendentem sustulit.

III. (R. I, 5.) — [CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.]

Præterea contra cupidos fingit, quod Canis flumen transiens partem carnis ore tenebat, cujus umbram cum vidisset in aqua, patefecit os suum ut illam caperet. Statim eam quam prius tenebat fluvius tulit, et illam quam esse sub aqua putabat obtinere non potuit.

Sic quisquis alienum quærit, dum plus vult, suum perdit.

IV. (R. I, 6.) — [VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.]

Item contra illos qui incaute sociantur potentibus, fingit quod Vacca et Capella, id est parva Capra, et Ovis fuerunt simul sociæ cum Leone. Qui cum in saltibus venerentur et Cervum caperent, factis partibus, Leo sic ait : Ego primus tollo, quia Leo. Secunda pars mea est, eo quod fortior vobis sim. Tertiam vero michi defendo, quia plus vobis cucurri. Quartam autem qui tetigerit inimicum me habebit. Sicque totam prædam illam sola improbitas abstulit.

V. (R. I, 8.) — [LUPUS ET GRUS.]

Item contra illos qui malos incaute juvant, fabulam componit, dicens : Ossa dum Lupus devoraret, unum ex illis transversum graviter in faucibus hæsit. Lupus magno pretio qui hoc malum extraheret invitavit. Rogabatur Grus longo collo ut medicinam præstaret Lupo : id egit ut caput mitteret et malum de faucibus extraheret. Sanato Lupo, Grus sibi reddi promissa

præmia petiit, et Lupus ait : O injuria meis virtutibus! Ingrata est illa Grus, quæ caput incolumis extulit non vexatum dente nostro et mercedem sibi postulat!

(C. III.) — DE EISDEM CONTRA VANE GLORIOS[OS], SUPERBOS, PRÆSUMPTUOSOS, CONTEMPTORES.

VI. (R. I, 14.) — [VULPES ET CORVUS.]

Item contra illos qui lauda(n)ti verbis subdolis gaudent et postea pœnitent, hanc fabulam fingit : Cum de fenestra Corvus occasione caseum raperet, altam arborem supersedit. Vulpes ut hunc vidit, de contra sic ait : O Corve, quis similis tibi et pennarum tuarum quam magnus est nitor! Qualis decor esset, si vocem claram habuisses! Nulla prior avis fuisset. At ille, dum placere voluit et vocem suam validius ostendere, sursum clamavit et ore patefacto caseum oblitus deicit, quem celeriter dolosa Vulpes avidius rapuit. Tunc stupens Corvus ingemuit ac deceptus pœnituit.

VII. (R. I, 15.) — [LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.]

Fingit etiam idem fabulam, homines in dignitate mansuetos esse commonentem hoc modo : Annis defectus et viribus, Leo cum graviter jaceret spiritum extremum trahens, Aper ad eum venit iratus, spumans fulmineis dentibus et ictum veterem vindicavit. Taurus etiam cornibus hostile corpus Leonis confodit. Azinus quoque, feram ut sic vidit, calcibus illi frontem aperuit, et ille, cum gemitu suspirans, sic dixisse fertur : Cum esset virtus mea, fuit honor, fuit timor, ut omnes visione mea fugerent, et opinio ipsa terreret plures. Quos autem benivolus non læsi, quibus et auxiliator fui, ipsi malignantur mihi, et quia sum sine viribus, nullus est honor pristinus.

VIII. (R. I, 16.) — [ASINUS DOMINO BLANDIENS.]

Item contra illos qui indecenter ad officia meliora reddenda indigni se ingerunt, hanc quoque fingit : Azinus quotidie videbat

Catello blandiri Dominum et de mensa ejus saturari, et familiam illi largiri plura. Sicque dixisse Azinus fertur : Si animal immundissimum sic diligit Dominus meus, ita et familia, quantum me, si obsequium illi fecero! Plus enim melior sum Cane, qui in pluribus rebus sum utilis; aquis et fontibus alor, cibus mundus mihi datur; melior sum Catello, meliori vita frui possum et maximum honorem habere. Cum hoc Azinus secum cogitasset, vidit Dominum introire; occurrit velocius, clamans prosiluit et superstetit; levans pedes priores imposuit ambos humeris Domini sui; lingua eum lingens linit, et maculans vestes fatigat Dominum pondere suo. Clamore autem Domini concitatur omnis familia; fustes et lapides arripiunt, Azinum faciunt debilem, membris costisque fractis. Sic abiciunt ad præsepia lassum atque semivivum.

IX. (R. I, 17.) — [LEO ET MUS.]

Item ad exhortandum ne quis minimos lædat, fingit quod, dormiente Leone in silva, mures agrarii luxuriebantur et unus ex illis super Leonem casu transivit. Expergefactus Leo celeri manu miserum Murem comprehendit. Qui veniam sibi dari rogabat, quia non sponte fecerat. Leo vero de Mure cogitat vindictæ quid esset in tali, si eum occideret, crimenque illi non gloria laudis esset. Ignovit igitur et dimisit. Post paucos dies ipse in foveam cecidit : qui ut se captum agnovit, magno dolore rugire cœpit. Mus autem, ut agnovit, ad eum cucurrit, et re cognita : Non est, inquit, jam quod tu timeas; parem gratiam reddam tibi, non immemor beneficii. Tunc omnes artis illius ligaturas lustrare cœpit et loca rodenda cognoscens, nervos secare dentibus et artis illius ingenia laxare cœpit; sicque Leonem captum liberum restituit.

(C. IV.) — DE EODEM CONTRA GULOSOS, TIMIDOS, PUSILLANIMES, ARROGANTES.

X. (R. II, 3.) — [CANIS FIDELIS.]

Contra gulosos qui ad unum prandium rem suam perdunt,

hoc quoque componit: Nocturnus quidam Fur cum Cani panem immitteret, Canis ait: Panis tuus non pro gratia datur : tu ideo das ut me lædas. Si modo panem michi porrigas, numquid postea daturus es michi cum fame victus fuero? Non præsentem tantum vitam volo, sed futuram provideo. Nolo igitur fauces meas pane claudas; sed nisi recesseris, ipse contra te latrabo, dominum ac familiam suscitabo, Furemque illis nuntiabo.

XI. (R. II, 5.) — [MONS PARTURIENS.]

Item contra illos qui vanis tumoribus nimis terrentur, sic fingit: Quidam Mons parturiebat et gemitus magnos dabat; omnis natio, ut audivit, timuit, cunctisque perturbatis, nullus sui memor erat. Mons ille tandem peperit murem. Hujus fama volat, et quod malum putabant in nichilum omnibus venit quos timor invaserat.

XII. (R. II, 9.) — [LEPORES ET RANÆ.]

Item contra illos, qui, nimis pusillanimes, statum suum ferre non possunt, sic componit : Cum strepitus magnus ad Lepores veniret subito, consilium inierunt, ut se præcipitarent propter assiduos metus. At ubi ad oram fluminis venerunt, Ranæ multæ quæ ibi erant expaverunt et in fluvium se jactaverunt. Cum hoc viderunt Lepores, unus illorum inquit : Sunt etiam et alii timentes; sequamur vitam ut ceteri, feramus si quid acciderit, neque erit toto tempore malum.

Quisquis ergo malum tolerare non potest, aliorum mala inspiciat.

XIII. (R. II, 16.) — [GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.]

Item ne quis de alienis bonis magnum se jactet ex[h]ortatur, fingens quod Graculus pennas Pavonum quæ ceciderant sustulit, et inde se ornavit suosque contempnere cœpit, et gregi se Pavonum miscuit. At illi ignoto et impudenti pennas injuriose eripiunt, calcibus eum ac morsibus fatigant. Miserque semivivus ab eis relictus, ad proprium genus redire timuit, ubi, cum

esset ornatus, multos injuriose terruit. Tunc unus ex eis ait illi : Si vestes tuas quas natura dedit amasses, hæc tibi sufficerent, nec ab illis injuriam passus, nec a nobis pulsus fuisses.

XIV. (R. III, 7.) — [CERVUS AD FONTEM.]

Item contra eos qui laudant sibi inutilia et vituperant utilia. Cervus, de fonte bibens, sua cornua magna ut vidit, nimium laudare cœpit; crura tenuia vituperavit. Quod cum faceret, venatorum voces ac repente latrare canes audiens, fuga per campum evasit. At ubi eum silva suscepit, magnitudo illa cornuum venantibus eum retinuit. Tunc, mortem suam videns, ait : Quæ michi erant utilia vituperavi et deceptuosa laudavi.

XV. (R. II, 18.) — [FORMICA ET MUSCA.]

Item contra eos qui se contentiose laudant. Formica et Musca contendebant acriter quæ melior earum esset. Musca ait : Numquid te nostris potes comparare laudibus? Ubi immolatur exta, prima gusto. In capite regis sedeo et omnibus matronis oscula dulcia figo. De quibus rebus tu nichil facis. Formica ait : Contra te hoc tu dixeris; improba pestis, laudas importunitatem tuam. Numquid optata venis? Reges et matronas quos nominas tu importuna adis, et tua omnia esse dicis, cum ubi accedis fugaris et undique quasi injuriosa abigeris. Æstate vales; bruma non appares. Ego vero deliciosa hyeme sum secura meque sequentur gaudia. Tu vero ventosa flabella pelleris sordida.

(C. V.) — DE EODEM CONTRA SUPERBOS, PAUPERES ET DIVITES, ET CONTRA INFIDOS VEL INSTABILES.

XVI. (R. II, 21.) — [RANA RUPTA ET BOS.]

Item contra pauperem superbum. In prato quodam Rana vidit pascentem Bovem; putabat se posse fieri talem, si rugosam impleret pellem, et inflans se natos suos interrogavit : Sum ipsa quanta Bos? Dixerunt non. Iterum inflavit se potius

et dixit suis : Quid modo? Responderunt : Nichil simile. Tertio cum se inflaret, rupta pelle mortua est.

Ideo vulgo dicitur : Noli te inflare ne crepes.

XVII. (R. III, 3.) — [EQUUS ET ASINUS.]

Item qui felices se æstimant nulli injuriam faciant. Equus quidam, ornatus freno ex argento et auro sellaque decora, occurrit Azino in augusto de longe venienti et onusto, et quia illi transeunte (*sic*) tardius dederat viam eo quod itinere lassus erat, dixit Equus : Nisi me satis continerem, te calcibus rumperem qui obvianti michi non redisti aut stetisti ut transirem. Terrore igitur et superbia illius tacuit et ingemuit miser Asellus. Nec multo post Equus, currendo ruptus ac macer effectus, jussu domini sui ad villam ductus est, ut agris portaret stercus, acceptisque rusticis ornamentis, per semitam ibat onustus. Quem tam infelicem in prato pascens ille agnovit Asellus, talique sono increpavit : Quid tibi profuerunt illa pretiosa ornamenta, ut talem haberes audaciam? Nunc et tu nostris utere nobiscum rustici(i)s officiis.

XVIII. (R. III, 4.) — [VOLUCRES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.]

Item contra illos qui a suis infideliter transeunt ad alienos. Quadrupedes cum Avibus bellum gerebant, nullaque pars alii cedebat; sed fortiter ac diu pugnabant; ac Vespertilio, dubius et graves eventus timens, quia superior erat et magna acies Quadrupedum, contulit se ad eosdem quasi cum vincentibus. Subito veniens Aquila Volucribus se miscuit, et cedentibus Quadrupedibus victoria Avium stetit, reversique sunt ad pristinam pacem Aves et Quadrupedes. Vespertilio igitur, Avium sententia damnatus eo quod suos reliquisset, plumis suis expoliatus est, ut lucem fugiens noctibus nudus volaret.

Sic qui se duabus partibus obnoxium commisit, hic et illic ingratus vivit et sibi potius reus erit.

(C. VI.) — ITEM CONTRA INSIDIOSOS ET IMPRUDENTES ET LIBERTATIS SUÆ VENDITORES.

XIX. (R. III, 5.) — [LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.]

Item contra insidiosos. Invido Lu[s]ciniæ cum Accipiter sederet ut specularetur auras, parvos illic pullos invenit. Lu[s]cinia cito supervenit et rogabat parcere pullis suis. Faciam, inquit, quod vis, si bene michi cantaveris. At illa, quamnis (*sic*) animus exciderit, tanto metu coacta, pavens et dolore plena cantavit. Accipiter qui prædam invenerat : Non bene cantasti, inquit, prenderetque unum de pullis suis et devorare cœpit. E diverso autem Auceps quidam venit, et calamo lento levans Accipitrem visco contractum in terram stravit.

Sic qui allii insidiatur, timere debet ne capiatur.

XX. (R. III, 14.) — [HOMO ET ARBORES.]

Item ne quis hosti arma præstet. Securis cum facta esset, Homo postulabat ab Arboribus ut illi manubrium darent de ligno quod firmum esset. Quo facto, Homo manubrium sumpsit, et, aptata securi, ramos ac robora magna et omnia quæ voluit incidit. Tunc Fraxino Quercus ait : Digne et bene patimur qui roganti hosti nostro, ut cæci, manubria dedimus.

Ideo quis ante cogitet ne hosti aliqua præstet.

XXI. (R. III, 15.) — [CANIS ET LUPUS.]

Item ad commendationem libertatis fingit quod, Canis et Lupus in silva dum convenirent, ait Lupus Cani : Unde, frater, sic nitidus et pinguis es? Qui respondit : Quia domi custos sum contra latrones. Affertur michi panis, dat dominus ossa, amat me tota familia, quisque michi cibum porrigit, aqua non deest, sub tectis cubo, et sic otiosus vitam gero. Cui Lupus : Bene, inquit, frater, vellem michi ista contingerent, ut otiosus saturarer cibo, et melior viverem sub tecto. Canis ait Lupo : Si vis esse tibi bene, veni mecum, noli timere. Cumque simul ambu-

larent, vidit Lupus Canis collum cathena tritum, et ait : Quid hoc est, frater, quod jugum attrivit collum tuum? Et Canis : Quia sum, inquit, acrior, interdum ligor; nocte solvor; inter duos domos vagor et ubi volo illic dormio. Cui Lupus : Non est, ait, opus michi istis frui quæ laudasti; vivere volo liber, quodcumque venerit michi; liber ubi volo peragro. In eo quod placet nulla cathena me tenet, nulla me impedit causa; viæ michi patent in campo; de grege prius gusto; canes ingenio deludo. Vive ut consuevisti; ego, ut consuevi, ita vivo.

(C. VII.) — CONTRA INVIDOS, PIGROS ET AVAROS, IGNAVOS, JACTANTES ET ADULATORUM FAUTORES.

XXII. (R. III, 16.) — [MEMBRA ET VENTER.]

Item contra pigros qui laborare nolunt, fingit indignatos Manus et Pedes Ventri cibum dare noluisse, eo quod sine ullo repleatur labore; illoque sedente otioso, contra eum indignantes, laborare noluerunt, et ei servitium negaverunt. Venter vero esuriens clamabat. At illi per paucos dies nichil dare voluerunt. Jejuno autem Ventre Membra omnia laxaverunt. Postea vero cibum dare volentes recusat Venter, quia jam clauserat vias, sicque Membra et Venter simul lassa interierunt.

XXIII. (R. III, 17.) — [SIMIUS ET VULPES.]

Item contra invidiam et avaritiam fingit quod Simius Vulpem rogavit ut de magnitudine caudæ sibi daret, unde nates turpissimas tegeret. Quid enim, inquit, utile, ut sit pondus sine causa tantæ longitudinis caudæ quam per terram trahis? Cui Vulpes ait : Longior fiat et major, ut per terram illam traham, sive per petras et spinas et lutum, ne tu meo tegmine pulchrior videaris. Locuples, inquit, et avare, te nunc fabula increpat, quod non das quod tibi superat.

XXIV. (R. III, 18.) — [NEGOCIATOR ET ASELLUS.]

Item contra illos qui, tædio victi et labore, mortem deside-

rant. Quidam fuit Negociator in via, qui onustum Asellum flagello et fuste cædebat, ut veniret citius ad nundinas, lucri causa(s). Asellus autem mortem optabat, putans se post esse securum, lassatus et quassatus. De illius pelle fiunt tympana et cribra quæ semper baccuntur, et qui putabat se fore securum, post mortem cæditur.

XXV. (R. IV, 1.) — [VULPES ET UVA.]

Item contra illos qui facere non possunt, verbis tamen se posse et velle (*sic pro* nolle) ostendunt. Fame coacta, Vulpes uvam sursum aspexit pendentem, et alto gradu se excutiens, quotiens hoc voluit attingere sursum, non potuit. Tandem irata : Nolo te acerbam et immaturam, inquit, et quasi eam tangere nolens abiit.

XXVI. (R. IV, 8.) — [HOMINES DUO, FALLAX, VERAX ET SIMII.]

Item contra adulatores et eorum fautores. Duo Homines, unus Fallax et alter Verax, cum ambularent, venerunt in provinciam Simiorum. Quos ut vidit unus eorum qui se priorem aliis constituerat, jussit Homines illos teneri et quid de ipso dixissent interrogari. Jussit quoque omnes Simios sibi similes ante se et dextra et lævaque astare, sibique sedem contraparari sicut viderat imperatorem aliquando facere. Jubentur ergo Homines illi in medium adduci, dixitque major ille Simius : Quid sum ego? Fallax ait : Tu es imperator. Et iterum ille : Et isti quos ante me vides stare? Qui respondit : Hi sunt comites tui, primicerii, milites et cetera officia. Ille ergo in mendacio laudatus est et munerari jussus, quia adulatus est et omnes illos fefellit. Ille autem verax Homo hoc apud se aiebat : Si iste qui mendax est, sic est acceptus et muneratus, ego quid si verum dixero? Interrogatus ergo ab illo Simio : Dic, tu, quid sum ego et hi quos ante me vides? Ille qui veritatem amabat, respondit : Tu Simius es et omnes hi Simii sunt similes tibi. Continuo jubetur lacerari dentibus et unguibus, quia quod verum est dixit.

Hoc modo fieri solet a malis hominibus, ut fallacia et malitia ametur et honestas et veritas laceretur.

(C. VIII.) — ITEM CONTRA ARROGANTES ET PIGROS ET QUALITER HUJUSMODI FABULIS UTENDUM SIT.

XXVII. (R. IV, 10.) — [ASINUS ET LEO.]

Item contra illos qui virtute nichil facere valent et verbis inanibus alios terrent. Azinus e diverso Leoni occurrit et sic ait : Ascendamus in cacumen montis et ostendam tibi quia et multi me timent. Leo ridens ait : Eamus. Cumque venirent ad locum, stans Asellus in edito loco voce dimissa clamare cœpit. Quem audientes Vulpes et Lepores currere cœperunt. Cui Leo ait : Poterat et me terrere vox tua, si non te scirem quis esses.

XXVIII. (R. IV, 12.) — [DE LEONE ET VULPE.]

Item contra illos qui domos potentum facile intrant. Leo jam deficiens languorem fingebat, et per hanc fallaciam, cum ceteræ bestiæ ad visitandum eum introirent, mox eas co(m)medebat. Vulpes autem, ante speluncam veniens, stetit et salu-vit eum. Interrogata a Leone : Quare non intrasti, respondit : Quoniam introeuntium vestigia video, exeuntium autem non video.

XXIX. (R. IV, 19.) — [FORMICA ET CICADA.]

Item contra pigros. Formica hyeme frumentum ex caverna trahens siccabat quod æstate colligens coagulaverat. Cycada autem eam rogabat esuriens ut daret aliquid illi de cibo, ut viveret. Cui Formica : Quid faciebas, inquit, in æstate? At illa : Non michi vacabat : per sepes oberrabam cantando. Formica igitur, ridens et frumentum includens, ait : Si æstate cantasti, hyeme salta.

Hæc fabula pigrum docet ut certo tempore laboret, ne, dum minus habuerit, non accipiat, cum petierit.

ACTOR.

Hæc de fabulis Hesopi ex[c]erpere volui, quas et si forte plurimum liceat in sermonibus publicis recitare; quod et nonnulli prudentium faciunt propter audientium tædia relevanda, qui talibus delectantur, simul et propter integumenta subjuncta quæ aliquid ædificationis habere videntur. Nunquam tamen, nisi caute et parce, id æstimo faciendum, ne qui verbis sacris ad luctum pœnitentiæ Deique devotionem provocari debent, ipsi per hujusmodi nugas in risum magis atque lasciviam dissolvantur, simul etiam ne ad narrandas fabulas quasi licenter exemplo prædicantium male informentur. Ceterum, utrum Hesopus iste sit ille quem Eusebius a Delphis anno primo Cyri peremptum esse testatur, an forsitan alius, incertum habeo. Nunc autem ad hystoriam redeo.

ROMULEÆ FABULÆ,

EX VINDOBONÆ CODICIBUS MSS. LATINIS 303 ET 901
ET BEROLINI CODICE MS. LATINO OCT. 87
NUNC PRIMUM IN LUCEM PROLATÆ.

I.

VINDOBONÆ CODEX LATINUS 303.

(Fol. 132 *a*.)

INCIPIT EPISTOLA ROMULI AD TYBERINUM FILIUM SUUM.

PROLOGUS IN FABULAS ÆSOPI.

Romulus Tyberino filio de Civitate salutem. Æsopus, quidam homo græcus et ingeniosus, famulos suos docuit quid homines observare debeant. Verum ut vitam hominum et mores ostenderet, inducit aves, arbores, bestias et pecora, loquentes, probanda cujuslibet rei fabula, ut norint homines cur sit inventum genus fabularum, aperte et breviter narravit. Apposuit vera malis, conposuit integra bonis, scripsit etiam calumpnias malorum, argumenta inproborum docens, infirmos humiles fore, verbaque blanda potius cavenda, et cetera multa, atque miserias hiis exemplis descriptas. Ideo ego Romulus transtuli de græco sermone in latinum. Si autem legeris, Tyberine fili, et pleno advertis animo, invenies apposita loca quæ tibi multiplicant risum et acuunt satis ingenium.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER FABULARUM ÆSOPI GENTILIS, QUI PRIMAM FABULAM DIXIT DE SE.

I. — [LUPUS ET AGNUS.]

De innocente et reprobo.

Agnus et Lupus sitientes ad quendam e diverso venerunt rivum. Superius bibebat Lupus, Agnus autem inferius de rivo bibebat. Lupus, ut Agnus (*sic*) vidit, sic ait : Cur turbasti mihi aquam bibenti? Agnus patiens ait : Quomodo aquam turbavi tibi, quæ a te ad me decurrit? Lupus non erubuit mendacium præferre veritati. Maledicis (dicit), inquit, mihi. Agnus ait : Non maledico verum dicens. Lupus dixit : Ergo et pater tuus fuit hic, qui ante sex menses (qui) mihi pari modo fecerat. Agnus ait : Numquid ego natus fui tunc? Sicque Lupus inproba facie dixit : Et adhuc loqueris, latro? Et statim insiluit in eum ac innocenti vitam abstulit.

Hæc de illis dicta fabula est qui non juste calumpniantur homines.

II. — [PULLUS AD MARGARITAM.]

Hanc fabulam narrat Æsopus hiis qui eum non intelligunt.

In sterquilinio quidam Gallus, dum quæsivit escam, invenit Margaritam in indigno loco jacentem. Quam ut vidit, sic ait : Bona res, in stercore jaces. Te si cupidus invenisset, quo gaudio te rapuisset, ita ut redires ad splendorem pristinum decoris tui! Ego inveni te in hoc loco jacentem; potius mihi escam quæro, nec ego tibi prosum nec tu mihi.

Hæc illis Æsopus narrat qui eum minus intelligunt. Quid prodest stulto divitias habere, cum non possit sapientiam emere?

III. — [MUS ET RANA.]

Qui alii fodit foveam, ipse sæpius incidet in eam. Aliter, qui de salute alterius adversa cogitat, non effugiet ea.

Mus, cum vellet flumen transire, a Rana petiit auxilium. Annuens illa petitioni, linum grossum poposcit. Quo sibi alligato Mure, natare cœpit. Sed medium cum venisset in gurgitem, Rana, se inferius mergens, Muri misellæ vitam finivit. Turgente autem Mure, Rana simul sursum levatur; Milvus pendentem desuper cernens escam unguibus rapuit, Ranamque simul sequentem abstulit.

IV. — [OVIS, CANIS, LUPUS, MILVUS ET ACCIPITER.]

Qui veritate non potest, sæpe multitudine iniquorum prævalet.

Canis calumpniosus dixit reddi sibi debere panem ab Ove quem dedisset mutu(ti)um. Contendebat nunquam se ab illo panem accepisse. Cum autem judices exirent vel venirent, Canis dixit se habere testes. Introductus Lupus ait : Scio panem accom[m]odatum Ovi. Introductus Milvus : Me coram accepit, ait. Accipiter autem, cum introisset : Quare negasti, inquit, quod accepisti? Victa Ovis a tribus falsis testibus judicabatur arc[t]ius reddere. Coacta autem ante tempus lanam (lanam) suam dicitur vendidisse, ut quod non accepit redderet.

Sic calumpniosi faciunt mala innocentibus et miseris.

V. — [CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.]

Qui cupit alienum, hic sæpe amittit proprium.

Canis, flumen transiens, partem carnis ore tenebat. Cujus umbram cum vidisset in aqua, majorem suspicatus est. Sed, patefaciens os ut illam caperet, amisit illam quam prius ore tenebat.

Sic, dum quis cupit plus alienum, suum perdit.

VI. — [VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.]

Pauper et dives numquam bene conveniunt.

Vacca et Capella atque Ovis sodales fuere et Leo. Inierunt autem consilium, ut venationem simul exercerent. Tunc cervum capientes, dividens Leo ita fatur : Ego primus tollo ut Leo; nam et secunda pars jure mea est, eo quod sum fortior vobis; tertiam vero nichilominus mihi defendo, quia plus vobis cucurri; quartam vero qui tetigerit, inimicum me habebit. Sic totam prædam ille solus inprobitate sua abstulit.

Cunctos monet hæc fabula non potentibus sociari.

VII. — [RANÆ AD SOLEM.]

A natura nemo immutatur, sed de malo pejor nascitur.

Vicini qui erant furis frequentabant nuptias. Cum intervenisset sapiens quidam, vicinos ut vidit sibi congratulantes, narrare cœpit : Audite, quæso, gaudia : Sol uxorem ducere [voluit]. Quod omnis natio interdixit et magno clamore convitiisque Jovem hæc [non] celavere. Juppiter, conmotus ex illis, causas injuriæ quærit. Tunc unus ex illis ait Jovi : Modo Sol unus est, et æstu suo omnia turbat ita (fol. 132 *b*) (ita) ut pene deficiat omnis natura. Quidnam erit nobis futurum, cum Sol creaverit filios?

Ammonet hæc fabula malis (malis) hominibus non congratulari.

VIII. — [LUPUS ET GRUS.]

Qui malo bene facit, se remunerat ipse.

Ossa cum devoraret Lupus, unum ex illis ejus adhæsit gutturi transversum graviter. Invitavit autem Lupus magno pretio qui extraheret hoc malum. Rogabatur Grus longo collo ut pararet Lupo medicinam. Grus, statim mittens caput in guttur Lupi, extraxit malum de faucibus. Sanus dum foret

Lupus, rogavit Grus petitorem reddi sibi præmia promissa. Et Lupus fertur dixisse : Ingratum est illi Grui quod caput extulit incolome (*sic*) non læsus (*sic*) dente nostro et mercedem majorem postulat. O injuria meis vir[tut]ibus!

Hæc fabula monet eos qui volunt benefacere malis.

IX. — [CANIS PARTURIENS.]

Per blanda verba astutorum sæpe injuriantur simpliciores.

Canis parturiens rogabat alteram Caniculam, ut in ejus cubile exponeret fœtum. At illa roganti ingressum concessit. Cum vero exposuisset partum, adultis catulis, petebatur ut exiret. At illa roganti non cessit. Paulo post tempore cœpit illam arc[t]ius cogere ut hinc migraret. Et illa ex stomacho vel stomachando : Quid, inquit, te turbas cum injuria? Si michi et huic turbæ occurreris, aut si es fortior nobis, reddemus tibi locum.

Aliquando boni sic amittunt sua, qui per verba blanda aliis credunt.

X. — [HOMO ET COLUBER.]

Qui malo fert auxilium, sciat sibi peccatum esse, quia, dum illum adjuvat, sibi ipsi nocet.

Frigore et gelu undique rigente, quidam, causa pietatis, Colubrum ad se sustulit, et cum intra atria sua tota yeme fovens servavit. Refectus autem ad tempus, cœpit esse injuriosus ac veneno multa fœdare. Et cum ille qui eum sustulit, illum cum gratia exire vellet, injuriosus nec sponte exire voluit, nec repelli potuit.

Hanc fabulam sciant omnes, qui pietate quidem sua ali quos ingratos fovent, qui, eos dum deinceps desistere volunt, nocent.

XI. — [ASINUS INRIDENS APRUM.]

De male subridentibus dicitur talis fabula.

Aliquanti homines, cum sibi faciunt risus, aliis inferunt contumeliam, et sibi malum asciscunt, veluti Asinus occurrens Apro. Salve, inquit, ave, frater. Indignatus Aper tacuit, ac dissimulans iram agitavit caput. Absit tamen a me, inquit, ne de vano sanguine dentes meos coinquinem. Nam me oportebat te injuriosum vel laceratum dimittere.

Monet hæc fabula insipientibus parci debere, stultos docere, ne melioribus audeant insultare.

XII. — [MUS RUSTICUS ET URBANUS.]

Securius vivit pauper quam dives.

Mus urbanus iter agebat, et receptus est in (h)ostium Muris Agrestis. Qui mensam apposuit, inferens glandem et [h]ordeum. Sed convivio peracto, rogabat Urbanus Sorex Agrestem Murem secum venire ad delicias reconditas suas. Consensit ille. Et ingrediuntur ambo in honestam domum, in qua erat cellarium omnibus plenum bonis. Cum hæc ostenderentur, ait Mus Muri : Fruere mecum, amice, quæ nobis cot(t)idie supererunt. Cumque multis cibariis uterentur, venit Cellarius festinans et (h)ostium cellarii oppido impulit Muresque perterruit, ita ut fugam tenuerint. Nam Mus Urbanus notis cavernis citius abscondit; Agragius (*sic*) autem fugit per parietes, ignarus quo potius fugeret, et vix aufugit non captus. Ast ubi Celerarius (*sic*) clauso (h)ostio exierat, Mus Urbanus Agresti aiebat : Quid te, o conpar, turbasti fugiendo. Nihil verearis, sed fruamur istis bonis. E contrario Agrestis : Tu, inquit, hiis solus fruere bonis, nec timeas, nec pavescas, nec perturbatio moveat te, et ego, dum vivo, agro fruar, quocumque lætus, ubi nec timore nec perturbatione movear. Nam tu vivis semper sollicitus, et nulla adest satietas. Attensa in muscipula capie-

ris, aut ab inimico Catto comederis, et ego laboribus meis vivens securus assideo.

Hæc fabula illos increpat qui fingunt se melioribus (melioribus), quod sæpe non cedit in prosperum. Diligant homines frugalem vitam, et securi vivunt in casella sua.

XIII. — [VULPES ET AQUILA.]

Potentiores metuere habent aliquando infirmiores.

Vulpi catulos Aquila rapuit portavitque pullis suis in nidum escam daturus. Prosecuta autem Vulpes Aquilæ supplicavit pro catulis. Quam illa contempsit cen inferiorem sibi. Vulpes, plena dolo, ab ara rapuit ignem, id est faculam ardentem, arboremque circumdedit favilla collecta. Cumque fumus et flamma perstreperent, Aquila, dolore pulsa natorum, ne flammis simul perirent, reddidit supplex catulos Vulpi illæsos.

Hæc fabula docet homines ne quis insultet inferiori, ne forte incendatur ab aliqua flamma.

XIV. — [AQUILA, CORNIX ET TESTUDO.]

Qui tutus ac munitus est per se, a malo consiliante subverti potest.

Aquila Testudinem rapuit atque ad alta cœli volavit. Et Testudo, introrsum se colligens, nulli potuit periculo tangi. Contra volans Cornix laudavit Aquilam verbis. Optimam, inquit, fers prædam; sed ejus ostento tibi ingenium, quia sine causa portas onus, nichil factura viribus. Tum Aquila illi partem promisit (fol. 133 *a*) cœpitque Cornix consilium dare : Usque ad astra, inquiens, volato, ac perspice ut sint deorsum loca petrosa, subitoque prædam dimittas ab alto, et cornibus fractis utamur escis. Sic Aquila fecisse dicitur, et quod natura munierat, iniquo consilio periit.

XV. — [VULPIS ET CORVUS.]

Qui dolose laudatur decipitur.

Cum de fenestra caseum raperet Corvus, alta consedit in arbore. Vulpis, ut hunc vidit, contra sic ait Corvo : O Corve, quis similis tibi? Et pennarum tuarum quam magnus est nitor! O qualis decor tuus est! Et si vocem haberes claram, nulla avis te prior. At ille, dum vocem suam ostendere vellet, validius sursum cœpit clamare. Sic, ore patefacto, caseum amisit, quem celeriter cadentem Vulpis dolosa suscepit, rapuit et aufugit. Ille pœnitentia ductus, licet non predesset (*sic pro* prodesset), pœnituit.

XVI. — [LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.]

Qui amisit (amisit) dignitatem, deponat audaciam, ne a quolibet patiatur injuriam.

Annis et viribus defectus, Leo cum gravatus jaceret et semivivus, spiritum extremum trahebat. Tum Aper venit ad eum iratus ac spumans, fulmineisque dentibus vindicavit ictum pristinum. Deinde T(h)aurus hostile corpus Leonis cornibus perfudit. Hoc quoque Asinus cernens calcibus illi frontem contundit. At ille, cum ingenti gemitu suspirans, sic dixisse fertur : Cum esset virtus mea, fuit honor, fuit et timor, ut omnes viso me fugerent, et opinio ipsa terreret plurimos. Nunc autem quos, ait, benivolus non læsi aut quibus auxiliator ex[s]titi, ipsi indignantur mihi, et quia sum sine viribus, nullus est honor mihi pristinus.

Monet hæc fabula multos in dignitate esse mansuetos.

XVII. — [ASINUS DOMINO BLANDIENS.]

Nemo se intromittat de sibi incongruis operibus.

Asinus cot(t)idie cernens Dominum suum blandiri Catello, eumque ex mensa cibari, et familiam illi plura largiri, fertur sic dixisse : Si animal inmundissimum sic Dominus meus

diligit et tota familia, quanto magis me, si obsequio et affectui me familiarem ostendo! Nam Cane melior sum, multisque rebus utilior, et quia sacris fontibus alor cibusque mundior mihi donatur, melior sum Catello et ideo meliore vita queo frui et maximum honorem habere. Cum autem Asinus hæc secum cogitasset, vidit Dominum domus introire occurritque velocius; clamans stansque coram, prosiliit altius, levatosque pedes priores inposuit super humeros ex utroque latere Domini sui, ac lingua sua linxit eum et guttulis ex ore fluentibus vestem maculavit, nimioque pondere fatigabat Dominum suum. Ergo ex clamore Domini illius concitatur familia, fustes lapidesque arripiunt, Asinum debilem faciunt, menbris (*sic*) costisque fractis ad præsepia traxere semivivum.

Hæc fabula monet ne quis se dignum ingerat ut melioris officium faciat.

XVIII. — [LEO ET MUS.]

Innocens si peccat sed non sponte, eo magis danda est venia, ne forte sit ubi ulciscatur se.

Dormiente Leone in silva et Muribus agrestibus luxuriantibus, contigit unum ex illis super Leonem non voluntarie venire. Qui expergefactus celeri manu apprehendit Murem miserrimam. Rogare itaque vehementer cœpit veniam sibi dari, eo quod inscius et absque voluntate Leonem inquietasset dormientem. Reddidit enim causam peccati sui, quod plures ibi luxurientur, et quod solus inter ceteros in eo peccasset supplex fatetur. Leo vero anceps patilo (*sic pro* paulo) substitit, dubitans utrum se ulcisci an ignoscere deberet. Crimen putans haut parvum sibi inminere si Mus ab eo occideretur, ignovit atque dimisit. Post paucos autem dies Leo in foveam cecidit, captumque ut se cognovit, alta voce rugire cœpit. Mus autem, ut audivit, ad eum usque cucurrit, quid ei evenire potuerit inquirens. At ubi captum co(n)gnovit : Non est, inquit, jam quem timeam, quin pristinam gratiam tibi reddam. Non enim inmemor sum beneficii. Dixit et omnes arcis (*sic pro* artis) illius

ligaturas lustrare cœpit et dentibus nervos secando rodere festinat. Laxabatque arcis illius ingenia. Et ita Mus Leonem solvit ac silvis restituit.

Monet hæc fabula ne quis minimum [lædat].

XIX. — [AVES ET HIRUNDO.]

Qui non audit bonum consilium, inveniet malum.

Spargi et arari lini semen cum omnes Aves viderent, pro nichilo habuerunt. Hyrundo autem hoc intelligens, convocatis Avibus, retulit malum esse omnibus illis hoc. Dissimulantes autem Aves omnes risere. Deinde, quando fructificavit supradictum semen in terra, Hyrundo ait Avibus : Malum est hoc; venite, eruamus illud; nam, cum creverit, retia ex hoc machinantur, ut humanis manibus capi possimus. Sed tunc, sicut prius, omnes deriserunt consilium Hyrundinis ac verba ejus penitus sprevere. Animadvertit Hyrundo hoc, et contulit se ad homines, ut tuta esset sub tectis eorum. Ast ceteræ Aviculæ, quæ monita ejus subsannavere, ad hoc sunt ut semper in retibus capiantur.

XX. — [RANÆ REGEM PETENTES.]

Omne genus fabularum probatur editum esse contra homines. Quis enim malus nisi homo, et quis bonus nisi homo? Vitam hominum et mores satis esse nobis comprehendere, et inde ausus sum breviter conscribere fabulas, unde quisque magis sibi provideat. Dicam equidem bonorum et innocentum gesta, quod ille securus vivat, qui non habet quem timeat.

Athenienses, nimis boni et optimi cum forent ac liberi et neminem timerent et sibi invicem servirent cum bona voluntate, consilium vanum adepti, majorem (fol. 133 *b*) sibi petierunt donari sibi regem qui inprobos conpesceret ac puniret. Exinde multi terrebantur : alii prædam patiebantur, alii puniebantur, et qui sub correptione dolebant hoc sibi fecisse, quod miseri lædebantur, ex hac lege metuebant grave periculum;

non quia ille judex nimium crudelis fuisset, sed quia ipsi potius insueti erant sub lege vel sub aliena voluntate deservire, hoc illi[s] grave onus erat, et conversi in pœnitentiam triste negotium lugebant. Tunc Æsopus illis contra talem fabulam refert.

Qui proprio arbitrio non est contentus, dignus est ut alieno coerceatur imperio.

Ranæ, vagantes in solitis ac liberis paludibus ac stagnis, clamore magno ad Jovem facto, petierunt sibi rectorem qui errantes corrigeret. Et cum hoc vellent impetrare, subrisit Jupiter. Et cum iterum clamarent, nichilque responsi perciperent, instantius clamabant. Tunc Jupiter pius innocentibus misit in stagnum lignum, magnum tygillum. Quo sono omnes fugierunt. Postea vero una ceteris audacior, volens cognoscere regem ipsarum, protulit caput super stagnum, et, cum vidit lignum, advocat. Illæ una natantes pavide suum rectorem salutavere. Sed, ut agnoverunt nichil aliud esse nisi mutu(u)m lignum ac insensibile, concitæ, supersalientes, cœperunt conculcare. Tunc illæ iterum cœperunt rogare pro alio rege, regis sibi dati pigritiam conquerentes. Tunc illis Jupiter misit [h]ydrum, id est colubrum miræ magnitudinis, qui statim singulas necare cœpit. At illæ voces cum lacrimis omnes ad sidera tollunt, dicentes : Succurre, Jupiter, succurre; en morimur cunctæ. Tum Jupiter intonans ab æthere ita respondisse fertur. Cum vos peteretis, nolui; cum darem vobis pium, conculcantes respuistis et inmensum petistis, et quia noluistis bonum sufferre, malum sustinete.

XXI. — [COLUMBÆ ET MILVUS.]

Qui se tutandum dederit homini improbo, perdit male auxilium, dum quærit, sicut hæc narrat fabula. Malum est, dum pejus venerit, malum pro bono deputatur.

Cum sæpe Columbæ fugerent asperum Milvum, Accipitrem sibi facerent (*sic pro* fecerunt) defensorem. Putaverunt vero

sub ejus protectione totas se esse salvas. Has ille fingens protegere, cœpit devorare. Tunc una ex illis ait : Levius fuit molestum et inportunum pati Milvum. Modo enim aspera potestate necamur; sed digne hoc patimur quæ nosmet tali commisimus defensori.

XXII. — [CANIS FIDELIS.]

De seductoribus.

Quidam Fur nocturnus cum panem mitteret Cani, Canis dixisse fertur : Pro gratia panis datur; sed, ut video, tu ydeo (*sic pro* ideo) das ut pejus des, et eandem vicem reddam domino domus totæque familiæ suæ. Si te celavero et si totum tecum aufers, quis vel unde porrigeret panem, cum victus fuero fame? Nolo fauces meas pane claudas; nolo cibum ita sumere ut lingua mea sileat. Quin potius contra te latrabo, dominum meum suscitabo, et te Furem adesse nuntiabo. Nec præsentem vitam tantum procurabo, quantum futuram contemplar. Aut ambula, aut an[n]untiam (*sic*).

Hæc illi intelligant dicta qui ad unum prandium res suas perdunt.

XXIII. — [LUPUS ET SCROFA PARTURIENS.]

Per hanc fabulam quisque monetur ne blandis nimium credat.

Sumente partu Scropha, venit ad eam Lupus et ait : Expone, soror, hac [h]ora fœtum; ego fungar tibi obstetricis officio, stans pro consolatione tibi. Scropha, ut inprobum vidit, repudiavit ejus officium, dicens : Expono, frater, fœtum secura, si tu recesseris. Obsecro ut des mihi honorem, sicut matrem decet; nam et matrem tu olim habuisti. Recedente autem illo, statim exposuit fœtum illæsa. Quæ si malo credidisset, infelicissime pareret.

XXIV. — [MONS PARTURIENS.]

Ubi terror et timor magnus est, sæpe nihil est.

Mons quidam dabat gemitos (*sic*) magnos ceu parturiens. Quod omnis circa natio ut audivit, perturbata est, nullusque fuit memor sui. Sed post gemitum ingentem peperit murem. Fama autem hujusmodi volante, qui prius moribundi fuere, spiritum cum viribus resumpsere.

Sic qui malum plus timet quam debet vel decet, ad nichilum sæpius deveniet.

XXV. — [LUPUS AD AGNUM.]

Quod cuilibet proximus sit, qui misericordiam in illum facit.

Inter Capellas Agno vaganti Lupus dixisse fertur : Capella non est mater tua. Ovesque segregatas longius ostendit Agno. Et Agnus ait : Non illam quæro, quæ me genuit ac portavit IX mensibus, sed hanc quæ me nutrivit et [h]actenus verba (*lege* : ubera), natos autem suos fraudat lacte ut lac mihi non desit. E contra Agno Lupus ait : Illa mater proprior vel propior tibi est, quæ te peperit quam quæ te nutrivit. Et Agnus : Ut ais, inquit, ita est; sed illa, ut licitum, naturæ cessit, inscia sibi quid essem, masculus an femina. Pecoribus quid prodest filius, nisi ut onus eorum sit lucrum hominum? et nullis (*sic pro* in illis) dubia est [res fidem] servare quemquam sibi.

XXVI. — [VENATOR ET CANIS.]

Ne senex et minus valens despiciatur, qui, olim juvenis, fortis et utilis habebatur.

Canis quidam satisfacere Domino suo semper consueverat juvenis omni tempore venando; sed, gravatus senectute, dentes trementes ferebat. Quem Dominus suus auritum Leporem prendere jussit. Sed ille, ob nimiam senectutem tenere non valens, fatigabat nimium corpus suum (fol. 134 *a*). Quem iratus Domi-

nus suus increpavit ineptum rei. Cui Canis respondisse fertur : Sunt mihi anni sine viribus, scabrosi dentes. Fuimus aliquando fortes. Laudasti quod fuimus; jam dampnas quod sumus. Memorare pristina, et quod hodie possumus apud te bonum et gratum sit.

Ergo hæc fabula probat nobis, ut qui bene agit juvenis, senex te (*sic pro* ne) condampnatur.

XXVII. — [LEPORES ET RANÆ.]

Consideratione alieni sæpe fit levius proprium malum.

Cum strepitus magnus subito ad Lepores venisset, consilium simul fecerunt ut [se] præcipitarent propter assiduos metus. Venerunt ad lit[t]us fluminis, ubi Ranarum multitudo multa sedebat. At ubi venit agmen Leporum, expavere Ranæ et in flumen se præcipitaverunt. Tunc Lepores paulo substitere et unus illorum ait : Sunt namque et alii timentes vel potius timidiores nobis. Quapropter sequamur vitam ut ceteræ feræ, et portemus si quid mali acciderit; neque omni tempore malum erit.

XXVIII. — [HÆDUS ET LUPUS.]

Qui parentibus piis obedit, non pœnitebit. Aliter : præcepta parentum audire natorum laus est.

Capella, cum esset fœta et ad pastum vellet ire, ignarum Hædum monuit ne aperiret alieni, sciens quod multæ feræ lustrarent stabula pecorum. Monuit et inde abiit. Abeunte autem illa, veniens Lupus assimilavit vocem matris, aperire ei rogans. Hædus autem per rimas aspiciens sic ait : Vocem matris audio; sed tu fallax es ac inimicus et de matris voce sanguinem meum quæris.

Sic qui monetur, tu(tu)tus fieri potest.

XXIX. — [PAUPER ET SERPENS.]

**Semel ab aliquo læsus, postea sit magis cautus.
Aliter : Suspectus debet
esse semper qui læsit aliquem aliquando.**

In domo cujusdam Pauperis consueverat Serpens subtus mensulam micas colligere. Sed non longo post tempore cœpit Pauper odire Serpentem, quem et securi vulneravit. Quare domum egressus est. Interposito autem tempore Pauper ad egestatem devenit. Tractat autem causa Serpentis sibi hoc evenisse, divitemque se esse antequam læderetur a se, veniensque precatus est eum, ut sibi peccanti ignosceret. Et Serpens : Quia, inquit, pœniteris, ignoscam pœnitenti, sic tamen ut, antequam cycatricis clausa fuerit, non credas integram fidem. Nam redeo tecum in gratiam, si obliviscar securis perfidiam.

Sic suspectus esse debet qui aliquando aliquem aliquo modo læsit.

XXX. — [CERVUS ET OVIS.]

Ut sit modus simplicitatis monet hæc fabula.

Rogabat Cervus Ovem modium tritici sibi præstare, dicens se die constituto reddere, et, ut firmior sponsio ejus esset, adhibuit [Lupum] fidejussorem. Tunc Ovis ad præsens promisit inimici præsentia perterrita. Et post paulum infit : Dies quando veniet quis reddet? Tu quatis ungula campum; Lupus, ubi vult, peragratur; insuper magnæ sunt vestræ fallaciæ.

Docet hæc fabula caute (caute) cuilibet cedere.

XXXI. — [MUSCA ET MULA.]

Sæpe minatur vilis meliori, sed frustra.

Musca sedebat in t(h)emone et Mula est juncta. Quam tarde ambulas, ait Musca! Curre, curre, precor. Nam inpungo tibi cervicem. Mula respondisse fertur : Verba tua, o infesta, non pavesco, sed hujus qui prima sedet sella, qui frenis ora tem-

perat et loris iter inflectit, flagello in nos excusso. Nobis potius hic timendus est. Tu autem insolens et vana nichil unquam vales fortioribus facere.

XXXII. — [CALVUS ET MUSCA.]

Qui alium provocat, sibi interitum sæpe accelerat.

Calvo fuit Musca injuriosa, et nudum capillis assiduo morsu tundebat. Ille sibi alapis non parcebat, iniquam capere volens. Sed illa subridens eum multo magis vexabat. Tunc Calvus ad eam sic dixisse fertur : Mortem quæris, o inproba. Nam faci[le] . . . . . . mecum redeo in gratiam; sed tu morieris alapa mea.

XXXIII. — [VULPIS ET CICONIA.]

Sæpius redditur, cum quis ab alio deluditur.

Vulpis Cyconiam ad cœnam prior invitavit et posuit in catino sorbitionem quandam liquidam, de qua satiari non potuit, nec rostrum ad sumendum hujus cibum aptare quivit; esuriensque redit Cyconia. Post paucos autem dies, Cyconia Vulpem reinvitavit ad convivium, diciturque Cyconia fecisse in lagena vitrea cibos lautiores, similiter absconditos, priorque velut longiore collo cœpit manducare, deinde hortatur Vulpem. Sed Vulpis sensit injuriam, dictumque Cyconiæ percepit : Si bona dedisti, (et) bona accipe; si dedignaris, ignosce.

Hæc de illis fabula dicitur qui, sicut verbis alios deludunt, ita fatigantur injuria in postremis.

XXXIV. — [LUPUS AD PERSONAM TRAGICAM.]

Speciositas carnis nichil, si mentis intellectus non adest.

Personas (*sic*) transgrediens Lupus in agro invenit traguedem (*sic*). Semel et iterum vertit. O quanta species! ait; sed cerebrum non habet.

Hæc de illis dicta sunt, qui gloriam et honorem habent, sed sensum non habent.

XXXV. — [GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.]

Ut quilibet proprio contentus vivat.

Graculus, superba tumens et vana audacia, pennas Pavonis ca(n)dentes sustulit seque ornavit. At cœpit suos contempnere miscens gregi se Pavonum. Sed illi ignoto impudentique pennas cum injuria eripiunt, calcibusque ac morsibus fatigavere semivivumque dimisere. Tum graviter ille sauciatus ad proprium genus redire confusus erubuit, maxime quia, ornatus ante, multos despexerat. Tunc unus, antea despectus, ait illi : Dic nobis si non erubescas quod tuas vestes deposuisti alienasque amasti. Sed modo ignominiosus appares, alienis ac tuis exutis vestibus. Melius esset ut quod natura dedit hoc tibi sufficeret, nec ab aliis passus (fol. 134 *b*) esses injuriam nec a nobis expulsus.

XXXVI. — [FORMICA ET MUSCA.]

Stultus se ipsum lauda⁺.

Formica et Musca contendebant acriter, quæ melior illarum fuisset. Tum Musca prior cœpit sic : Numquid tu nostris potes comparari laudibus? Ubicumque immolatur, exta superior ceteris gustabo, insuper et capite regis sedeo et omnibus matronis oscula dulcia figo. De quibus rebus tu nichil facis. Econtra Formica : Tu, inquit, diceris inproba bestia, et laudas inportunitatem tuam. Numquid optata vel invitata venies? Regem autem et matronas castas nominas quibus inportuna es, et dicis omnia tua esse, cum ubicumque accesseris odiosa repelleris. Æstate tantum vales, et bruma veniente peris. Ast ego sum deliciosa, in hyeme secura; me tempus tenet incolomen (*sic*), gaudiaque sequentur; sed cum ventoso flabello excusso invita repelleris, ubique vaga ac sordida.

XXXVII. — [MUSTELA ET HOMO.]

Qui simulatorie famulatur, male remuneratur.

Mustela, dum apprehenderet mures, ab Homine capitur.

Illa vero, cum fugere vellet : Rogo, inquit, o Homo, ut parcas mihi, quia ex molestis sueta sum domum tuam expurgare. At ille : Non causa, inquit, mea hæc facis; nam gratam te haberem, si pro me fecisses, veniamque promeruisses; sed ideo murés necas, ut comedas reliquias nostras quas illi fuerant rosuri, et tu totum devores omniaque tecum deportes. Nolo michi deputes beneficium. Dixit, sicque mortuam nocuo (*sic pro* morti nocuam) tradidit.

XXXVIII. — [RANA RUPTA ET BOS.]

Ne pauper divitem imitari studeat.

In prato Rana quædam vidit Bovem pascentem, et putabat se ei esse similem, si rugosam pellem inflaret, et inflare cœpit se. Tum natos suos interrogabat taliter : Sum talis qualis Bos? Et illi : Non denique, aiunt. Iterum autem illa, se multo magis inflans, dicebat : Et quid modo? Responderunt : Nichil simile. Tertio vero, cum se in immensum inflaret, mortua est, pelle disrupta.

Ideo vulgo dicitur : Noli te inflare, ne crepas (*sic*).

XXXIX. — [LEO ET PASTOR.]

Ne potentes inmemores sint præteritorum beneficiorum.

Cum erraret Leo in silva festinans, styrpem (*sic*) calcavit; sed collecta interius sanie claudicare cœpit. Tunc Leo occurrens Pastori cuidam cauda sua blandiri cœpit, pede nichilominus suspenso. Perturbator (*sic pro* Perturbatur) vero Pastor, Leonem venire ad se cernens, pecudesque ei objecit, putans eum escam quærere. Ille autem non escam, sed potius medicinam quærens, in sinum Pastoris pedem posuit. Cernens autem Pastor tumorem et magnam contusionem vulneris, memor sui invenit tale ingenium : sumpsit acutam subulam et paulatim aperire vulnus cœperat. Quo patefacto contusio saniei simul cum styrpe effunditur. Tum vero Leo sensit refrigerium, et in pretium medicinæ linxit manum Pastoris, assidensque lateri

ejus paulisper resumpsit virtutem et abiit incolomis. Post aliquantum vero temporis Leo ipse captus est ut sit in area amphi[the]atri. Pastor vero, captus et crimine victus, datur bestiis devorandus eo loco, ubi Leo est missus. Postea in area dimittitur et Leo foris. Qui dimissus cum impetu vadit usque ad Pastorem. Quo viso paulatim incedere cedere . . . . Agnoscens autem eum, ad populum versus vocem emisit, circuiensque podium bestiario assedit; nutibus suis invitat eum redire ad sua, Pastorem ipse conservans. Tunc Pastor intellexit eum ipsum esse Leonem, cui olim salutem præstitit. Alius quoque et alter dimittitur ut laceretur homo; sed prior ille defendit. Sed populus, cernens Leonem potius conservantem quam devorantem hominem, miratus est, causamque a bestiario quærit. Cumque respondisset populo causam mutui beneficii id esse, vita utrique a populo incolomitate perdonatur, et sic simul dimissi sunt. Leo ad silvam, homo pergit ad sua.

Itaque et unicuique convenit alteri sane fidei gratiam referre.

XL. — [LEO ET EQUUS.]

Ars sæpe deluditur.

Equum pascentem vidit Leo fortissimus in prato. Tum ut ei subdolus appropinquaret, simulavit se medicum esse cœpitque familiarius stare. Sed Equus præsensit dolum, et tamen non repudiavit officium. Ex ingenio vero finxit styrpem calcatum habere. Levato ergo pede : Frater, inquit, succurre velocius, en gratulor quod venisti; libera me, quia incautus styrpem calcavi. Ergo Leo patiens accessit, fraude dissimulata. Cui velociter Equus calces turbulentos dedit. Cadens autem Leo diutius jacuit in terra amens. Paulo post memor sui, doluit capite, et in omnibus menbris (*sic*) æger effectus, Equum apparuisse nunquam (*melius :* nusquam) potuit videre : Digne, inquiens, hæc passus sum, quia cujus styrpi semper sævus adveniebam, modo familiaris ceu et medicus accessi; cujus potius inimicus venire debui.

Ideoque quod es esto, ac mercari noli. Vel aliter : Qui se sciunt esse felices, nulli faciant injuriam, dubiumque esse meminerint quidquid in fortuna positum est.

XLI. — [EQUUS ET ASINUS.]

Derisores deridentur.

Equus, et (*sic pro* ex) auro et argento freno et sella ornatus, decorusque per membra juvenca occur[r]it Asino ornato (*sic pro* onerato) et de longe venienti in limite angusto, et quia, illo transeunte, tardius dederat viam, cœpit cum superbia et magna [ira] ita dicere Asino : Satis me vere cohibeo, quod te calcibus non dirumpam, qui mihi obvius non steteras, usque dum ego transirem, (fol. 135 *a*) et tu juxta morem postea tardius ambulasses viam quam debueras. Terrore illius ac superbia pavens tacuit miser Asellus. Deinde non longo post tempore Equus ruptus currendo ex macie despicitur, jussusque est a domino suo ut stercus sedulo portaret in agrum. Tum rustica ornamenta suscipiens, onustus et honestus ibat ea via, qua Asinus in prato pascebatur. Levans itaque Asellus caput agnovit eum, talique sono increpavit eum, gaudens et dicens : Quid tibi profuerunt illa ornamenta pretiosa, quibus me despexisti, audaciam multam habens? Sed modo simile nobis ornamentum geris, officium idem (m)agis. Dic nunc quid audaciæ habes.

Ammonet hæc fabula ne quis in potentatu suo inferiorem se despiciat.

XLII. — [VOLUCRES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.]

De bilinguibus hominibus.

Qui se duabus partibus obnoxium commiserit, hic et illic ingratus vivit, reusque potius erit sibi.

Quadrupedes cum Avibus magnum bellum gerebant et neutra pars alteri cedebat. At ubi Vespertilio dubius extiterat quæ pars victoriam caperet, contulit se ad Quadrupedes, æstimans se potius ibidem cum hiis triumphum sumere, Avibus

cæsis. Sed subito Aquila, veniens in manu Martis dextra, vibravit alas ac Volucribus se commiscuit. Tum ingens silentium factum est : cessabant Quadrupedes et stetit victoria Avium, paceque reddita, singuli ad propria rediere loca. Post hæc sententia Avium dampnatur Vespertilio, eo quod suos reliquerat et Quadrupedes amaverat, ita ut lucem fugiat semper expoliatus propriis plumis et nudus noctibus volet.

Sic itaque oportet ut patiantur qui, suis relictis, ad alias (*sic*) migrant.

XLIII. — [LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.]

Qui aliis insidiatur, caveat ne capiatur.

In nido Lusciniæ cum sederet Accipiter auras speculari, parvos illic inveniebat pullos. Sed cito superveniens Luscinia cum esca rogabat parcere pullis. Faciam quod vis, inquit, si mihi bene cantaveris. At illa, quamvis animus excideret ex metu sui ac pullorum, cantabat coacta. Accipiter vero, prædam desiderans, rupit sponsionem dicens : Non bene modo cantasti. Et apprehende[n]s unam de aviculis lacerare cœpit. Sed e diverso quidam Auceps venit, et, calamo silenter levato, Accipitrem contractum visco in terram deposuit.

Sic qui alii insidiatur, timere debet ne capiatur.

XLIV. — [LUPUS, VULPIS ET PASTOR.]

Versutus in versutia sua sæpe decipitur.

Lupus prædam multam in cubili suo congregaverat tempore longo, quatenus multos menses potuisset deliciosus vivere. Ut hæc Vulpis agnovit, ad ejus cubile fraudulenta et ejus æmula accessit, dicens : Quare per tot dies non vidi te, tristis fui pro te. Cui Lupus, ut agnovit livorem, ait : Non de me sollicita venisti : scio te fraudem petere. Hiis verbis irata, Vulpis Pastorem ovium adiit. Agis mihi, inquit, gratias, si tibi inimicum gregis tui hodie in manus tuas tradidero? Et Pastor : Ego, ait, serviam tibi, et tribuam si quid volueris. Tum illa ostendit ei Lupum clausum, quem ille lancea percussit, sicque æmula de

alieno cibo se satiavit. Tum non multum post Vulpis, a venatoribus capta, sic dixit : Jam ego mala feci et modo male pereo, quia alterum læsi.

Ideo timere potest qui alii occulte malum machinatur.

XLV. — [CERVUS AD FONTEM.]

Væ qui dicunt mala bona et bona mala. Vel aliter : Aliquando laudamus inutilia et vituperamus bona.

Cervus, bibens de fonte, sua cornua magna vidit, nimisque ea laudavit, cruraque ceu tenuia vituperavit. Tum subito venatoris vocem audivit et fugam iniit, canesque secuntur (*sic*) cum in silvam ingredientem. Ibi ex densitate virgarum et magnitudine cornium (*sic*) captus est. Tum memor sui ait : Quæ michi erant utilia vituperavi et decipientia laudavi. Hæc ego patior merito.

XLVI. — [DE JUNONE, VENERE ET ALIIS FEMINIS.]

De maritatis mulieribus exemplar.

Diis deabusque præsentibus Juno cœpit laudare castitatem et suasit optimam fore feminam contentam unius viri nichilque extra quærere. Tum Venus jocandi causa interposuit Gallinarum dicta, statuensque sibi clarissimam ac domesticam in medio, ait : Dic nec confundaris, quanto possis satiari cibo? At illa : Quodcunque, ait, accepero, præstat (h)abundantia, et ad hæc scalpo. Econtra Venus coram omnibus dixisse fertur : Ne scalpes, quia tribuam tibi modium tritici. Et Gallina : Si, inquit, horreum patefacias, tamen scalpam. Ast Juno in risum vertitur ex loquela Veneris et Gallinæ per quam Dii feminis similiter esse intelligebant. Sic demum Jupiter cœpit dicere : Femina nulla negabit se importuno viro. Et ipse deinceps Jupiter cœpit amare feminam, et post eum alii multi. Deinde Venus cum Vulcano dicitur procubuisse, atque similiter post modum ceteræ multæ.

Sic et hodie plures feminæ cœperunt maritis inponere. Casta est illa mulier quæ inportunum non patitur.

XLVII. — [FEMINA ET MILES.]

Qui stat videat ne cadat.

Femina quædam, cum virum suum amiserat, ad mauseolum (*sic*) se contulit, ubi maritus erat positus, quatenus ibi lugubres ageret dies. Contigit etiam quendam ex vicinis graviter deliquisse, et ea lege accepta sententia suspenditur (suspenditur) in cruce. Sed ne a suis nocte furaretur, custos ei ponitur Miles. Qui dum observaret, siti fatigatus est. Accessit autem ad locum mauseoli, aquæ pusillum rogavit, accepit et abiit; iterumque rediens consolatus est Feminam plorantem. Hoc et tertio fecit. (Fol. 135 *b*) Sed interim, illo morante, subtrahitur qui pendebat in cruce. Miles autem rediens non invenit crucifixum, et revertens ad Muli[e]rem, confugit ad pedes ejus et volutare se cœpit. Cui sic ait : Quid agam aut quid faciam? Atque subjunxit : Subveni mihi, a te quæro consilii auxilium. Quæ misericors facta Militi, statim maritum de loco levavit, et in stipitem eadem nocte affixit, celans. . . . . furtivum facinus precata (*sic pro* præ cauta) misericordia. Miles oportune fecit pro officio suo, et Mulier non erubuit de officio suo. Et sic quæ prius fuit casta, postea scelus utrumque commiserat.

Habeant mortui quod doleant et vivi quod timeant.

XLVIII. — [PATER ET FILIUS SÆVUS.]

Bonum est homini, si portaverit jugum ab adolescentia sua.

Quidam paterfamilias sævum habebat filium, ita ut omne jussum fugeret errans et servi pro eo co(t)tidie flagellarentur. Tum sapiens actor talem patri scripsit fabulam, dicens : Quidam Rusticus habuit Vitulum indomabilem. Sed, quia pauper erat, junxit eum loris conpari suo et aratrum trahere jussit. Sed Vitulus delicatus, capite semicurvo, calcibus in altum saltum dedit, loraque confringens fugam petiit. At Rusticus, experimento excogitato, per artem cepit Vitulum, blandiens, cor-

nuaque tenens, ligavit fortius, ac forti Bovi adjunxit. Dixitque : Non ut dominetur volo, sed domare eum cupio. Nempe, si calcibus vel cornibus aliquem læserit, lapidibus vel fustibus debilitatur.

Ita docet quemque filios suos minores domare.

XLIX. — [VIPERA ET LIMA.]

Dæmon Dæmonem non expellit.

In officinam cujusdam Fabri introisse Vipera dicitur. Dum quærit aliquid ciborum, cœpit rodere Limam. Ridens autem Lima ad Viperam sic exorsa est : Quid vis, improba? Dentes tuos lædere an ferrum carpere? Nonne ego durissimum calibem conminuo rodens? Et tu mandere putas esuriens, quæ et quæque aspera fricando facio lenia. Non magnum est quin te in momento possim secando partiri. Quapropter vide si hic aliquid non amittas. Scio quod nichil hinc reportas.

Sic nec cum acriore certandum est.

L. — [OVES ET LUPI.]

Non expedit patronum et advocatum deserere.

Oves et Lupi bellum inter se gerebant, ita ut neutra pars alteri cedere vellet. Oves fuere plures, et Canes multi cum eis ac cornuti Arietes. Ideoque Lupis Ovium victoria visa est. Tunc Lupi legatos misere pacem petentes, ut esset juramentum inter eos, et ut Canes obsides eis donarentur, et econtra ipsi Ovibus suos catulos destinarent karissimos filios. Tunc Oves simplices jurantes invicem dederunt pacem. Sed non longe post catuli Luporum cœperunt ululare. Quod Lupi audientes et pullos suos injuriari putantes, undique congregati simul venere, irruperuntque ac jusjurandum polluerunt, et morsibus diris laniabant Oves nullo tutore præstante, nullo patrono protegente.

Sic et qui pacem vult cum malis habere, læditur.

LI. — [HOMO ET ARBORES.]

Qui hosti providet sibimet ipsi nocet.

Securi(s) prævalida fracta, Homo de Arboribus firmum postulabat manubrium ex illis sibi dari. Inientes autem consilium, omnes Oleastrum dedere. Sed Homo, manubrium (*sic*) in securim coaptato, ramos et robora magna cœpit indubitanter viribus incidere suis. Tunc Quercus Fraxino sic ait : Digne ac bene hæc patimur, qui roganti nostro hosti manubrium dedimus.

Ideo bonum est hosti consilium non dare.

LII. — [CANIS ET LUPUS.]

Quam dulcis sit libertas!

Omnis libertas actio est benè agendi. Sed pro(c)h dolor! in liberis sunt sæ(r)vitia et in servis virtus [et] regula. Pollere video servos et pro nichilo liberos esse. Sicut Canis et Lupus, dum convenirent in silva, gradiebantur una. Dixit Lupus Cani : Unde, frater mi, tam nitidus et tam bene pinguis? Canis ita respondit Lupo : Quia custos sunt (*sic pro* sum) domi; nam et si latrones veniunt, non ingreditur quisquam. Nocte si forte furem annuntio, affertur mihi panis et dantur mihi (et dantur mihi) ossa reliquarum. Insuper dominus ac familia, me diligentes, aliquid mihi pro[j]iciunt, et, si quid eis ciborum fastidit, me vocantes, id mihi porrigunt. Ex hiis venter meus impletus gestit me sub tecto cubare. Et Lupus : Bene narras, frater; vellem, si posset fieri, ita otiosus vivere et absque labore cibum sumere et sub tectis cubare. Et Canis: Si vis, inquit, ut tibi bene sit, veni mecum; nichil est quod timeas. Ambulantes pariter, supra intuebatur Lupus Canem diligentius. Quanto vero collum ejus catena attritum cernuit (*sic*) : Quid est, inquit, quod sic attritum est collum tuum? Quia sum, inquit, acrior; die enim ligor et nocte solvor. Et Lupus : Sta, inquit, frater mi; non est opus mihi frui quæ laudasti; viribus enim meis volo vivere, et mihi quodcumque acciderit, proprio arbitrio con-

portabo, et ubicumque volo peragro. Sed et catena nulla me constringit, nulla causa impedit; viæ michi patent undique; aditus est in montibus et silvis protectio, nec timor ullus. Nam de grege prior pascor, feras capio, anseres prando (*sic*), quandoque volucrum cibum me delectat; quin et canes (fol. 136 *a*) ingenuos deludo. Quapropter vive, tu, ut consuesti, et vitam ego duco, sic ex primo parente consuevi.

LIII. — [MEMBRA ET VENTER.]

Qui suos deserit decipitur.

Nemo aliquid sine suis valet, ut partes humani corporis, de quibus dicitur indignatas esse Manus ac Pedes, nolentes Ventri cibum dare neque servire. Esuriens autem Venter personuit ut ei cibum donaretur, et nemo ei ministrabat, Manibus ac Pedibus conspirantibus. Sed jejuno Ventre Membra omnia cœperunt lacescere. Post hæc iterum voluerunt afferre. Sed recusavit Venter, quia jam clauserat venas. Sic Venter et Membra simul lassa interierunt.

Hinc constat majores et minores sequestratos privatim non vivere.

LIV. — [SIMIA ET VULPIS.]

Dives semper eget.

Rogabat Simia Vulpem ut de magnitudine caudæ suæ particulam sibi daret, qua possit turpitudinem natium suarum tegere. Quid enim, inquit, tibi utile tantæ longitudinis caudam per terram trahere? Cui Vulpis dicitur dixisse : Utinam longior esset et major ! nec tunc curarem quin per terram, sive per lutum, sive per spinas ac per petras eam traherem, neu tu meo ornatu videreris pulchrior.

Locuples et avare, te increpat hæc fabula, quia non das quod tibi superat.

LV. — [NEGOCIATOR ET ASELLUS.]

Sæpe majus malum incidit qui minus fugit.

Fuit quidam Negociator, qui in via cum Asello festinavit nundinas ingredi citius. Onustum animal flagello et fuste hinc et inde cæditur, ut veniret citius lucri causa. Asellus vero econtra optabat sibi mortem, putans se post mortem securum esse. Lassatus vero et quassatus moritur, statimque ex pelle ipsius facta timpana et cribella, quæ semper patiuntur, et qui se post mortem securum putavit, etiam post finem semper cæditur.

LVI. — [CERVUS ET BOVES.]

Qui cautus in minore promerebit majora.

Cervus perturbatur strepitu venatorum; ut eos evaderet, in proximam villam devenit et se in stabulum bonum (*sic*) contulit, referens Bobus ob quam causam venerit. Et unus ex Bobus ait : Utquid huc confugeras, miser? Silva te melius celaret. At ille supplex : Vos, inquit, me modo celate, et, dum fuerit sero, eam ubicumque securus. Hæc dum loquitur, obscuro se abscondit loco. Cumque fenum et frondes et omne genus pabuli bubulci Bobus deferrent, Cervum non videre. Intrans et major illius vituli (*sic pro* villulæ) ac lustrans Boum salutem, nec ipse Cervum vidit. Tum Cervus Bobus gratias egit, quod fugitivum celaverant. Et unus ex illis ait : Salvum te servabimus, si te ab illo absconderis qui centum oculos portat. Sine dubio necaberis, quando ab eo visus fueris. Inter hæc verba dominus Boum ingreditur, sciscitans qualiter erga Boves ageretur, cernensque Cervi cornua, inscius ait : Quid est hoc? Videte, bubulci. Illi obstupefacti dicebant se nescire unde vel cujus Cervus esset. Et ille cum tota familia gaudens captum sine venatu Cervum et a nemine requisitum trucidat, epulans multum.

Hæc fabula probat dominum plurimum posse in omnibus rebus prævidere.

LVII. — [LEO REGNANS.]

Nimium loqui et nimium tacere, utrumque malum est.

Cum cunctæ feræ sibi regem fecissent Leonem fortissimum, voluit ille mores regum bona fama sequi et abrenuntiavit prioribus factis, nec voluit sanguineam prædam sequi; insuper et juravit nihil mali ulterius bestiis se fore facturum. Sed esurie(nte) conpellente rupit juramentum, ac primo singulis quasi secreto locuturus cœpit dicere, interrogans si os ejus puteret, et tam eas quæ negabant, quam quæ confitebantur, simili modo necabat bestias per singulos dies. Cum hæc multis faceret, venit ad Symiam interrogans eam, simili modo ut ceteras feras, si puteret. At illa : Sicut, inquit, cinamonium (*sic*), vel uti deorum altaria. Leo autem erubuit lædere laudatricem. Sed ut eam læderet, fidem irrumpens, simul[avit] autem languorem. Et continuo venere medici, diligentissime perquirentes quomodo sanarent Regem bestiarum. Et, ut sanum viderunt, cibum solutionis sumere eum suaserunt. At ille : Ignota est mihi caro Simiæ; vellem hanc probare si bene verteretur. Statim necatur Simia boniloquax.

Et ita una pœna est loquentis ac tacentis.

LVIII. — [VULPIS ET UVA.]

Sæpe minatur verbis qui non potest viribus.

Fame Vulpis coacta Uvam sursum in alto pendentem viderat, ad quam pervenisse volebat. Saltus in altum dans, non attingere potuit botrum, et sic irata fertur dixisse : Nolo te, o acerba et immatura. Et, quasi nolens eam tangere, abiit.

LIX. — [DE MUSTELA ET MURIBUS.]

Ingenio potest fieri aliquando quod vires denegant.

Mustela, quæ fuerat senex ac Mures non valens persequi, involvit se in farina, volens sinel abore prædam facere. Venientes autem Mures ignari, capiuntur hujusmodi. Postea veniens quæ (*sic*) annis major erat et cautus, caveas et laqueos atque

insidias muscipularum doctus cavere, intellexit deceptionis ingenia et ait : Illicis quidem, inproba, ut devores innocentes; me tamen nòn capies, quæ omnia ingenia novi.

Sic ars deluditur arte.

LX. — [LUPUS, PASTOR ET VENATOR.]

Qui simulat verbis nec corde est fidus amicus.

Dum persecutorem fugeret celeriter Lupus (fol. 136 *b*) et a Bubulco esset visus quo loco latitaverat, orat timens ne prodetur ab eo. Et Bubulcus : Ne timeas, inquit, quia in alia parte esse te persecutori dicam. Tunc subito qui persequebatur eum, veniens, clamans ad Bubulcum : O Bubulce bone, ostende mihi illius Lupi vestigium, quo prendem eum. Et ille : Venit quidem me(æ) tenus, et ad synistrum (*sic*) abiit. Et interim oculis ad dexteram eum esse innuebat. At ille non intelligens discessit. Post hæc Lupus Bubulco ait : Gratias tibi a me referri poscis. Sed linguæ tuæ gratias ago, ast oculis tuis fallacibus magnam cæcitatem aput Deos efflagito.

Hæc fabula illos increpat qui bilingues esse videntur.

LXI. — [PAVO AD JUNONEM.]

Quod cuilibet concedatur, hoc contentus sit.

Pavo venit ad Junonem iratus, graviter ferens quod post lusciniam cantaret et sibi non esse tributum, sed derideretur, voce demissa. Tunc Juno consolandi causa blanditur alloquitur[que] eum : Visus tuus superat vocem, et forma tua superat lusciniam. Colore et nitore smaragdi perfusus es(t), nullusque volucrum similis est tibi. Pectore flammæ, gemmæ cauda et collo refulgent. Et Pavo ad Junonem sic ait : Quo mihi hæc sunt, si vincor sono? Juno respondit : Fatorum arbitrio partes datæ sunt vobis : tibi nitor, forma et color divinæ formæ, major virtus aquilæ, lusciniæ cantus vocis, auguria sumit corvus, glunnire (*sic pro* grunnire) accepit columba, dolet semper turtur, phipat (*sic*) nibolus, dolores habet thetus, grus ostendit

semper tempus, in oliva parit turdus, [ficedula] blanda est pomis, lucifero gaudet hyrundo, nudus sero volat vespertilio, gallus noctis novit horas, omnibus in suo (h)abundat; tu, nolo quæras quod tibi a Diis non est datum.

LXII. — [MILVUS ÆGROTANS.]

Frustra veniam delictorum rogat, qui in malitia perdurat.

Milvus, cum ægrotare cœpisset, et multis mensibus jaceret, nec spem vitæ suæ jam haberet, suam matrem cum lacrimis rogabat, ut sancta loca visitaret et pro salute sua magna vota promitteret. Faciam inquit, fili, quod vis Ve[rum] ne impetrem illud (enim) vereor, nate, et vehementer timeo. Quando omnia delubra vastasti, et cuncta altaria polluisti, nec sacrificiis pepercisti, nunc quid vis ut orem?

Audiant hæc qui conmisso (qui conmisso) malo, audent, in malis suis perdurando, loca sancta (per) circuire. Maculati facere manibus et labore debent ut facta ejus mala deleantur.

LXIII. — [MERETRIX ET JUVENIS.]

Quia impudicæ feminæ per ingenium imponunt viris.

Quædam Meretrix, quæ erat perfida multum multis, cum blandiretur ju[v]eni cuidam, quem sæpe afflixerat injur(g)iis, sed tunc facilem se illi præberet, non sine dolis dixit : Licet omnibus multi super me contendant, ego tamen satis te amo et plus diligo. Et Juvenis, memor quotiens deceptus ab ea fuit, benigne respondit. Et ego te, inquit; tu mea lux, non quod fidem mihi serves, sed quod jocunda es mihi. Sic verbis se mutuo deluserunt. Nam simplices homines, si forte [nudos invenerint], expoliant meretrices.

LXIV. — [VULPIS IN HOMINEM VERSA.]

Turpem naturam nulla fortuna obtegit.

Cum se Jupiter in humanam speciem vertisset, et Vulpem quasi legitimo..... [in] thoro sibi assidere fecisset, vidit illa

Scrabonem prorepe(te)ntem ex arbore, notamque ad prædam celerius siluit... Hinc Superi risere et pater Jupiter (Jupiter) erubuit, Vulpemque repudiatam thalamis expulit, hiis prosecutus : Vade modo quo digna es, quia digna nostris meritis non esse (non) potes.

LXV. — [DE TAURO ET VITULO.]

Non est discipulus super magistrum.

Angusto in aditu T(h)aurus luctans cornibus cum vix intrare posses (*sic*) ad præsepia, monstrabat ei Vitulus quo pacto se flecteret. Tace, inquit Bos. Ante hoc novi quam tu natus esses.

Ergo qui doctorem [emendat], sibi displicet.

LXVI. — [PANTHERA ET PASTORES.]

Nemo quemquam temere injurietur.

Panthera in nocte cecidit in foveam. Agrestes vero ut viderent, alii fustibus feriunt, alii saxa ridentes inmittunt; quidam vero e contra dixerunt : Parcite innocenti quæ neminem læsit, et hoc dicentes multos prohibuerunt ne morte eam affligerent. Alii autem miserunt panem, ut spiritum retineret; alii dolebant ejus innocentiam, ut sunt variæ voluntates hominum. Nox ut venit, abierunt omnes domum, bestiam dimittentes, quasi inventuri mortuam. Postea ut illa vires suas refecit languidas, veloci saltu se exinde levavit et ad suum cubile properat. Paucis diebus interpositis memorata bel[l]ua provolat, pecudes in illo loco trucidat, ipsos Pastores necat et irata impetu sævit (sævit) in omnes eos agrestes, et cunctos vastat illorum agros. Tunc sibi omnes timentes et qui tunc illi pepercerant, dant sibi animos fugere, nec curant dampna, sed sibi metuunt mortem tantumque vitam rogant; et illa sic dixit ad eosdem : Memini qui me fuste cecidit, quis me saxo nocuit, quis panem dederit; vos timere nolite. Illis revertor hostis, qui me appetierunt morte.

Hæc improbi et injuriosi audiant, ne aliquem lædant.

LXVII. — [VERVECES ET LANIUS.]

Dum quis op[p]ortunitatem habeat, sibi provideat.

Verveces in collectum cum essent una cum Arietibus, Lanium inter se intrare dissimulabant se videre. Cum autem ex sese unum cernent manu Lanii teneri mortifica, trahi et in(fic)terfici, nec sic metuerunt, sed inter se incauti dicebant : Me non tanget, trahat quem trahit. Novissime remansit unus. Cum et ipse similiter trahi se videret, sic dixisse Lanio fertur : Digne sumus laniati singuli ab uno, qui hoc novissime prospeximus, qui, cum simul essemus, quando te in medio nostri positum aspeximus, capicinis inpulsibus quassatum fractumque non occidimus.

LXVIII. — [AUCEPS ET AVES.]

(Fol. 137 *a*.) — **Si per nos non sufficiamus, ab aliis provideri nec despiciamus. Aliter : Sapientis consilium nullatenus prætermitti debet.**

In verno tempore Aves diversi generis, dum exultarent et in nidis suis velatæ fronde residerent, a(u)spiciunt Au(j)cupem lippum et ponere cannas suas et vestucam (*sic pro* festucam) inserere visco. Illæ ignaræ et simplices Aves sic inter se narrare cœperunt : Quam pium hominem aspicimus, quia pro nimia bonitate lacrimæ ex oculis ejus profluunt, quotiens nos aspicit! De quibus una Avis, astutior et expertos habens omnes dolos Aucupis, sic dixisse fertur : Heu! fugite, simplices et innocentes Aves, et ab hac vos eripite fraude. Pro qua re moneo, ut impigres (*sic*) alarum pennis vos ad aerem libero volatu extollatis celeriter. Nam si placet cognoscere [verum], ad ejus opera intendite et videte; quia quas fraude ceperit, occisas morsu aut perfocatas in cimbam reponit.

Monet hæc fabula ab unius consilio multos de periculo liberari.

LXIX. — [HOMINES DUO, FALLAX, VERAX ET SIMII.]

Veritas odium parit, obsequium amicos. Aliter : A nefariis hominibus fallacia et adulatio solet libenter audiri, honestas autem et veritas bonitasque reprobari.

Duo Homines, unus Fallax et unus Verax, simul iter agebant. Cum ambularent, venerunt ad provinciam Simiorum. Quos Homines ut vidit unus ex multitudine Simiorum, qui se aliis priorem constituerat, jussit eos adduci et interrogari quid illi Homines de eo dixissent, et jubet omnes Simios sibi similes astare ante se ordine longo dextra lævaque et sibi sedile e-contra parari. Sicuti viderat imperatorem aliquando facere, taliter eos ante se stare fecit. Jubentur ergo Homines adduci in medio. At ille Simius major inquit : Quid sum ego? Fallax dixit : Tu es imperator. Et iterum interrogavit : Et isti quos ante me stare vides, quid sunt? Item Fallax respondit : Hii sunt comites tui, premicerii (*sic*), pincernæ, pistores, campiductores, milites et cetera officia. Et pro hoc ille qui mendacio laudatus est cum turba sua, jussit eum remunerari qui adulatus est et omnes illos fefellit. Ille vero Verax Homo hæc apud se aiebat : Sic iste qui mendax est et omnia mentitur, sic est acceptus et remuneratus, quid si ego verum dixero? Cum hæc secum deliberaret, ait Simius ille qui se imperatorem dici volebat : Dic, tu, quid sum ego, et quos ante me vides? At ille qui veritatem amaverat semper et loqui verum consueverat, respondit : Tu Simius es et hii omnes Simii sunt similes tibi. Continuo jubetur lacerari dentibus et unguibus qui quod fuit dixit.

Hoc modo fieri solet ab hominibus malis ut fallacia et malitia ame[n]tur et honestas et veritas lacere[n]tur.

LXX. — [EQUUS, CERVUS ET VENATOR.]

Providendum est ne ipsi decipiamur, dum aliis nocere conamur.

Equus et Cervus inimicitias habebant inter se. Cumque videret Equus Cervum in omnibus aptum, et ex cursu(m) levio-

rem, et corpore decorum, arboreis cornibus ornatum, livore coactus, sese ad Venatorem contulit. Cui et ait : Est in profectu (*sic pro* prospectu) Cervus omnibus ad videndum admirabilis; quem si venabulo poteris transfigere, (h)abundabis pulcherrima carne ad escam. Cujus cornua, corium et ossa venundabis non parvo. Ille Venator cupiditate accensus : Quomodo, ait, poterimus capere Cervum? Et Equus Venatori dixit : Ego ostendam capiendum meo labore Cervum. Tu vero super me sedens, cum secutus fuero, venabulo manu tua excusso, vulnerato Cervo et occiso, tua venatione perfecta, gratulabimur ambo. Hoc dicto, Venator, super Equum sedens, Cervum de loco movit cum sagittis et incursu. Cervus, non immemor sui naturalis ingenii(s), celeres tendebat [pedes], transiliitque campos, et in saltum cursu veloci illæsus evasit. Equus vero, cum se sudore maceratum et fatigatum videret, sic dixisse fertur : Quo tendebam attingere non potui. Descende et solito more transige vitam tuam. Cui contra Sessor desuper : Non habe(n)s, inquit, potestatem currendi, qui frenum in ore habes, nec saltum dare, quia sella te premit. Si calcitrare volueris, flagellum in manu teneo.

Hos increpat hæc fabula, qui, cum voluerint alios nocere, se potius subjugant.

LXXI. — [ASINUS ET LEO.]

Ne simus cupidi inanis gloriæ.

Asinus e diverso occurrit Leoni cui dicere cœpit : Ascendamus in cacumina montis, et ostendam tibi quia multi me timent. Leo, deridens verba Aselli : Eamus, inquit. Cumque venirent ad locum, stans cum fera Asellus in edito loco, voce dimissa clamare cœpit. Cui Leo contra sic dixisse fertur : Poterat me terrere vox tua, si non te scirem qui esses.

Hæc fabula monet hunc potius derideri debere, qui virtute facere nichil valet, et verbis inanibus quemque terrere credit.

LXXII. — [DE LEONE ET VULPE.]

Alter alterius malo instruitur.

Leo deficiens languorem fingebat, et propter hoc ceteræ bestiæ ad visitandum eum introierunt. Leo autem continuo edebat eos. Vulpis veniens ante speluncam stetit et salutavit eum. Interrogata autem a Leone : Quare non intrasti? respondit : Quoniam video introeuntium vestigia et vestigia exeuntium non video.

Sic quorumdam pericula doctrina nobis esse debent nostræ salutis, quia in domum [potentis] facile queunt intrare, exire autem tarde est.

LXXIII. — [CORNIX.]

Ingenio superatur quod viribus negatur.

Cornix sitiens ad urnam dimidiam aquæ accessit, et eam conabatur evertere. Sed quoniam fortiter stabat, non poterat eam movere. Hoc argumentum invenit : sumens ergo calculos, misit in urnam, et ex multitudine calculorum aqua ex urna sursum excrevit. Et sic Cornix ardorem sitis extinguebat.

LXXIV. [PUER ET SCORPIUS.]

Ne nimis alta temptemus.

Puer, in silva captans auguria, stetit super quendam lapidem quem conabatur evertere. Cui Scorpius sic dixit : Vide, Puer, ne dum me captas vivus, pereas.

Præcepit hæc fabula nichil periculosum audere.

LXXV. — [DE EQUO ET TRIBUS HIRCIS.]

(Fol. 137 *b.*) — **Ne curemus stultorum irrisiones.**

Ubi erant tres Hyrci, viderunt Equum timentem et deridebant eum. Ille autem respondebat eis dicens : O desperati et ignari, si sciretis qualem inimicum ego fugio, non me derideretis.

Sic ergo sæpius potentibus personis ab inferioribus detrahi solet.

LXXVI. — [PULEX ET CAMELUS.]

Stulti cum nichil [sunt] se magnificant.

Pulex, in Cameli sarcina cum fuisset, Camelo onusto plaudebat se esse meliorem. Longe iter cum ageret, venerunt simul ad vesperum in stabulum. Pulex vero statim ante pedes Cameli excussit et dixisse fertur. Bone (*sic*) feci, inquit, parcens ne diutius te gravarem. Et Camelus ad Pulicem sic dixit : Gratias ago, quia nec te inposito gravatus sum, nec nunc deposito relevatus.

Hanc illi audiant fabulam, qui nec gravare, nec juvare aliquando possunt meliores.

LXXVII. — [DE GLADIO ET VIATORE.]

Qui alios perdit aliquando peribit.

Gladium Viator, dum ambularet, jacentem invenit in via. Quem interrogavit : Quis te perdidit? Et cui contra telum : Me quidem, ait, unus ; ego vero multos.

Hæc fabula narrat malum posse perire, sed ante multos nocere.

LXXVIII. — [OVIS ET CORNIX.]

Otiosa quædam Cornix supra Ovem consedit, tundens dorsum ejus. Hoc cum diu fecisset, sic ad illam Ovis dixisse fertur : Cani si hæc fecisses, non ferres latratum ejus nec iracundiam oris illius. Et Cornix talia Ovi ait : Collo quidem forti insideo, et scio quem lacero, quia sum antiqua annis, inproba innocentibus, amica autem asperis. Sic me creat(ur)am Dii esse voluerunt.

Hæc fabula in illos dicta est, qui infimis et eorum innocentiæ injuriantur.

LXXIX. — [DE CORNICE ET ALIIS AVIBUS.]

Corvus, simulans se natale celebrare, Aves ad cœnam invitavit. Deinde ingressus clausit (h)ostium, et singulatim cœpit occidere eas.

Hæc fabula facta est in illos, qui, ad opem hylarem proficiscentes, contraria patiuntur.

LXXX. — [DE STATUA ÆSOPI.]

Scripta et ingenia Æsopi ut Græci agnoverunt, quod per ea scilicet multarum semitarum amplissimas faceret vias, et pepercisset humilibus dum alligaret stultos, multi qui erant summi Actitorum (*sic pro* Atticorum) statuam posuerunt Æsopo. Cujus sub statua sunt (sunt) tituli : Quomodo ingenio artis [vias] intellexi, mox fabulas edidi. Ideo cives posuimus statuam; quod [est] alicujus laboris boni bona remuneratio.

LXXXI. — [MAGISTRO RUFO ÆSOPUS.]

Memoriam tibi tradam, karissime Rufe, meam; membratus habeo (*sic pro* membranis habeto) scriptam et in candore quod mereris a me. Suscipe donum, ut pretiosum labium saxi[s] diversi coloris ornatum, jocundem (*sic*) tuam vitam spectans, seniles annos maturos amicis semper bonus vivas, uxori luxuriosus vates (*sic pro* vaces), famulis disciplinam ingeras, tuorum vota bene cernas, et mente legas fabulas. Et ne forte lector æstimet me lapsum in inprudentiam, invenies in servis tuis esse narrandi vias. Nam et veteres et paucæ fabulæ olim fuerunt, quarum, ut majus foret corpus, adjeci et meas novas aperte et breviter scriptas. Apposui vera malis, conposui integra bonis, ostendi vias malorum, confirmavi vias bonorum. Sequatur quisque quod libeat. Per hæc omnia docto et intelligenti parvus non est meus labor, ut norit quisque fabularum genus cur sit inventum; verum ipsam vitam hominum et mores [ostendens], instruxi legere volentes.

[EPILOGUS.]

Quid conferant fabulæ.

Fabulas Poetæ a fando nominaverunt, quia non sunt res factæ, sed tantum loquendo fictæ, quia ideo sunt inductæ ut

per ficta mutorum animalium inter se colloquia ymago quædam vitæ hominum monstraretur. Has primus invenisse traditur Alcinon Cortoniensis. Sunt autem fabulæ ysopiæ aut libisticæ. Ysopicæ sunt, cum animalia muta inter se sermonicare videntur, vel quæ animam non habent, ut urbes, arbores, montes, petræ, flumina. Lybisticæ autem, cum hominum cum bestiis aut bestiarum cum hominibus fingitur vocis esse commercium. Fabulas Poetæ quasdam delectandi causa finxerunt, quasdam ad naturam rerum, nonnullas ad mores hominum sunt interpretati. Delectandi causa fictas, ut eas quas vulgo dicunt, vel quales Plautus et Terentius conposuerunt. Ad naturas rerum fabulas fingunt, ut Vulcanus claudus, quia per naturam nunquam rectus est ignis; ut illa triformis bestia, prima Leo, postremo Draco, in medio Chimera, id est Capra, ætates hominum per eam volentes distinguere, quarum prima ab adolescentia ferox et horrens ut Leo, dimidium tempus vitæ lucidissimum ut Capra, et quod acutissime videat; tunc fit senectus ut Draco; sicut et [H]ip[p]ocent(h)auri fabulam confictam, id est hominem Equo mixtum ad exprimendam velocitatem humanæ vitæ, quia Equum constat velocissimum esse. Ad mores hominum; ut, apud Horatium, Mus loquitur Muri et Mustela Vulpeculæ, ut, per narrationem fictam, ad id quod agitur vera significatio referatur. Historia est, cum res aliqua, quomodo secundum litteram facta vel dicta sit, plano sermone refertur. Allegoria est cum verbis sive rebus misticis præsentia Christi et Ecclesiæ sacramenta signantur. Tropologya (*sic*) est moralis locutio, quæ ad institutionem et correctionem morum mistice sive aperte respicit. Anagoge est ad superiora ducens locutio, quæ de præmio futuro, et ea quæ in cœlis est vita futura, apertis sive misticis sermonibus disputat. EXPLICIT.

II.

VINDOBONÆ CODEX LATINUS 901.

INCIPIT ÆSOPUS.

I. — FABULA DE AGNO ET LUPO.

(Fol. 7 *a*.) — Agnus et Lupus sitientes ad quendam rivum e diverso venerunt. Superius bibebat Lupus; Agnus autem inferius de rivo bibebat. Lupus autem, ut Agnum vidit, sic ait : Cur turbasti mihi aquam bibendo? Agnus patiens ait : Quomodo aquam turbavi tibi, quæ a te decurrit ad me? Lupus non erubuit mendacium præferre veritati. Maledicis, inquit, mihi. Agnus ait : Non maledixi verum dicens. Lupus dixit : Ergo et pater tuus fuit ante sex menses qui mihi pari modo fecerat. Agnus ait : Numquid ego natus fui tunc? Sicque Lupus improba fauce dixit : Et ad me loqueris, latro? Et statim insiluit in eum, ac innocenti vitam abstulit.

Hæc illis est dicta fabula, qui injuste hominibus calumpniantur.

II. — DE MURE ET RANA.

Mus, cum vellet flumen transire, a Rana petiit auxilium. Annuens illa petitioni ejus, lichnum (*sic*) grossum poposcit. Quo sibi alligata natare cœpit. Sed medium cum venisset in gurgitem, Rana se inferius immergens, Muri misellæ vitam finivit. Surgente autem Mure, simul Rana sursum elevatur. Milvus vero pendentem desuper cernens escam, unguibus rapuit, Ranamque simul sequentem sustulit.

Sic enim illis (fol. 7 *b*) contigit qui de salute alterius adversa cogitant.

III. — DE CANE ET OVE.

Canis calumpniosus dixit reddi sibi debere panem ab Ove, quem dedisset mutuum. Contendebat autem Ovis nunquam se ab illo panem accepisse. Cum autem ante judices venirent, Canis dixit se testes habere. Introductus Lupus ait : Scio panem accomodatum (*sic*) Ovi. Introductus Milvus : Me coram acceperat, inquit. Accipiter autem, cum introisset : Quare negas quod accepisti, inquit? Victa a tribus falsis testibus, Ovis judicabatur arc[t]ius reddi. Coacta autem, ante tempus lanam suam vendidisse dicitur, ut quod non acceperat redderet.

Sic calumpniosi faciunt mala innocentibus et miseris.

IV. — DE CANE.

Canis, flumen transiens, partem carnis in ore tenebat. Cujus umbram cum vidisset in aqua, suspicatus est majorem. Sed patefaciens os ut caperet, amisit quod tenebat.

Sic qui quærit alienum, dum plus cupit, suum perdit...

Non sua qui cupiunt, merito quæ sunt sua perdunt.

V. — DE VACCA.

Dicitur iniqua (*sic pro* nunquam) esse fidelis divisio cum potente, sicut subjecta fabula refert.

Vacca et Capella atque Ovis sodales fuere Leonis. Inierunt (fol. 8 *a*) consilium, ut venationem simul exercerent. Tunc cervum capientes et dividentes, Leo ita fatur : Ego primus tollo ut Leo. Nam secunda pars mea jure est, eo quod sum fortior vobis. Tertiam vero nichilominus meam defendo, quia plus cucurri vobis. Quartam vero qui tetigerit me inimicum sibi habebit. Sic totam prædam illam solus improbitate sua abstulit.

Monet ista fabula non sociari potentibus.

VI. — [DE RANIS AD SOLEM.]

Vicini qui erant fures frequentabant nuptias. Cum interve-

nisset quidam sapiens, vidit vicinos sibi ita congratulari; enarrare cœpit : Audite, quæso, gaudia vestra. Sol uxorem ducere voluit; quod omnis natio interdixit, et magno clamore Jovem non celavere. Jupiter, conmotus ex illis, causas injuriæ quærit. Tunc unus ex illis ait Jovi : Modo Sol unus est, et itinere suo omnia disturbat, ita ut pene deficiat subtus cœlum tanta creatura. Quidnam erit nobis futurum, cum Sol filios procreaverit?

Ammonet hæc locutio malis non congratulari.

VII. — DE LUPO ET GRUE.

Ossa dum comederet Lupus, unum ex illis inhæsit (fol. 8 *b*) gutturi transversum graviter. Invitavit ipse magno pretio qui extraheret sibi hoc malum. Rogabatur tunc Grus longo collo ut præstaret Lupo medicinam, scilicet ut caput immitteret et dolorem ex faucibus extraheret. Sanus dum Lupus foret, postulabat Grus reddi præmia promissa. Fertur Lupum dixisse : Ingratum est illi Grui quod caput incolome extulit, non læsus dente nostro et mercedem postulat. O injuria meis viribus!

VIII. — DE CANE.

Canis parturiens rogabat alteram Caniculam ut in ruus (*sic pro* ejus) cubile exponeret fœtum. At illa roganti concessit. Cum vero exposuisset partum, adultis catulis, petebatur ut exiret. At illa non concessit petenti. Paulo post hæc cœpit arc[t]ius cubile suum repetere; illam coegit migrare. Tunc illa stomachando : Quid, inquit, te turbas cum injuria? Si mihi et huic turbæ occurreris, aut si es fortior nobis, reddam tibi locum.

Alioquin boni homines sic amittunt sua, qui per blanda verba credunt aliis.

IX. — [DE HOMINE ET COLUBRO.]

Frigore et gelu ubique rigente, quidam pietatis causa Colubrum ad se sustulit, et inter latera sua (fol. 9 *a*) fovens

servavit. Refectus autem usque ad tempus æstivum, cœpit esse injuriosus ac multa veneno fœdare, et ne cum gratia exiret, injuriis pelli noluit (*sic pro* voluit).

Hanc fabulam multi sciant, qui voluntate sua quosdam ingratos servantes nutriunt; quos, dum exire coegerint, nocent.

Nos bona quis facimus, nos sæpe nocere videmus.
Cedere nec volunt jussi, sed lædere quærunt.

X. — DE ASINO ET APRO.

Aliquanti homines, cum sibi faciunt risum, aliis calumpniam inferunt, sed sibi malum asciscunt, veluti Asinus occurrens Apro. Salve, inquit, frater. Indignatus Aper tacuit, ac dissimulans iram agitavit caput. Absit a me, ait, ut de vano sanguine dentes coinquinem. Nam oportet injuriosum vel laceratum dimittere.

Monet hæc parabola insipientibus parcere debere, stultos aut[em] arguere qui melioribus audeant insultare.

XI. — DE MURE.

Mus Urbanus iter agebat, receptus hospitio Muris Agrestis (fol. 9 *b*). Qui mensa posita intulit glandem et [h]ordeum. Sed, convivio peracto, Urbanus rogavit Agrestem Murem secum venire ad delicias reconditas suas. Consensit ille, et ingrediuntur ambo in honestam domum, in qua erat cellarium omnibus bonis plenum. Cum hæc ostenderentur, ait Mus Muri : Fruere mecum, amice, quæ nobis cot(t)idie superant. Cumque multis cibariis uterentur, venit Cell(er)arius festinus et (h)ostium cellarii repente inpulit, Muresque perterruit, ita ut fugam per diversa tenerent. Nam Mus Urbanus notis cavernis citius se abscondit. Agrestis autem fugit per parietes ignarus et vix aufugit. At ubi, clauso ostio, Cell(er)arius recessit, aiebat Mus Urbanus : Quid te, o compar, turbasti fugiendo? Nichil verearis, istis bonis fruamur. E contrario Agrestis Mus : Tu, inquit, his solus fruere bonis, nec (fol. 10 *a*) timeas nec pavescas, neque perturbatio

conmoveat te. Et ego, dum vivo in agris, fruar, in quocumque loco lætus, ubi nec timore nec perturbatione commovear. Nam tu vivis semper sollicitus, et nulla tibi adest securitas. Attensa capieris muscipula vel ab inimico comederis. Et ego laboribus meis securus assideo.

Hæc fabula increpat qui se fingunt melioribus meliores, quod sæpius non cedit in prosperum. Diligant homines frugalem vitam et securi fiant.

XII. — DE VULPE.

Vulpi catulos Aquila rapuit, portavitque pullis suis escam datura. Prosecuta autem Vulpis Aquilam rogabat. Quam illa contempsit ceu inferiorem se. Vulpis autem plena dolo ab ara ignem rapuit, id est faculam ardentem, arboremque circumdedit stipula collecta. Cumque fumus et ignis perstreperent, Aquila, dolore pulsa, Vulpi catulos reddidit illæsos.

Ut hæc fabula narrat,

Nemo ita despectus, (fol. 10 *b*) quin possit lædere læsus;
Ex te nam læsus, te lædere præmeditatur.

XIII. — [DE AQUILA, CORNICE ET TESTUDINE.]

Aquila Testudinem rapuit atque ad alta cœli volavit. Testudo, introrsum se colligens, nullo potuit periculo tangi. Nam et Cornix econtra volans laudavit Aquilam verbo. Optimam, inquit, fers prædam; sed ejus ostendo ingenium tibi, quia sine causa portas onus, nichil factura viribus. Tunc Aquila illi partem se daturam promisit, cœpitque Cornix consilium dare : Usque ad alta, inquiens, volato, ac perspice ubi sint deorsum loca petrosa, subitoque prædam dimittas ab alto, et sic cornibus fractis utamur escis. Sic Aquila fecisse dicitur. Et quem (*sic*) munierat natura, iniquo periit consilio.

Deperit interdum justus per verba malorum,
Dum malus invidia dat mala consilia.

XIV. — [DE VULPI ET CORVO.]

Cum de fenestra caseum raperet Corvus, alta consedit in

arbore. Vulpis, ut hunc vidit, econtra Corvo (fol. 11 *a*) ait : O Corve, quis similis tibi et pennarum tuarum quam magnus est nitor ! Qualis decor tuus esset, si vocem habuisses claram ! At ille, vocem ostendere volens, validius sursum clamare cœpit, sicque ore patefacto caseum amisit. Quem celeriter cadentem Vulpis suscepit et aufugit. Ille pœnitentia ductus, licet non profuisset, doluit.

XV. — [DE LEONE SENI, APRO, TAURO ET ASINO.]

Qui amittit dignitatem deponat audaciam.

Annis defectus et viribus Leo, cum gravatus jaceret, spiritum traxit extremum. Tunc Aper venit ad eum iratus ac spumans, flamm(in)eis dentibus pristinum vindicavit ictum. Deinde Taurus hostile corpus Leonis cornibus perfodit. Hocque Asinus cernens calcibus illi frontem contudit. At ille, cum gemitu suspirans, dixisse fertur : Cum esset virtus mea, fuit honor, fuit timor, ita ut omnes (fol. 11 *b*) viso me fug[er]ent, et opinio ipsa terrebat plurimos. Quos benivolus non læsi et quibus auxiliator fui, ipsi malignantur mihi. Et quia sum sine viribus, nullus est honor pristinus.

Monet hæc fabula homines mansuetos esse in dignitate.

Qui malus est multis, hic post lædetur ab illis,
Viribus ut totis pecudes nocuere Leonem.

XVI. — [DE ASINO DOMINO BLANDIENTE.]

Asinus, cernens cot(t)idie Dominum suum blandiri Catello eumque cibari de mensa, fertur sic dixisse : Si animal inmundissimum Dominus meus sic diligit, quanto magis me, si affectu et obsequio familiarem ostendero me. Nam Cane melior sum et multis rebus utilior sum ; aqua et sacris fontibus alor, cibusque mundior mihi donatur, et ideo vitæ (*sic pro* vita) meliori queo frui et maximum habere honorem. Cum autem hæc Asinus secum cogitaret, vidit Dominum suum domum introire, accurritque velocius ; clamans stansque coram eo pro-

siluit, altiusque levans (fol. 12 *a*) priores pedes imposuit super humeros Domini sui, et lingua eum lingere cœpit, et guttulis ex ore fluentibus vestem ejus maculavit, nimiumque pondere suo fatigat Dominum suum. Ergo ex clamore Domini illius concitatur familia, fustes lapidesque arripiunt, membrisque costisque fractis Asinum ad præsepe traxerunt semivivum.

Invideat nullus ne vir monet iste libellus,
Ob quam rem cæsus dolet in se stultus Asellus.

XVII. — [DE LEONE ET MURE.]

Dormiente Leone in silva muribusque agrestibus luxuriantibus, contigit unum ex illis super Leonem non voluntarie venire. Qui expergefactus celeri manu miserum apprehendit Murem. Rogare vehementer cœpit ille veniam sibi dari, eo quod inscius et absque voluntate Leonem inquietasset dormientem. Leo vero anceps paulo substitit, cogitans utrum se ulcisci an ignoscere deberet. Crimen autem dicebat haut parvum (fol. 12 *b*) sibi imminere, si Mus ab eo occideretur : ignoscit ac dimittit. Post paucos ergo dies Leo in foveam cecidit, captumque ut cognovit se, alta voce rugire cœpit. Mus autem ut agnovit, ad eum usque cucurrit, quid ei evenire potuerit inquirens. At ubi cognovit captum Leonem : Non est, inquit, jam quod timeas quin pristinam gratiam tibi restituam, non immemor beneficii tui. Tunc omnes artis illius ligaturas lustrare cœpit, et dentibus nervos secando rodere festinat, laxabatque artis illius ingenia, et ita Mus Leonem captum solvit ac silvis reddidit.

Monet hæc fabula ne quis infimum lædat.

Nunquam te retrahas parvis dimittere culpas;
Cum veniam poscunt; nam tempore munia reddunt.

XVIII. — [DE PULLO AD MARGARITAM.]

In sterquilinio quidam Gallinaceus, dum quæsivisset escam, invenit margaritam. Quam ut vidit, secum ait : Bona res, in

stercore jaces. Te si cupidus invenisset, quo gaudio te rapuisset, (fol. 13 *a*) ita ut redires ad splendorem pristinum? Ego inveni te in hoc loco jacentem, sed potius mihi escam quæro. Nec ego tibi prosum, nec tu mihi.

Hæc illis Æsopus narrat qui minus intelligunt.

XIX. — [DE AVIBUS ET HIRUNDINE.]

Spargi et arari lini semen omnes Aves pro nichilo habuere. Hirundo autem hoc intelligens, convocatis Avibus, retulit conveniens tale obprobrium (*sic*) for(t)e. Dissimulantes autem Aves omnes risere. Deinde, quando fructificavit supra dictum semen, iterum Hirundo ait Avibus : Mane venite, et eruamus illud. Nam, cum accreverit, retia ex hoc machinantur ut humanis manibus capi possimus. Sed tunc, sicut et prius, omnes verba spreverunt Hirundinis. Animadvertit hoc Hirundo et ad homines se contulit, latitans sub tectis eorum. At certe (*sic pro* ceteræ) Aviculæ, quæ monita subsannaverant, assunt ut semper in retibus cadant.

Sic qui salutifera consilia spernunt, injuriæ restant.

Credere despiciunt stulti verbis sapientum ;
Cum se deceptos cernunt, tunc pœnitet illos.

(Fol. 13 *b*.) — XX. — [DE RANIS REGEM PETENTIBUS.]

Ranæ, vacantes in liberis paludibus ac stagnis, magno clamore ad Jovem facto, petierunt sibi rectorem qui errantes corrigeret. Cum hoc vellent, risit Jupiter. Et cum iterum clamarent nichilque responsi acciperent, instantius clamabant. Tunc Jupiter pius innocentibus misit in stagnum magnum lignum tigillum, quod omnes paventes fugierunt. Postea vero una audacior cunctis, volens nosse regem ipsarum, protulit caput super stagnum, et, ut vidit lignum, omnes convocavit. Illæ autem natantes pavide rectorem suum salutavere. Sed ut agnoverunt nichil aliud esse nisi mutum lignum ac insensibile, supersalientes cœperunt conculcare iterumque clamare. Tunc

Jupiter misit illis [h]idrum (*sic*) miræ magnitudinis, qui statim singulas necare cœpit. At illæ voces lacrimis omnes ad sidera tollunt : Succurre, Jupiter; en morimur omnes. Tunc Jupiter, intonans ab æthere, ita respondisse fertur. Cum vos peteretis, nolui; (fol. 14 *a*) cum vellem, immensum petistis. Sed quia noluistis bonum sufferre, malum sustinete.

Qui nolunt malos sustinere, forte invenient pejores defensores.

Stulti nil sapiunt, Dominum cum sæpe reposcunt.
Subdere se quærunt, talia cum faciunt.

XXI. — [DE COLUMBIS ET MILVO.]

Cum sæpe Columbæ fugerent asperum Milvum, Accipitrem sibi fecerunt defensorem, putantes se sub ejus protectione fore tutas et salvas. At ille, fingens correptionem, cœpit eas devorare. Tunc una ex illis ait : Levius fuit modestum (*sic pro* molestum) et importunum Milvum pati quam istius potestate necari. Sed merito hoc patimur, quæ nos tali conmisimus rectori.

Subditur hic juste, cui se conmittit ap[er]te.

Nec post libertus vocatur, sed colibertus.

XXII. — [DE CANE FIDELI.]

Quidam Fur nocturnus cum panem mitteret Cani, Canis dixisse fertur : Panis pro gratia datur; ut videas, das ut pejus des, et eandem vicem reddam domino domus totique familiæ. Si te celavero, et si totum tecum aufers, quis (fol. 14 *b*) unde deinceps porriget mihi panem, cum victus fuero fame? Nolo fauces meas pane claudas, nolo cibum ut lingua mea sileat; quin potius contra te latrabo, dominum ac familiam suscitabo. Nec præsentem vitam tantum procurabo ut futuram non contempler. Aut ambula aut nuntiem (*sic*).

Hæc de se dicta intelligant, qui uno prandio bona sua perdere festinant.

XXXIII. — [DE LUPO ET SCROFA PARTURIENTE.]

Tremente partu Scrofa, venit ad eam Lupus et ait : Expone hac hora fœtum et fungar obstetricis officio, stans pro solatio tibi. Scrofa vero, ut improbum vidit, repudiavit officium ejus, dicens : Expono, frater, fœtum secura, si tu recesseris ; obsecro ut mihi des honorem, sicuti matrem decet ; nam et tu matrem olim habuisti. Discedente autem illo, exposuit fœtum secura. Quæ, si Lupo credidisset, infelicissime utique peperisset.

XXIV. — [DE MONTE PARTURIENTE.]

Mons quidam dabat gemitus magnos ceu pariens. Omnis autem circa natio, ut audivit, turbata est, nul- (fol. 15 *a*)lusque fuit memor sui. Sed post gemitum ingentem peperit murem. Fama autem hujusce modi volante, qui prius moribundi erant, spiritum resumpsere.

Sic qui malum plus timent quam deceat, ad nichilum sæpe devenient.

XXV. — [DE CANE ET AGNO.]

Inter Capellas Agno vagante, Canis dixisse fertur : Capella non est mater tua. Ovesque segregatas longius ostendit Agno, dicens : Ecce mater tua. Quæ (*sic*) dixit : Non illam quæro matrem, quæ me genuit ac sex mensibus portavit, sed quæ me nutrivit et [h]actenus ubera sua dedit. Econtra Agno Canis ait : Illa tibi mater propior est, quæ te peperit quam quæ te nutrivit. Et Agnus : Ita est ut ais, inquit. Sed illa, ut licitum ei, naturæ concessit, nescia quid sibi esset masculus an femina. Pecoribus quid prodest filius, nisi ut lanæ onus sit lucrum hominum? Et in illis dubia est fides servare quemquam.

XXVI. — [DE VENATORE ET CANE.]

Canis, cum Domino suo semper satisfecisset juvenis in venando, (fol. 15 *b*) annis jam gravatus et sua ætate jam tardatus, dentes infirmos habens, cum comprehenderet auritum

Leporem, sua virtute exivit de ore Canis, quia non fuerat læsus. Fatigat per campum Canem, et [Dominus] jurgat ineptum rei. Cui contra Canis dixisse fertur : Sunt animi sine viribus, sunt mihi scabrosi dentes. Fuimus aliquando fortes. Laudasti quod fuimus, jam dampnas quod sumus. Memorare pristina, et quod hodie possumus bonum, apud te gratum sit.

Ergo hæc fabula probat, si quis bene egerit juvenis, senex non contempnatur.

XXVII. — [DE LEPORIBUS ET RANIS.]

Nam cum strepitus magnus ad Lepores subito venisset, consilium fecerunt sibi, ut se præcipitarent propter assiduos metus, veneruntque ad oram fluminis, ubi Ranæ multæ fuerunt. At ubi venit agmen Leporum, expaverunt Ranæ et in fluvium se jactaverunt. Lepores cum hæc viderent, unus illorum ait : Sunt et alii timentes, sequamur vitam ut ceteri, feramus si quid acciderit, neque erit (fol. 16 *a*) toto tempore malum.

XXVIII. — [DE HÆDO ET LUPO.]

Capella cum esset [fœta] et ad pastum vellet ire, ignarum Hædum monuit ne alicui aperiret, sciens quod multæ feræ stabula pecorum circuirent. Monuit et inde abiit. Venit Lupus assimilans vocem matris, ut aperiret ei. Et Hædus per rimas aspiciens sic ait : Vocem matris audio. Sed tu fallax et inimicus sub matris voce nostrum quæris sanguinem.

Sic qui monetur, caute tutus fieri potest.

XXIX. — [DE PAUPERE ET SERPENTE.]

In domo cujusdam Pauperis Serpens ire consueverat ad mensam et de micis mensæ illius co(t)tidie fovebatur. Non longo post tempore cœpit Pauper irasci Serpenti, quem securi vulneravit. Unde non post multum temporis Pauper ad egestatem rediit. Intellexit igitur fortuna Serpentis hoc accidisse, et causa illius divitem se fuisse antequam illum vulneraret, venitque precans ut ignosceret sibi. Contra sic Serpens ait :

Quia te pœnitet, ignoscam sceleri tuo. (Fol. 16 *b*) Sed quamdiu cicatrix ista apparebit, scias te integram mecum non habere gratiam. Nam tecum redeo in gratiam, si obliviscar securis perfidiam.

Ita suspectus esse debet qui aliquem læsit aliquando.

XXX. — [DE CORVO ET OVE.]

Rogabat Cervus Ovem modium tritici præstare sibi, die posito in quo redderet, præsente fidejussore Lupo. Ovis (se) ad præsens (reddere) promisit, præsentia inimici territa. Cum ad eam venit Cervus, Ovis ait : Dies quando venit, quis reddet? Tu quatis ungula campum; Lupus ubi vult peragrat. Magna est vestra fallacia.

Docet hæc fabula incaute quibusdam non credere.

XXXI. — [DE CALVO ET MUSCA.]

Calvo cuidam Musca injuriosa existens, caput a capillis assiduo morsu lacerabat. Ille vero alapa sibi non parcebat, volens capere iniquam. Illa ridens multo magis Calvum vexabat. Et Calvus ad eam sic ait : Mordes, improba. Nam mecum redeo in gratiam, sed tu morieris alapa.

Narrat hæc fabula de injuriis qui sibi inimicos creant.

(Fol. 17 *a*.) — XXXII. — DE VULPE ET CICONIA.

Vulpis Ciconiam prior ad cœnam invitavit, et posuit illi in catinum sorbitionem liquidam, de qua satiari non potuit et esuriens rediit Ciconia. Post paucos dies et illa rogabat Vulpem, ut secum veniret ad cœnam. Et Ciconia sic fecit : in lagena vitrea posuisse dicitur lautiores escas, et prior manducare cœpit Ciconia; deinde hortatur Vulpem. Statim Vulpis sensit injuriam. Tunc Ciconia dixit Vulpi : Si bona dedisti, accipe; si dedignaris, abstine.

Hoc de hiis dicitur qui verbis deludunt alios, at vero ipsi inviti fatigantur. Monet hæc fabula nullum facere importunum (*sic forsan pro* imposturam).

XXXIII. — DE LUPO.

Lupus in agro invenit tragidem (*sic*). Quem semel et iterum vertens : O quanta species! ait, et cerebrum non habet.

Hæc de illis dicuntur, qui gloriam et honorem habent, sensum autem non habent.

XXXIV. — DE GRACULO.

Graculus, tumens superbia et vana audacia, pennas Pavonis quæ ceciderant sustulit et se ornavit, et cœpit (fol. 17 *b*) contempnere suos. Miscuit se in gregem Pavonum. Illi ignoto et impudenti pennas eripiunt; injuriose calcibus et morsibus fatigant. Semivivus ab eis relictus et graviter maleque sauciatus, redire timuit ad proprium suum genus, ubi, cum esset ornatus, multos terruit. Tunc unus ex illis ait : Dic nobis si non erubescis tuas vestes non amasse, et quod natura dedit si hoc tibi sufficeret, nec ab aliis passus esses injuriam, nec a nobis pulsus fuisses. Hoc tibi bonum fuisset, si ad quod habebas vixisses.

XXXV. — DE MUSCA.

Musca sedit in temone, et injunctæ Mulæ : Quam tarde ambulas! inquit. Ambula, nam pungo tibi cervicem. Et Mula sic dixisse fertur : Verba tua non pavesco, sed hujus qui prima sella sedet, qui frenis temperat ora et loris iter flectit flagello excusso. Hic nobis potius timendus est; tu autem insolens es et vana, quæ nichil vales fortioribus facere.

(Fol. 18 *a*.) — XXXVI. — DE FORMICA.

Formica et Musca contendebant acriter quæ melior illarum fuisset. Musca sit cœpit prior : Numquid te laudibus nostris potes comparare? Ubi assum immolatur, prima gusto. In capite regis sedeo et omnibus matronis dulcia oscula figo. De quibus tu nichil. Et Formica sic ait contra hæc : Tu diceris improba, et laudas importunitatem tuam. Numquid optata venis? Reges

autem nominas et matronas castas. Tu, improba, odiris, et dicis omnia tua esse, cum ubicumque accedis fugaris; undique pelleris importuna, et per injurias abigeris. Æstate vales, bruma deperis. Ego vero sum deliciosa; hieme mihi sum secura, me incolume habet tempus, me secuntur gaudia. Tu vero cum ventoso flabello pelleris sordida.

Hæc litigiosorum est fabula. Dicis, dico; laudas, laudo.

XXXVII. — DE LUPO ET V[ULPE.]

Lupus Vulpem arguebat iratus furti crimine; illa negabat se esse ream. Tunc judex sedit Simius verax, qui intra præsen- (fol. 18 *b*) tes reum agnosceret. Contra illi causas dicunt, nudant fraudes suas, et vera sibi dicunt mutuo crimina. Tunc justus et verax judicavit inter partes eorum et de libello sententiam legit. Tu, inquit, quæris quod non perdidisti, et te tamen credo aliquid subripuisse quod bene negas in judicio. Talis sit adulatio vestra, et partes exite concordes.

Scitote omnes, qui fraudem consuevit, semper pessime vivet.

XXXVIII. — [DE MUSTELA ET HOMINE.]

Mustela cum comprehenderet mures, Homo cepit eam. Illa, cum fugere vellet: Rogo, inquit, ut parcas mihi quæ a molestiis semper purgavi domum tuam. At ille ad eam sic locutus est: Non causa mei hoc facis. Nam gratam te haberem, si pro me fecisses, et ego dedissem tibi veniam. Ideo enim mures necas ut comedas reliquias quas illæ erant rosuræ. Totum devoras et omnia tecum deportas. Nolo ut mihi deputes beneficium.

XXXIX. — [DE RANA RUPTA ET BOVE.]

In prato quædam Rana vidit pascentem Bovem, putavitque se posse fieri (fol. 19 *a*) talem, si rugosam pellem inflaret. Natos suos interrogavit: Sum ipsa quanta Bos? Dixerunt non. Iterum se inflavit potius et dixit filiis: Quomodo modo? Responderunt: Nihil simile. Tertio cum se inflaret, rupta pelle mortua est.

Ideo vulgo dicitur: Noli te inflare ne crepas.

XL. — [DE LEONE ET PASTORE.]

In silva cum erraret Leo festinans, stipitem calcavit. Collecta intus sanie, claudicare cœpit. Suspenso interim pede, fera, cum Pastori occurreret, cauda blandiri cœpit. Perturbatus Pastor, ut Leonem ad se venire vidit, pecudes ei objecit. Leo, non escam quærens sed potius medicinam, Pastori[s] in sinum pedem posuit. Pastor vero, ut vidit vulnus et magnam contusionem, tunc memor sui invenit ingenium, sumpsitque subulam et paulatim aperuit vulnus. Patefacta est contusio : sanies simul et stipes effossi sunt. Leo, ut sensit refrigerium, pro pretio medicinæ manum Pastoris linxit, assedit lateri (fol. 19 *b*) ejus paulisper, resumpsit virtutem et abiit incolumis. Post aliquantum temporis Leo ipse capitur, ut esse[t] in arena amphit[h]eatri et curreret ibi. Pastor autem crimine oppressus datur ab bestias eo in loco, ubi Leo immissus erat. Pastor in arenarium dimittitur et Leo foras. Leo cum impetu veniebat dimissus; paulatim ambulavit quousque ad Pastorem pervenit. Quem cum cognovisset oculis et vultu, cum ingenti rugitu adversus populum vocem emisit. Deinde circuivit, podium resiliens, bestiario assedit, et invitavit eum redire ad sua, et non reliquit hominem. Intellexit Pastor Leonem, sui causa, diutius stare, suspicans illum esse cui olim in silva notus fuit, cui et contusionem aperuit. Alius et alter relinquitur, ut recessis[s]et (*sic*). Ille non recessit, sed defendit. Populus, ut vidit, miratur, causam requirit a bestiario. Cumque causam redderet populo, omnes su[f]fragio magno petunt illis indulgentiam dari, et dimissi sunt si- (fol. 20 *a*)mul, Leo ad silvam, Pastor ad propria.

Hoc notum esse debet, ut omnes homines reddant sibi bonas gratias.

XLI. — [DE LEONE ET EQUO.]

Equum pascentem vidit Leo foris in prato. Hunc vero ut frangeret, subtiliter approximavit, veluti familiaris qui se diceret medicum. Equus persensit dolum, sed non repudiavit

officium. Tamen mente cito invenit ingenium : fingens se stipitem calcasse levatoque pede : Frater, inquit, succurre; gratulor, quia venisti; libera me, quia stipitem calcavi. Leo patiens accessit, quasi fraudem dissimulans. Cui velociter Equus fraudulentos calces dedit. Ceciditque corpus hostile jacuitque in terra diutius. At, ubi memor sui factus, nusquam vidit Equum; intellexit caput et faciem et totum se læsum fuisse. Digne hoc passus sum, ait, qui semper ferox veniebam; nunc familiaris et medicus accessi fallax; inimicus venire debui.

Ideo, quod es esto; mentiri noli.

XLII. — [DE EQUO ET ASINO.]

Equus quidam, ornatus (fol. 20 *b*) freno et sella ex auro et argento, ornatu pretioso decorus per membra, jumento occurrit Asino in angusto, venienti de longe et onusto, et, quia illi transeunti tardius dederat viam et quod in itinere lassus erat, dixisse fertur : Satis me teneo. Nam calcibus te rumperem, qui obvius mihi non redi[i]sti aut stares, ut transirem. Terrore illius tacuit miser Asellus, et cum gemitu testatur Deos. Non longo post tempore Equus, ruptus currendo, nullam habens diligentiam, macer effectus est. Jubet ergo dominus ut ducatur in villam et port(ar)et stercus in agrum. Accepit itaque ornamenta rustica, et onustus ibat per agrum. Asellus autem ille, in prato pascens, agnovit Equum jam infelicem, quem tali increpat sono : Quid tibi profuerunt ornamenta illa pretiosa, ut talem haberes audaciam? Nunc tu nostris utere nobiscum rusticis officiis.

(Fol. 21 *a*.) Ammonet hæc fabula ne quis in poten[ta]tu suo velit aliquem terrere.

XLIII. — [DE VOLUCRIBUS, QUADRUPEDIBUS ET VESPERTILIONE.]

Quadrupedes cum Avibus bellum gerebant et nulla pars alii cedebat; sed pugnabant fortiter, moras quidem faciendo multas. At Vespertilio (dubio) dubios et gravescentes (*sic pro* graves

eventus) timens; quia superiorem vidit aciem et magnum (*sic*) Quadrupedum, contulit se ad eosdem quasi victoriam habituros. Subito veniens Aquila in manu Martis dextra exinde vibravit alas et Volucribus se miscuit. Cessabant Quadrupedes, et statim victoria Avium visa est. Reversi ad pristinam pacem Aves et Quadrupedes, Vespertilio sententia Avium dampnatus est, eo quod suos respuit, ut lucem fugeret semper; ex[s]poliatur plumis ut volet noctibus nudus.

Sic itaque oportet ut puniantur qui alios volunt et suos relinquunt.

(Fol. 21 *b*.) — XLIV. — [DE LUSCINIA, ACCIPITRE ET AUCUPE.]

In nido Lusciniæ cum sedisset Accipiter ut specularetur aeres, parvulos illic invenit pullos. Supervenit cito Luscinia et rogabat parcere pullis. Faciam, inquit, quod vis, si bene cantaveris mihi. At illa, quamvis animus excederet, tamen cantavit. Accipiter igitur, quia prædam invenerat : Non bene cantasti, inquit. Apprehendit unum de pullis et devorare cœpit. E diverso quidam Auceps venit, et, calamo silentio levato, Accipitrem contracto visco in terram dejecit.

Sic et qui alii insidiatur, timere debet ne capiatur.

XLV. — [DE LUPO, VULPE ET PASTORE.]

Lupus multam prædam congregaverat in cubili suo per tempus, ut plures menses haberet unde posset deliciosus vivere. Vulpis, ut hæc agnovit, venit ad ejus cubile æmula, et ait : Quo merito non vidi te? Tristis fui per tot dies, quia non invitasti me. Cujus Lupus ut agnovit livorem, ait : Non de me sollicita venisti, sed ut aliqua rapias. Non grata es, quia venisti; scio te fraudem petere his verbis. Irata Vulpis Pastorem ovium (fol. 22 *a*) adiit. Agis mihi gratias, inquit, si tibi inimicum gregis tui in manus tradidero, ut jam non sis sollicitus. Pastor ait : Ego serviam tibi et tribuam si quid vis. Tunc clausum tibi (*sic pro* illi) ostendit Lupum, quem lancea ille peremit, et sic

æmula se de alieno satiavit. Deinde illa in venatorem incidit; quæ, comprehensa et a canibus laniata, sic ait : Jam ego male feci, et male modo teneor, quia alterum læsi.

Sic homines timere debent ne aliquem lædant.

XLVI. — [DE CERVO AD FONTEM.]

Cervus, bibens de fonte, sua cornia (*sic*) vidit magna; quæ nimium laudare cœpit et crura tenuia vituperare. Cum hæc Cervus faceret, venatoris vocem audivit et canes repente latrare. Fuga per campum Cervus dicitur evasisse malos. At ubi silva suscepit, magnitudo cornuum eum venantibus retinuit. Tunc mortem suam videns ait : Quæ mihi erant utilia vituperavi, et deceptuosa (fol. 22 *b*) laudavi.

Sic nos laudemus utilia et vituperemus mala.

XLVII. — DE VITULO ET B[OVE.]

Quidam paterfamilias sævum habebat filium. Nam foris cot(t)idie manebat, et servi pro eo vapulabant. Tunc auctor ait hanc fabulam : Quidam Rusticus junxit vitulum majori Bovi. Vitulus calce et cornibus e[j]iciebat jugum. A cornibus Bovem vero cum terreret Vitulus, Rusticus Bovi sic dixisse fertur : Non ut labores, inquit, jungo; sed domare volo. Nam calcibus et cornibus cum aliquos læserit, lapidibus et fustibus verberabitur.

Ita oportet quemquam domare filios.

XLVIII. — DE VIPERA ET LIMA.

In officinam cujusdam Fabri introisse dicitur Vipera, dumque quæreret aliquid ciborum, Limam rodere cœpit. Tunc Lima ridens ait ad Viperam : Quid vis, improba, tuos dentes rodere? Ipsa sum quæ consuevi omne ferrum (fol. 23 *a*) rodere. Sed, et si quid forte est asperum, fricando facio lene. Quid, improbe, dentes tuos lædere vis? Nonne ego durissimum calibem comminuo rodens? Et tu me mandere putas esuriens? Quæ sic fricando facio lenia, non magnum est quin te potius possim in

momento secando partiri. Quapropter vide si hic aliquid non amittas, scio quia nil hinc reportes.

Sic nec cum acriore certandum est.

XLIX. — DE OVIBUS ET LUPIS.

Oves et Lupi bellum inter se gerebant, ita ut neutra pars alteri cederet. Oves fuere plures, et Canes cum eis et cornuti Arietes; ideoque victoria Ovium visa est. Tunc Lupi misere legatos pacem petentes, ut esset juramentum inter eos et ut Canes obsides donarentur, e contrario Ovibus Lupi catulos destinarent ceu karissimos filios. Tunc Oves simplicissimæ, secutæ jurantes, dedere pacem. Sed non longo post tempore catuli Luporum cœperunt ululare. Quos Lupi audi-(fol. 23 *b*) entes, undique congregati, simul venere irruperuntque jusjurandum et morsibus duris laniabant Oves, nullo protegente.

Sic et qui pacem cum malis vult habere, læditur licet sero.

L. — [DE HOMINE ET ARBORIBUS.]

Securem prævalidam fecit Homo, et ab Arboribus postulabat auxilium, scilicet manubrium ex illis sibi dari. Ineuntes consilium omnes Oleastrum dedere. Sed Homo, manubrio securi coaptato, cœpit ramos et robora magna incidere viribus suis. Tunc Quercus Fraxino ait : Digne ac bene patimur, qui (*sic*) roganti hosti nostro manubrium dedimus.

Et bonum est hosti auxilium non dare.

EXPLICIT ÆSOPUS.

Laus tibi sit, Christe, quoniam liber explicit iste.

III.

BEROLINI CODEX LATINUS OCT. 87.

(Fol. 33 *b*.)

[PROLOGUS.]

Romulus Tyberino filio et[c.] De [civ]itate ethica (*sic*) Æsopus, homo quidam græcus et ingeniosus, famulos suos docuit quid homines deberent servare; verum ut vitam hominum et mores ostenderet, inducit arbores, aves et pecora loquentes, probanda cuilibet fabula, ut norint homines, cur sit inventus (*sic*) genus fabularum, aperte et breviter narratum. Apposuit vera malis et apposuit integra bonis. Scripsit calumpnias malorum, argumenta improborum, docens infirmos humiles fore, verba blanda potius cavere et cetera multa, atque miserias hiis exemplis scriptas. Ego Romulus transtuli de græco sermone in latinum. Si autem, Tyberine fili, legeris et pleno ad verbas (*sic pro* advertas) animo, invenies opposita loca, quæ tibi multiplicent et acuent (*sic*) ingenium.

I. — DE GALLO ET JASPIDE.

In sterquilinio quidam Gallus, dum quæsivit escam, invenit margaritam; quam ut vidit, ait sic : O bona res, jaces in stercore. Te cupidus si invenisset, quo gaudio te rapuisset, ita ut redires ad splendorem pristinum tuum ! Ego inveni te in hoc loco jacentem, potius mihi escam quærens, nec ego tibi prosum, nec tu mihi prodes(t).

Hæc illis Æsopus narrat, qui minus intelligunt.

II. — DE LUPO ET AGNO.

Agnus et Lupus s(c)itientes ad quendam [venerunt] rivum. Superius bibebat Lupus, Agnus autem inferius de rivo bibebat. Lupus, ut Agnus (*sic*) vidit, sic ait : Cur turbasti aquam mihi bibenti? Agnus patiens ait : Quomodo turbavi tibi aquam, quæ a te a[d] me currit? Lupus non erubuit mendacium proferre (fol. 34 *a*) veritati. Maledicis mihi, inquid. Agnus ait : [Non] maledixi, verum dicens. Lupus ait : Ergo pater tuus fuit ante VI menses, qui mihi pari modo fecerat malum. Agnus ait : Numquid ego natus fui? Et tunc sic quod Lupus improba fauce dixit : Et ad me loqueris, latide (*sic pro* latro)? Et statim insiluit in eum ac innocenti vitam abstulit.

Hæc fabula dicta est de illis, qui non juste calumpniantur homines.

III. — DE RANA ET MURE.

Mus, cum vellet flumen transire, a Rana petiit auxilium. Annuens illa petitioni ejus lignum grossum poposcit. Quo cui alligato Mure, natare cœpit. Sed medium cum venissent in gurgitem, Rana, se inferius mergens, misello Muri vitam finivit. Turgente autem Mure, Rana simul levebatur (*sic*) sursum. Milvus, præcedentem desuper cernens escam, ungu(u)ibus rapuit Ranamque simul sequentem sustulit.

Sic crimen illis contingit, qui de salute alterius adversa cogitant.

IV. — DE CANE ET OVE.

Canis calumpn[i]osus dixit sibi reddi panem ab Ove, quem dedisset mutuum. Con[ten]debat (fol. 34 *b*) autem Ovis numquam se ab illo panem accepisse. Cum autem ante judices venirent, Canis dixit se habere testes, Accipitrem modo, Lupum et Milvum. Introductus Lupus ait : S(o)cio panem commodatum Ovi. Introductus Milvus ait : Coram me acceperat. Accipiter autem cum introisset : Quare negasti quod acceperas? inquid. Victa Ovis a tribus testibus falsis judicabatur ar[c]tius reddi.

Coacta autem, Ovis ante tempus lanam vendidisse dicitur, ut quod non acceperat redderet.

Sic calumpn[i]osi faciunt mala innocentibus et miseris.

V. — DE CANE VIDENTE UMBRAM.

Canis, flumen transiens, partem carnis ore tenebat. Cujus umbram cum vidisset in aqua, majorem partem suspicatus est esse. Sed patefaciens os ut caperet, amisit quod tenebat.

Sic, dum quis alienum cupit, plus de suo amittit.

VI. — DE OVE ET CAPRA ET VACCA.

Vacca et Capella atque Ovis sodales fuere Leonis. Inierunt autem concilium, ut venationem simul exercerent. Tunc cervum cum sepisset (*sic*), individuendo sit (*lege :* sic) fatur Leo : Ego primus tollo, ut Leo; nam et secunda pars mea est jure, eo quod sum fortior vobis. Tertiam partem, noramus, mihi defendo, quia plus vobis cucurri. Quartam autem qui tetigerit, inimicum me habebit. Sic totam prædam illam solus improbitate sua abstulit.

Monet hæc fabula pauperes non potentibus sociari.

(Fol. 35 *a.*) — VII. — DE FEMINA NUBENTE FURI.

Vicini, qui erant fures, frequentabant nuptias. Cum intervenisset sapiens quidam, vidit vicinos gratulari; qui narrare cœpit : Audite, quæso, gaudia vestra. Sol voluit uxorem ducere, quod omnis natio interdixit et magno clamore Jocem (*sic*) hæc non celavere. Jupiter, commotus ex illis, causas injurii quærit. Tunc unus ex illis ait Jovi : Modo Sol unus est, et in itinere suo omnia conturbat, ita ut pene deficiat subditum cœlum tantæ creaturæ. Quidnam erit vobis (*sic*) futura, cum procreaverit Sol filios?

Ammonet hæc locutio malis hominibus non congratulari.

VIII. — DE LUPO ET GRUE.

Ossa dum devorasset Lupus, unum ex illis vi adhæsit gutturi. Invitavit ipse magno præmio, qui sibi extraheret hoc ma-

lum. Rogabatur tunc Grus longo collo ut præstaret Lupo medicinam, scilicet ut caput inmitteret et dolorem ex faucibus exciperet. Sanus dum foret Lupus, postulavit Grus reddi promissa munera. Fertur Lupus dixisse : Ingratum est illi Grui, quod capud incolume extulit non læsum dente meo et mercedem postulit (*sic*) ; injuria est meis vir[tut]ibus.

Parabola hæc monet illos, qui volunt bene facere malis.

IX. — DE DUOBUS CANIBUS.

Canis parturiens rogabat alteram Caniculam, ut in ejus cubili fœtum exponeret. At illa roganti concessit. Cum vero exposuisset partum, adultisque catulis, petebatur ut exiret. At illa roganti non cessit. Post parvum tempus cœpit ar[c]tius cogere illam huc ut exiret. Tunc altera excomachando (*sic*) : Quid, inquid, te perturbas cum injuria? Si mihi et huic turbæ occurris, aut (fol. 35 *b*) si fortior es, reddemus tibi locum.

Aliquando boni si[c] amittunt [sua], qui per verba bland(i)a aliis credunt.

X. — DE VIRO ET SERPENTE.

Frigore et gelu ubique regente, quidam Homo causa pietatis motus Columbam (*sic*) ad se sustulit et intra latera sua fovens servavit. Refectus autem ad tempus æstivum cœpit esse injuriosus ac suo ve[ne]no fœdare, et ne exiret cum gratia non [in]juriis pelli voluit.

Hanc sciant fabulam multi, qui voluntate quidem sua quosdam ingratos nutriunt. Qui, dum abire volunt, nocent.

XI. — DE APRO ET ASINO.

Aliquanti ergo homines, cum sibi faciunt risus, aliis calumpnia[s] inferunt; sed sibi tunc malum advocant, veluti Asinus Apro occurrens. Salve, frater, inquid. Indignatus Aper tacuit ac dissimulans iram agitare cœpit eum et præmeditatus intra se : Absit a me, inquit, ut vili sanguine dentes meos coinquinem; non oporteret te me injuriosum vel laceratum dimittere.

Hæc fabula monet insipientibus parcere debere, stultus (*sic pro* stultos) autem defendere, cum melioribus auten (*sic pro* audent) insultare.

(Fol. 36 *a.*) — XII. — DE DUOBUS MURIBUS.

Mus Urbanus iter agebat receptusque in hospitium Muris Agrestis. Qui, mensa posita, intulit glandinem et [h]ordeum; sed ille, convivio peracto, rogat Agrestem Murem secum venire ad delicias reconditas suas. Consensit ille et ingrediuntur ambo in honestam domum, in qua erat cellarium omnibus bonis repletum. Cum hæc ostenderentur, ait Mus Muri : Fruere mecum, amice, quæ nobis co(t)tidie superant. Cumque bonis uterentur cibariis, venit Cellarius festinans et ostium cellarii valde oppido intulit Murosque (*sic*) perterruit, ita ut fugam per diversa loca tenerent. Nam Mus Urbanus notis cavernis citius se (ab)abscondit. Agrestis autem fugit per parietes ignarus et vix aufugit non captus. Ast ubi Cellarius clauso (h)ostio exierat, Mus Urbanus dixit : Quid te perturbasti fugiendo? Nichil verearis; sed fruamur istis bonis. Econtrario Agrestis : Tu, inquit, illis bonis fruere solus, nec timeas neque pavescas; ac ego, dum vivam, agri fruar in quocumque lætus, ubi nec timore nec turbatione commovear. Nam tu vivis semper sollicitus et nulla satietas ; a mensa (*sic pro* tensa) muscipula caperis vel ab inimico com(m)ederis, et ego laboribus meis vivens securus assid(u)o.

Hæc fabula increpat illos, qui se fingunt melioribus meliores et sæpius non cedit (*sic*) in prosperum. Diligunt (*sic*) homines frugalem vitam et securi vivant.

(Fol. 36 *b.*) — XIII. — DE VULPE ET AQUILA.

Vulpi catulos rapuit Aquila,portavitque pullis suis in nido escam datura. Persecuta autem Vulpes Aquilam rogabat pro catulis. Qua(ru)m illa contempsit ceu inferiorem sibi. Vulpes, plena dolore, ab ar(e)a ignem rapuit et faculam ardentem, arbo-

remque circumdedit stipula collecta. Cumque fumus et flamma perstreperent, Aquila dolore natorum reddit catulos Vulpi illæsos.

Docet hæc fabula multos, ne quis [insultet] inferiori, ne forte incendatur ab aliqua flamma.

XIV. — DE AQUILA ET CORNICE.

Aquila Testudinem rapiens ab (*sic*) alta cœli volavit; sed Testudo, introrsum se colligens, nullo potuit periculo tangi. Nam et Cornix econtra volans laudavit Aquilam verbo. Optimam, inquit, prædam portas, sed ejus ostendo tibi ingenium, quia sine cura portas (h)onus, non factura unguibus. Cum Aquila illi partem promisit, cœpit Cornix dare consilium. Usque ad alta volato, inqui(e)t(is), ac prospice, ut, si sint deorsum loca petrosa, subitoque prædam dimittas ab alto, cornibus fractis utemur escis. Sic Aquila dicitur fecisse, et quam natura munierat, iniquo concilio (*sic*) perierat.

XV. — DE VULPE ET CORVO.

Dum de fenestra raperet caseum Corvus, alta consedit in arbore. Vulpes, ut hunc vidit, Corvo sic ait : O Corve, quis similis tibi et pennarum tuarum quam magnus est nitor! qualis Corvus esses, si haberes claram vocem? Et ille, dum vocem suam ostendere vellet, validus cœpit sursum cla-(fol. 37 *a*) mare. Sic ore patefecit (*sic pro* patefacto), caseum amisit. Quem celeriter cadentem Vulpes suscepit et aufugit. Ille pœnitentia ductus ser(m)o, licet non profuisset, pœnituit.

XVI. — DE LEONE ET APRO.

Natus (*sic pro* Annis) decrepitus et viribus Leo cum gravatus jaceret, spiritum extremum trahens, tunc Aper venit ad eum iratus et spum[e]is fulmineisque dentibus vindicavit pristinum factum. Deinde Taurus hostile corpus Leonis perforat, hocque cernens Asinus calcaribus illi frontem concutit. Ast ille gemitu

suspirans dixisse fatur : Cum esse(n)t virtus nostra, fuit honor, fuit timor, ita ut omnes me riso (*sic pro* viso) me fugerent et opinio ipsa terreret eos plurimos. Quos benivolus non læsi et quibus auxiliator fui, ipsi malignantur michi et quia sum sine viribus, nullus est honor pristinus.

Hæc fabula monet multos mansuetos esse in dignitate.

XVII. — DE CATULO ET DOMINO SUO.

Asinus, co[t]tidie cernens Dominum suum blandiri Catulo eumque ex mensa cibare, fertur sic dixisse : Si animal inmundissimum sic diligit Dominus meus et familia tota, quanto magis me, si affectu(m) et obsequio familiarem me ostendero. Nam Cane sum melior meritisque rebus utilior, et po(r)tor aqua de sacris fontibus, cibusque michi melior et mundior donatur, et immo vitæ melioris queo frui et maximum honorem habere. Cum autem hoc Asinus secum cogitasset, vidit Dominum domus introire, occurritque ei; tunc velocius clamans stansque coram eo prosiluit. Altiusque levans priores imposuit super humeros ex utroque latere Domini sui, ac lingua sua eum linxit et guttulis ore fluentibus (fol. 37 *b*) vestem maculavit; nimium pondere suo fatigat Dominum suum. Ergo ex clamore Domini illius excitatur familia; fustes lapidesque arripiunt, membris costisque fractis Asinum ad præsepium traxere semivivum.

Fabula hæc monet, ne quis (se) indignum se inge(ne)rat, ut meliorum officium faciat.

XVIII. — DE LEONE ET MURE.

Dormiente Leone in silva, muribus agrestibus luxuriantibus, contigit unum ex illis super Leonem non voluntarie venire. Qui expergefactus celeri manu miserum Murem apprehendit. Rogare itaque vehementer ille cœpit veniam sibi dari, eo quod inscius et ab[s]que voluntate Leonem inquietasset dormientem. Leo vero anceps paupo (*sic pro* paulo) subsistit, utrum se ulcisci

an ignoscere deberet; crimen autem parvum imminere cogitabat, si Mus ab eo occideretur. Ignovit ac dimisit. Post paucos ergo dies Leo in foveam cecidit, captumque se ut cognovit, alta voce ruine (*sic pro* rugire) cœpit. Mus autem, ut cognovit, adivit, ad eum usque cucurrit, quid ei evenire potuerit inquirens. Ast ubi captum se cognovit : Non est, inquit, jam quod timeam quin pristinam gratiam tibi reddam; non sum immemor beneficii tui. Tunc omnis artis illius ligaturas lustrare cœpit et dentibus nervos secando rodere festinat laxavitque artis ipsius ingenia. Et ita Mus Leonem captum solvit ac silvis reddidit.

Monet hæc fabula, minimum ne quis lædat.

(Fol. 38 *a*.) — XIX. — DE [H]YRUNDINE ET AVIBUS, UT EVELLANT LINUM.

Margi (*sic pro* Spargi) et arari lini semen omnes Aves pro nichilo habuerunt. Hirundo autem intelligens, convocatis Avibus, retulit inconventionis tale obprobrium fore. Dissimulantes autem Aves totæ riserunt. Deinde quando fructificavit supradictum semen, iterum Hirundo ait fratribus Avibus : Malum hoc est; venite, eruamus illud. Nam si accreverit, recla (*sic pro* retia) ex his machinabantur (*sic*) et humanis manibus capi possimus. Sed cum (*melius :* tum), sicut et prius, omnes verba illius deriserunt, animadvertit hoc Hirundo et ad homines se tulit, ut esset sub tectis eorum. Ast certe Aviculæ, quæ subsanaverunt, ad hoc sunt ut semper in retibus cadant.

Sic qui salutaria consilia spernunt, casuri jugiter restant.

XX. — DE MILVO INFIRMO.

Milvus jacebat pressus pondere gravis morbi. Qui rogavit murem (*sic pro* matrem) cum gemitu cordis, ut illa daret Superis vota pro ipso. Illa inquit : O mi nate, tu sæpe læsisti numina; quapropter pæna fuit tibi sæpe metuenda. Illi (*sic pro* Ubi) tunc sument[ur] medicamenta de tuo crimine? Præsens dolor [te] cogit esse fidelem; sed ista pietas tarda venit cum morte.

Nemo inmundus debet tangere munda, et qui plenus est vitiis, vix poterit alios mundare.

(Fol. 38 *b*.) — XXI. — DE RANIS POSCENTIBUS REGEM.

Omne genus fabularum probatur contra homines. Quis enim malus nisi homo? vitam hominum et mores satisque est nobis comprehendere, et tamen [auctor] ausus est breviter similes scribere fabulas. Dicam equidem bonorum [et] innocentum gesta, quod ille securus vivat, qui non habet quem timeat.

Athenienses (nil) viri boni, cum optimi forent ac liberi, neminem timerent et sibi invicem servirent, tunc bona voluntate consilium vanum adepti sunt majorem sibi donari, qui improbos compesceret aut puniret. Exinde multi terrebantur, alii prædam patiebantur, alii puniebantur, et quasi sub corruptione dolebant sibi fecisse (quod miseri dolebant et delebantur et quia cadaverum grave pondus sufferebant cumulationem). Non quia crudeles (*sic pro* crudelis) fuisse(n)t, sed potius insueti sub lege vel sub aliena [voluntate] deservirent, grave onus illis erat; conversi in pœnitentiam flebant. Tunc illis Æsopus talem fabulam refert :

Ranæ, inquit, canentes in liberis paludibus atque sta(n)gnis, magno clamore facto, ad Jovem petierunt sibi rectorem, qui errantes corrigeret. Cum hæc velle[n]t, Jupiter risit, et cum iterum clamarent, nihil res[p]onsi acciperent, in tantius clamabant. Tunc pius Jupiter innocentibus misit in stagnum lignum magnum tigillum. Quod omnes patientes fugerunt. Postea vero una audacior cunctis, volens nosse regem ipsarum, protulit capud super sta(n)gnum, et, ut vidit lignum, omnes advocat. Illæ autem natantes pavide suum rectorem salutavere. Sed ut agnoverunt nihil esse aliud quam lignum mutum ac [in]sensibile, concitæ, supersilientes cœperunt conculcare et iterum clamare. Tunc Jupiter misit eis idrum miræ magnitudinis, qui statim necare cœpit. At illæ voces cum lacrimis omnes ad sydera tollunt : Succurre, Jupiter, en morimur cunctæ. Tunc Jupiter intonans ab æthere ita respondisse fertur : [Cum] peteretis, nolui;

cum velletis, inmensum petistis; sed quia noluistis bonum sufferre, malum (am)modo sustinet[e].

(Fol. 39 *a*.) — XXII. — DE COLUMBIS ACCIPETREM (*sic*) IN REGEM POSCENTIBUS.

Cum sæpe Columbæ fugerunt Milvum asperum, Accipetrem sibi fecerunt defensorem; putaverunt enim esse sub ejus protectione totas salvas, ac ille, fingens correptionem, cœpit eas devorare. Tunc una ex illis ait : Levius molestum et inportunum Milvum pati quam modo potestate necamur, et pro recto hoc patimur, quia nosmet tali defensori commisimus.

XXIII. — DE FURE ET CANE.

Quidam Fur nocturnus cum panem mitteret Cani, Canis dixisse fertur : Panis non pro gratia datur; ut video, das ut pejus des, et eandem vicem fidei reddam domino tòtique familiæ suæ; [si te] celavero, et si totum tecum auferas, quis vel unde deinceps porrigeret mihi panem, cum fuero victus fame? Nolo fauces meas pane claudas, nec cibum, ut li[n]gua mea sileat; quin potius contra te latrabo, dominum ac familiam suscitabo et te Furem nuntiabo; nec præsentem vitam tantum procuro quam futuram contemplor; aut ambula, an (*sic pro* aut) nuntiabo.

Hæc illi sciant dicta, ut intelligant quam inutile est uno prandio rem suam perdère.

(Fol. 39 *b*.) — XXIV. — DE LUPO ET SUE. — XXIV *bis*. — DE TERRA TUMENTE.

Premente autem partum Scro(f)fa, venit ad eam Lupus et ait : Expone, soror, hora hac fœtum, et fungar obstetricis officio, stans pro solatione tibi. Scro(f)fa, ut improbum vidit, repu(n)gnabat. Expone (*sic*), inquit, frater, secura si tu recesseris; obsecro ut mihi dones honorem, sicut decet matrem; nam et tu matrem olim habuisti. Recedente illo, statim exposuit fœtum illæsa. Quæ si malo crederet, infelicissime pareret.

Sicuti quidam Mons magnus dabat gemitus magnos ceu

pariens. Omnis tunc natio, ut audiret, turbata; nullus memor fuit sui. Sed post gemitum ingentem peperit murem. Fama autem hujus modi volante, qui prius moribundi fuere, resum[ps]ere vires et spiritum.

Sic qui malum plus timent quam deceat, ad nichil(l)um sæpius proveni[un]t.

XXV. — [DE CANE ET AGNO.]

Inter capellas Agno vaganti Canis dixisse fatur : Capella non est mater tua, ovesque [inter] segregatas longius ostendit matrem. Et Agnus ait : Non illam quæro matrem, quæ genuit me ac portavit mensibus ix, sed hanc, quæ me nutrivit et ubera hactenus dedit. Econtra Agno Canis dixit : Illa mater est tibi proprior, quæ te peperit, quam quæ te nutrivit. Sed illa, ut datum (fol. 40 *a*) est, naturæ, inscia sibi, cessit, quis essem masculus an femina. Pecoribus quid prodest filius, nisi ut jam (h)onus [sit] lucrum hominibus? et in illis est dubia fides servare quemquam.

XXVI. — DE DOMINO ET CANE SUO.

Canis quidem Domino suo satisfecerat, venando. Sed gravatus senectute, dentes trementes ferebat. Quem Dominus suus Leporem prendere jussit, sed ob nimiam ille senectutem illum tenere non valens, fatigabat nimium corpus suum. Quem iratus Dominus interponit ineptum rei. Cui Canis respondisse fertur : Sum nunc sine viribus, sunt mihi scab[r]osi dentes; fuimus aliquando fortes; laudasti quod fuimus, jam dampnas quod sumus. Memora pristina, et hodie quod possumus, apud te bonum et gratum sit.

Hæc fabula probat, ut qui bene agit juvenis, in senectute non dampnatur.

XXVII. — DE LEPORIBUS FUGIENTIBUS.

Cum strepitus magnus ad Lepores subito venisset, consilium simul fecerunt, ut præcipitarent se in flumen propter assi-

duos metus. Venerunt ad lit[t]us maris, ut Ranarum multarum synagoga sedebat. Ast ubi venit agmen Leporum, expaverunt Ranæ et in flumen se submerserunt. Tunc Lepores paulo substiterunt et unus illorum dixit : Sunt namque et alii timentes vobis, (fol. 40 *b*) potius timidiores nobis; quapropter sequamur vitam nostram ut ceteræ feræ, ac portemus, si quid mali acciderit, neque omni tempore malum erit.

XXVIII. — DE CAPRA ET NATO SUO.

Capella cum esset fœta et ad pastum vellet ire, ignarum [H]ædum monuit, ne aperiret alicui, sciens quod multa ferarum [copia] perlustra[re]t (Lupus) [stabula]. Abeunte(m) autem Capella, veniens Lupus [adest] assimilans vocem matris, aperire ei rogans. [H]ædus autem, per rimas aspiciens, sic ait : Vocem matris audio, sed tu fallax et inimicus et de matris voce sa[n]guinem nostrum quæris.

Sic qui monetur, tutus fieri potest.

XXIX. — DE RUSTICO ET SERPENTE.

Fertur in domo cujusdam Pauperis Serpentem fore suetum subtus mensa illius micas colligere. Sed post non longum tempus cœpit Serpentem odire, quem securi vulneravit. Interposito autem tempore, Pauper ad egestatem rediit. Tractat vero Serpentem secum, et illius causa fore atque fortuna evenisse hoc, divitemque fieri, si non læsisset ipsum. Veniens ita iste precatus est ut ignosceret precanti, et Serpens inquit : Quia pœnitet te, ignoscam tibi; sed tamen ut (*sic pro* ante) quam(quam) cicatrix clausa fuerit, non credo integram fidem; nam redeo tecum in gratiam, si obliviscar securus perfidiam.

Ita suspectus esse debet, qui aliquem aliquo modo vulneraverit vel læserit.

(Fol. 41 *a*.) — XXX. — DE CERVO ET OVE.

Rogabat Cervus Ovem modium tritici sibi præstare; dicebat die præterito se reddere, et, ut firmior ejus sponsio esset,

Lupum adhibuit fidejussorem. Tunc Ovis ad præsens promisit inimisi (*sic*) præsentia territa, et post parvum tempus : Dies quando, inquit, veniet, quis reddet? Tu quatis ungula campum; Lupus ubi vult peragrat, et magnæ sunt vestræ fallaciæ.

Docet hæc fabula caute cuilibet credere.

XXXI. — DE CALVO ET MUSCA.

Ut Calvo fuit (fuit) injuriosa Musca et nudum caput capillis assiduo morsu mordebat, ille alapis non parcebat, volens inimicum lædere. Sed illa subridens eum multo magis vexabat. Tunc Calvus ad eam fertur dixisse : Mortem quæris, inproba; nam facile mecum (non) redeo in gratiam, et tu mea alapa morieris.

Hæc de [in]juriosis fabula refert.

XXXII. — DE VULPE ET CICONIA.

Vulpes Cyconiam ad cœnam prior invitavit : [ponit] in cat(h)ino sorbitionem quandam liquidam, de qua saturari non potuit, neque rostro [af]ficiendum hujusmodi cibum aptare quærit, esuriensque rediit Ciconia. Post autem paucos dies iterum illa Vulpem rèinvitavit ad convivium. Diciturque Ciconia fecisse in lagena vitrea cibos simimes (*sic pro* similes) absconsos. Prior velut, longiori colle (*sic*) cœpit mandare. Deinde hortabatur Vulpem. Sed Vulpes injuriam sensit, dictumque Ciconiæ percepit : Si bona dedisti, accipe, si dedignaris, ignosce.

Hoc de illis dicitur, qui verbis (fol. 41 *b*) deludunt, ita ut fatigantur in postremis injuria(m).

XXXIII. — DE LUPO CAPUT HOMINIS INVENIENTE.

Perlustrans Lupus silvas invenit pulchrum caput. Tunc semel et iterum vertens : O quantam speciem habes! inquit; sed cerebrum non habet.

Hoc de illis dicitur, qui gloriam et honorem habent, sed sensum non habent.

XXXIV. — DE GRACULO ET PAVONE.

Graculus, superbia tumens et vana audacia, pennas Pavonis sustulit cadentes seque ornavit, ac sepit (*sic pro* cœpit) suos contempnere socios, miscens se gregi Pavonum. Sed illi ignoto impudentique pennas cum (cum) injuria erip[i]unt calcibusque et morsibus fatigavere et semivivum dimiserunt. Tunc unus antea despextis (*sic*) ex illis ait : Dic nobis, si non erubescas? Quid tibi profuit quod tuas vestes deposuisti aliasque amasti? Sed modo ignominiosus appares alienis ac tuis, exutus vestibus; melius esset, ut quod natura dedit, hoc tibi sufficeret(ur), nec ab alienis esses injuriam passus nec a nobis expulsus.

XXXV. — DE FORMICA ET MUSCA.

Formica et Musca contendebant acriter, quæ melior esset illarum. Tunc Musca prior sic ait : Numquid tu nostris (fol. 42 *a*) potes comparari laudibus? Ubicumque (ubicumque) aliquid immolatur, ex illo prius ceteris(que) prima gusto; insuper et in capite regum sedeo et omnibus matronis dulcia fi(n)go oscula; de quibus rebus tu nichil habes. Econtra Formica : Tu, inquit, diceris inproba bestia, et laudas inportunitatem tuam. Numquit optata vel invitata venies? Reges et matrones (*sic*) tu nominas castas, quibus es inportuna, et dicis tibi omnia fore; ubicumque aggresseris, odiosa repelleris. Æstate tantum vales, et pruina veniente deperis. Ast ego deliciosa in hieme secura sum, meque tempus tenet incolumem, gaudiaque secuntur. Sed tu cum (in)vent(u)oso flabello invita repelleris, ubi tunc es vaga et sordida.

Hæc fabula litigantium est, qui instabili laude apud se foventur exaltati.

XXXVI. — DE MUSCA ET MULA.

Quædam Mula annexa fuit currui, quam mulio, i.e. servus Mulæ flagellavit. Musca vero, videns Mulam se non posse defendere, læsit eam dicens : Te lædo et [op]primo, quia tarda es.

Cui respondit Mula : Magna profers nunc verba et vis videri magna; sed te [non] tantum timeo quantum illum, qui cædit maxime mea terga.

Fructus hujus fabulæ est, quod timidi et debiles inponunt fortibus minas, quando vident illos oppressos.

(Fol. 42 *b.*) — XXXVII. — DE MUSTELA ET VIRO.

Mustela, cum comprehenderet mures, ab Homine capitur ferturque dixisse : Parce mihi, Homo, quia ex molestis sueta sum purgere (*sic*) domum. Ac ille : Non causa mei facis hoc, inquit; nam gratam rehaberent (*sic pro* te haberem), si pro me feceris, veniamque promeruisses; sed ideo mures necas, ut comedas reliqui[a]s nostras, quæ solitæ fuerunt corrodere, et tu totum devoras omniaque tecum deportas. Nolo tibi parcere, inquit. Sicque nocuam morti dedit.

XXXVIII. — DE LUPO ET VOLPE.

Lupus prædam multam in cubile congregaverat tempore longo, ut multos menses potuisset deliciosus vivere. Ut hoc Vulpes cognovit, ad ejus cubile accessit, fraudulenter inquirens : Per tot dies non vidi te, quia tristis eram ; quapropter non visitavi te. Cui Lupus, ut agnovit livorem, ait : Non de me sollicita venisti, sed ut aliqua rapias. Et adjecit : Non gratis est quod venisti; scio te fraudem petere. Hiis verbis irata Vulpes ad Pastorem ovium abiit. Agis gratias, inquit, si tibi inimicum gregis tui hodie in manus tradidero. Et Pastor inquit : Ego serviam tibi, si quid volueris. Tunc illa ostendit ei Lupum clausum, Quem ille lancea percussit. Sicque æmula illa de alieno sa[n]guine se saturavit. Tunc non multum postea venatoris canibus [comprehensa] est.

Idcirco timere possunt, qui alii ecclesiæ malum machinantur.

(Fol. 43 *a.*) — XXXIX. — DE RANA ET BOVE.

In prato Rana quædam vidit Bovem pascentem. Putabat

se ei similem esse, si rugosam pellem inflaret, et natos suos interrogabat taliter : Sum talis, qualis est Bos? Et illi : Non, denique aiunt. Iterum autem illa, multo se inflans, dicebat : Et quid modo? Responderunt : Nichil adhuc simile. Tertio autem, cum inmensum se inflaret, mortua est pelle derupta.

Et ideo vulgo dicitur : Noli te inflare, ne crepes.

XL. — DE LEONE ET PASTORE.

Dum erraret Leo in silva festinans, sti[r]pem calcavit. Sed collecta interius sanie claudicare cœpit. Tunc occu[r]rens Pastori cuidam, cauda sua blandire cœpit, pede nihilominus suspenso. Perturbatus vero Pastor, Leonem ad se venire cernens, pecudes ei objecit, putans eum escam quærere. Ille autem, non escam sed potius medicinam quærens, in sinum Pastoris pedem posuit. Cernens autem Pastor rumorem (*sic pro* tumorem) vulneris, memor sui, invenit ingenium tale : Sumsit acutam subulam et paulatim aperire ulcus cœpit; quo patefecit, concusio (*sic pro* patefacto, contusio) saniei simul cum sti[r]pe effunditur. Tunc Leo sensit refrigerium, et in pretium medicinæ linxit manus Pastoris, assidensque lateri ejus, paulo post resumsit vires et abiit incolumis. Post aliquantulum (fol. 43 *b*) vero tempus Leo ipse capitur, ut se in arena ampliciatur (*sic*), Pastorque, similiter captus crimineque victus, dabatur bestiis devorandus eo loco, ubi Leo est. Leo fortis dimissus cum impetu vadit, usque dum Pastorem vidit. Quo viso paulum incedere cœpit. Agnoscens autem eum, ad populos versus vocem emisit, circuensque podium bestiario assedit, nutibusque suis invitat Pastorem [redire] ad sua, ipse conservans. Tunc Pastor intellexit ipsum Leonem esse cui olim salutem præstitit. Sed populus, cernens potius Leonem servare quam devorare, miratus est, causamque a bestiario quærit. Cumque respondisset populo causam beneficii, id est mutui, vita utrique a populo [cum] incolumitate perdonatur. Et sic, similis dissimili, Leo ad silvam, Homo ad sua peragit.

Ita et unicuique convenit alteri gratiam referre fidei sane.

XLI. — DE EQUO ET LEONE.

Equum vidit pascentem Leo in prato. Idem subtilis, ut ei appropinquaret, simulavit se medicum esse; cœpit familiarius stare. Sed Equus persensit dolum, et tamen non repudiavit effectum (*sic*). Ex ingenio vero finxit se stip[it]em calcatum habere, levatoque pede : Succurris velocius, congratulorque, [quia] venisti; libera me, quia incautus calcavi stipite[m]. Ergo patiens accessit fraude dissimulata, cui velociter calces turbulentos dedit. Cadens Leo diutius amens jacuit (fol. 44 *a*) in terra; paulo post memor sui doluit, capite et in omnibus membris ægre effectus; Equum nusquam potuit videre. Digne, inqui(e)t(is), hoc passus sum, quia, cum fui semper sævus, veniebam familiaris et ceu medicus accessi, cui potius inimicus venire debui.

Ideo, quod es esto, et noli mentiri.

XLII. — DE EQUO ET ASINO.

Eq[u]us, sella ex auro et argento fabricata ornatus, occurrit Asino onerato in limite augusto, et quia illi transeunti tardius dederit viam, cœpit cum superbia et ma(n)gna ira dicere : Satis me modo cohibeo, quod te calcibus non dirumpam, qui mihi obvius non steteras, usque ego dum transirem, et tu juxta morem postea tardius ambulasses quo debueras. Terrore illius ac superbia[e] pavore(m) tacuit miser Asellus. Etenim non post longum tempus Equus ruptus in currendo propter maciem despicitur, jus[sus]que a domino suo ut stercus sedulo in agros deferat, et rustica ornamenta suscipiens, oneratus ibat ea via, qua Asinus in prato pascebatur. Levans itaque capud, Asellus agnovit eum talique sono increpuit gaudens : Quid tibi profuerunt illa [or]namenta pretiosa, quibus me despexisti multamque audaciam habens? Sed modo nobis simile ornamentum geris officiumque idem agis. Dic nunc, quid audaciæ habeas?

Ammonet hæc fabula, ne quis in potentatu inferiorem sibi despiciat.

(Fol. 44 *b*.) — XLIII. — DE AVIBUS ET QUADRUPEDIBUS PUGNANTIBUS.

Qui se duabus partibus obnixum commiserit, hic et illic ingratus vivit reusque erit potius sibi.

Quadrupedes cum Avibus magnum bellum gerebant, et neutra pars alteri cedebat. Ac ubi Vespertilio dubius extiterat quæ pars victoriam caperet, contulit se ad Quadrupedes, æstimans se ibidem cum hiis triumphum sumere, Avibus cæcis (*sic pro* cæsis). Sed subito Aquila, veniens in manu Martis dextra, vibravit alas ac Volucribus se commiscuit. Tunc ingens silentium factum est. Cessabant enim Quadrupedes et statim visa est victoria Avium. Paceque reddita, singuli ad propria redi[e]re. Post hoc sententia Avium dampnatur Vespertilio, eo quod suos socios reliquerat et Quadrupedes amaverat, ita ut lucem fugeret. Exspoliatur propriis plumis, ut nudus noctibus volet.

Sic itaque oportet ut patiantur qui, suis relictis, ad alios volant.

XLIV. — DE FILOMENA (*sic*) ET ACCIPITRE.

In nido Lusciniæ cum consederet Accipiter auras speculari, parvos inveniebat ille pullos. Sed, cito superveniens cum [esca], Luscinia rogabat eum parcere pullis. Faciam quod vis, inquit, si bene cantaveris michi. Ex metu sui ac pullorum illa coacta cantaba(n)t. Accipiter, prædam desiderans, rupit sponsionem dicens : Non bene modo cantasti, et apprehendens unam de avibus lacerare cœpit. Sed adverso (fol. 45 *a*) quidam Auceps venit, et, calamo similiter levato, Accipitrem in terram deposuit.

Sic etiam qui alii insidiatur, timere debet, ne capiatur.

XLV. — DE CERVO CERNENTE CORNUA IN FRONTE.

Quondam Cervus, bibens de fonte, sua cornua vidit, intusque ea laudare cœpit cruraque tenu[i]a vituperare. Tunc subito vocem venatoris audiens, fugam iniit, canibusque eum

sequentibus silvam ingreditur. Ibique ex densitate virgarum et magnitudine cornuum captus est. Tunc memor sui ait : Quæ mihi erant utilia, vi[tu]peravi et deceptuosa laudavi, ideoque sic patior meriti (*sic pro* merito).

XLVI. — DE DIIS ET DEABUS.

Diis de (*sic pro* et) deabus presentibus, Juno cœpit laudare castitatem, ac suasit optimam fore feminam unius viri contentam, nil extra quærere. Tunc Venus, jocundi (*sic pro* jocandi) causa, interposuit Gallinarum jura, statuensque karitativam (*sic*) et domesticam Gallinam in medio, ait : Dic, nec confundaris, quanto possis saturari cibo? At illa : Quandocunque, inquit, [fuerit, hoc mihi] (h)abundare; nam præstat et adhuc scalpo. Econtra Venus coram omnibus dixisse fertur : Ne scalpem (*sic pro* scalpes), ut dem tibi modium tritici. Et Gallina : Si mihi, inquit, horreum patefacis, tamen scalpo (me). Ast illa in risum versa est, et Gallinæ loquala (*sic pro* loquela) Veneris, quia et Dii feminis id similiter fieri intelligebant. Sic etiam deinceps Jupiter incœpit amare feminam et post (fol. 45 *b*) eum alii multi. Deinde Venus cum Marte et Fulcano (*sic*) dicitur concubuisse et post eam aliæ atque similiter [h]actenus arctæ.

XLVII. — DE FEMINA CUJUS VIR OBIIT.

Femina dum quædam amiserat virum, ad manseolum (*sic*) se contulit, ubi maritus ejus erat positus, quo lugubres ageret dies. Contigit autem quidam ex vicino graviter deliquisse et ex lege accepta sententia suspenditur in cruce. Sed ne a suis furaretur nocte, custos ibi ponitur. Qui dum diu observasset, siti fatigatus est. Accessit autem ad locum mauseoli, aquam pusillam rogans. Accepit et abiit. Intereaque veniens consolatus est feminam plorantem; hunc et terreat (*sic forsan pro* hoc et tertio). Sed interim illo morante subtrahitur qui pependit in cruce. Miles autem rediens non invenit crucifixum ac reversus ad mulierem plangebat apud eam. Quæ statim maritum de loco

levavit et in stipitem eundem fixit. Et sic quæ prius fuit casta, postea scelus utrumque a[d]misit.

Habeant mortui quod dole(b)ant, et vivi, quod timeant.

(Fol. 46 *a.*) — XLVIII. — DE PATRE ET FILIO PATERNO.

Quidam pater familias servum (*sic pro* sævum) habebat filium, ita ut omne justum fugeret errans, et servi co(t)tidie flagellabatur (*sic pro* flagellarentur). Tunc sapiens auctor talem patri scripsit fabulam dicens : Quidam Rusticus Vitulum habuit indomabilem. Sed quia erat pauper, vinxit eum loris compari suo et aratrum trahere jussit. Sed Vitulus delicatus, capite semicurvo, calcibus in altum saltus dedit, lora(m)que defringens fugam petiit. Ast Rusticus ex cogitatu per artem cepit Vitulum, blandiensque cornua ejus ligavit fortius et Bovi forti adjunxit, et dixit : Non ut dampneris, debes vagari ; sed domare te cupio. Nempe, si calcibus vel cornibus aliquid læserit, lapidibus vel fustibus debilitetur.

Ita decet quemquam filios suos domare.

XLIX. — DE VIP(P)ERA ET LIMA.

In officina cujusdam Fabri introisse dicitur Vip(p)era ; quæ dum quæreret aliquid ciborum, rodere cœpit Limam. Rudens autem Lima ad Vip(p)eram sic exorsa est : Quid vis, improba, dentes tuos lædere aut nimio rodens tumes, mandere putans, esuriens? Quæ sic fricando facio lenia, non magnum est quam te possim in memorato (*sic pro* momento) secando partire (*sic pro* partiri) ; quapropter vide, si hoc aliquid non amittas. Scias quod tu nihil hic reperies.

Sic nec cum arctiore certandum est.

(Fol. 46 *b.*) — L. — DE OVIBUS ET LUPIS QUI BELLUM INTER SE GEREBANT.

Oves et Lupi bellum inter se gerebant, ita ut nulla pars alteri cedere vellet. Oves fuerunt plures et Canes multi cum eis

ac cornuti Arietes. Ideoque victoria Ovium visa est. Tunc legatos miserunt Lupi pacem petentes, ut esset juramentum inter eos, et Canes obsides eis donarentur et econtra Ovibus proprios catulos destinarent seu karissimos filios. Tunc Oves, sicut simplices, intrantes (*sic pro* jurantes) dederunt pacem. Sed non longe post catuli Luporum cœpit (*sic pro* cœperunt) ululare; quod Lupi undique audientes congregati simul venerunt. Ruperuntque jusjurandum et morsibus diris laniaverunt Oves, nullo protegente(s).

Sic qui pacem cum malo vult habere, læditur, licet sero.

LI. — DE SECURI ET ARBORE.

Secure prævalida fracta, Homo ab Arboribus postulavit, manubrium sibi dari. Invenientes consilium, omnes Oleastrum dederunt. Sed Homo, manubrio in securim coaptato, ramos et robora ma(n)gna cœpit viribus incidere suis. Tunc Querc(i)us Fraxino ait : Digne ac bene patimur, qui roganti hosti nostro manubrium dederunt (*sic pro* dedimus) :

Idcirco bonum est hosti non dare auxilium.

(Fol. 47 *a.*) — LII. — DE CANE ET LUPO QUI FUERANT SOCII.

Omnis libertas actio est bene agenti (*sic pro* agendi). Sed pro(c)h dolor, in liberis est sanitia (*sic*) et in servis virtus et gloria. Pollere video servos et pro nichilo ducere liberos. Sicut Canis et Lupus, dum convenerunt in silva gradientes per iter, Lupus dixit Cani : Unde, frater mi, tam nitidus et sic pinguis es? Cui Canis respondit : Quia sum custos domi; nam et si latrones veniunt, non ingreditur quisquam; nocte si fortem furem annuntio, affertur mihi panis et da[n]tur ossa reliquarum; insuper dominus ac familia tota, diligentes me, aliquid pro[j]iciunt mihi, et, si quid eis ciborum fastidit, me vocantes mihi porrigunt; ex hiis venter impletus gestit me sub tecto cubare. Lupus dixit : Vellem, si fieri possem, ita otiosus vivere, ut absque labore cibum sumerem et sub tectis cubarem. Et Canis:

Si vis, inquit, ut tibi bene sit, veni mecum; nihil est quod timeas. Ambulantes ergo per iter in domum, intuebatur Lupus Canem diligentius; cernit collum catena attritum, et ait : Quid est, frater, quod attritum est collum tuum? Quia sum ac(c)rior, inquit, die ligor et nocte solvor. Et Lupus : Sta, inquit, frater mi; non est opus mihi frui quæ laudasti; viribus meis volo vivere, et mihi, quidcumque acciderit, proprio arbitrio comportabo. Et ubicumque volo, peragro; sed et cathena nulla me stringit; nulla causa inpedit, viæ mihi patent, aditus est in montibus, et in silvis protectio; nec timor est ullus; nam de grege pascor, feras capio, anseres prando; quando voluerim, cibus me delectat, quia et canes ingenios[os] deludo; quapropter vive tu, ut consuevisti, et ego viram duram (*sic pro* vitam ducam), sicut ex primo parente secu[tus sum].

(Fol. 47 *b*.) — LIII. — DE MANIBUS ET PEDIBUS VENTRI DEDI(N)GNANTIBUS.

Nemo aliquid valet sine suis; [ita est de] partibus corporis humani, de quibus dicitur indignatas esse Manus et Pedes, et noluerunt cibum dare neque servire. Esuriens autem Venter personuit, ut ei cibum (*sic*) donatur, et nemo sibi ministrabat, Manibus et Pedibus conspirantibus. Sed jejuno Ventre membra omnia cœperunt lascere (*sic pro* lassari). Post hoc voluerunt iterum afferre; sed recusavit Venter, quia jam clauserat venas.

Sic nec majores neque minores sequestrati vivere queunt.

LIV. — DE SIMEA ET VULPE.

Rogabat Simea Vulpem, ut magnitudine suæ caudæ per cuniculam (*sic pro* particulam) sibi daret, quæ posset turpitudine[m] natarum suarum obtegere, dicens : Quid enim tibi utile est tantæ longitudinis cauda[m] per terram trahere? Cui Vulpes dixit : Utinam major esset et longior! Non curarem quam per spinas ac lutum ac per petram eam traherem, ita ut tu meo ornamento non videaris pulcrior.

Locuples et avare, sic te hæc fabula tangit.

(Fol. 48 *a.*) — LV. — DE NEGOCIATORE ET ASELLO.

Fuit quidam Negociator in via cum Asello, festinans nundinas ingredi cito. Onustus autem Asellus fustibus hinc et inde cæditur, ut veniret citius lucri causa. Asellus autem econtra optabat mortem, putans se morte securum esse. Lassatus et quassatus moritur. Statimque ex pelle illius facta sunt tympana et cribella, quæ semper percutiuntur. Et qui putabat post mortem securus esse, ille post finem cæditur.

LVI. — DE BOBUS ET CERVO QUI IN STABULO ABSCONSUS FUIT.

Cervus, perturbatus strepitu venatorum, ut eos evaderet, in proximam villam devenit et se in stabulum Bo(v)um (Bovum) conjecit, referens Bobus ob quam causam veniret. Et unus ex Bobus ait : Ut quid huc venisti, miser? Nam silva te melius celabat. At ille supplex : Vos, inquit, me modo celare [sinite], ut, dum fuerit sero, [eam] ubique securus. Hoc dum loquitur, obscuro se condidit loco. Cumque fenum bubulci Bobus deferrent, Cervum non viderunt. Intrans et major illa vi[ll]a, lustrans Boum salutem, non vidit Cervum. Tunc Cervus, gratias agens Bobus quod eum fugientem celaverant, et unus ex illis ait : Salvum te servavimus, si ab illo absconderis qui habet centum oculos; sine dubio necaberis, quando ab eo visus eris. Inter hæc verba dominus Boum ingreditur; sciscitabatur qualiter Bobus gratia ageretur, cernensque erecta Cervi cornua ceu inscius ait : Quid est hic? videte, bubulci. Illi stupefacti dicebant se nescire, unde esset vel cujus foret Cervus. Et ille, gaudens cum tota familia, captum sine venatu Cervum trucidat, epula[n]s multum.

Hæc fabula probat dominum plurimum posse in rebus videre.

(Fol. 48 *b.*) — LVII. — DE LEONE, QUEM FERÆ IN REGEM ELEGERUNT.

Cum sibi cunctæ feræ regem fecissent fortissimum Leonem,

ille voluit more(s) regum bonam famam sequi, renuntians prioribus factis, et (*sic pro* nec) voluit sanguine prædam sequi. Insuper juravit nil mali ulterius bestiis se facturum. Sed esurie conpellente rumpit juramentum, at (*sic pro* ac) post singula[s] quasi secreto locuturus, cœpit dicere (*sic*), interrogans feras si os eorum foteatur (*sic pro* ejus fœteret), et eas, quæ negabant, quam quæ confitebantur simili modo, necabat bestias per singulos dies. Cum hoc multis [fecisset], venit ad Simeam interrogabatque simili modo ut ceteris (*sic pro* ceteras) si putorem [haberet. At illa : Sicut, inquit, cinnamomum vel uti Deorum altaria. Leo autem erubuit lædere laudatricem], sed ut læderet eum (*sic pro* eam) fidem irrumpens, simulavit languorem. Et continuo venerunt medici, diligentissime perquirentes quomodo sanarent regem bestiarum. Et ut sanum viderent, cibum Salmonis suaserunt sumere. Et ille igitur : Hæc est, inquit, caro Simiæ ; vellem hanc probare. Ut est locutus, statim Simea necatur boniloquax.

Et ita una pæna est (tacentis) loquentis et tacentis.

LVIII. — DE VULPE ET BOTRO.

Fame Vulpes coacta uvam sursum in alta pendentem viderat, ad quam pervenire volebat, saltus altius dans, nec attingere potuit Botrum. Et sic irata fertur dixisse : Nolo te, acerba et inmatura ; et abiit.

LIX. — DE MUSTELA ET MURIBUS.

Mustela, cum fuerat senex ac Mures non sequebatur, involvit se in farinam. Venientes autem Mures ignari capiuntur hujuscemodi. Postea veniens, qui major erat annis et cautus insidias muscipularum bene cavere, intellexit deceptiones ingeni[os]as ; ait : Illiciarius es et devoras innocentes ; me autem non capies, qui omnia bene novi ingenia.

(Fol. 49 *a.*) — LX. — DE BUBULCO ET LUPO.

Cum persecutionem fugeret [im]pius Lupus et a Bubulco esset visus quo loco latitaret, orat timens ne proderetur ab eo. Et Bubulcus : Ne timeas, inquit, quia in alia parte te esse persecutori dicam. Tunc subito qui persequebatur eum, veniebat clamans ad Bubulcum, et ait : O Bubulce, ostende mihi illius vestigia, quibus possum prendere eum. Et ille : Venit quidam me cenus (*sic pro* tenus) et in sinistram partem abiit, et interea dextram eum oculis esse imminebat. At ille non intelligens discessit. Post hoc Lupus Bubulco ait : Gratias a me referre poscis, sed linguæ tantum ago, et oculis tuis fallacibus magnam cæcitatem apud Deos flagito.

Hæc fabula bilinguibus multum est simillima.

Scriptor finivit, quamvis male scribere scivit.

EXPLICIT ÆSOPUS

ROMULI NILANTII FABULÆ,

EX BODLEIANÆ BIBLIOTHECÆ MANUSCRIPTO CODICE DIGBEIANO 172 EXTRACTÆ.

(Fol. 97 *a*.)

INCIPIT PROLOGUS IN TRES LIBROS FABULARUM ÆSOPI ATHENIENSIS.

Romæ imperator Tiberino (f)filio salutem. Æsopus quidam, græcus sapiens et ingeniosus de civitate Attica, discipulos suos quid homines observare debeant docent (*sic pro* docens), hunc librum composuit. Verum ut vitam hominum et mores ostenderet, introducit personam omnium arborum, bestiarum et pecorum loquentium, probandam cujuslibet fabulam, ut orant homines cur sit inventum genus fabularum, quod aperte et breviter narravit. Apposuit vera falsis, composuit integra bonis, scripsit calumpnias malorum, argumenta bonorum docens, et firmos esse humiles et verba blanda potius cavenda esse quam aspera docuit et multas miserias hiis exemplis scriptas. Id ego Romulus ad tuam, necnon ad multorum aliorum sagaci mente investigantium utilitatem, de græco sermone in latinum transtuli. Si autem hæc, Tiberine fili mi, frequenter lectitaveris et per omnia sagaci mente (ad)animadvertas, invenies apposita loca quæ et multiplicant sensum et acuant satis ingenium.

[LIBER I.]

I. — DE GALLINACIO, QUI, IN STERQUILINIO QUÆRENS ESCAM, INVENIT MARGARITAM.

Æsopus hanc primam fabulam dixit de hiis qui despiciunt sapientiam, ut quodcunque bonum inveniunt.

In sterquilinio quidam Gallinacius, dum quæreret escam, invenit margaritam in indigno loco jacentem. Quam ut vidit, sic ait: Bona res, in stercore jaces. Si aliquis cupidus invenisset te, gaudens utique rapuisset te, ut redires in splendorem pristinum decoris tui. Ego te inveni in hoc loco jacentem, petens a te escam mihi : nihil invenio utilitatis in te; quapropter nec ego tibi prosum, nec tu mihi.

Hæc Æsopus narrat illis qui non intelligunt bonum quodcumque habent.

II. — DE AGNO ET LUPO AD RIVULUM POTANDI CAUSA VENIENTIBUS.

Quodam tempore Agnus et Lupus ad unum rivulum e diverso, causa potandi, venerunt; sed Lupus superior ad illam partem, unde flumen currebat, bibebat; Agnus vero inferior. Lupus, ut Agnum vidit, sic dixisse fertur : Quare michi perturbas aquam bibenti et lutulentam eam efficis? Cui Agnus patienter respondit : Quomodo aquam perturbarem tibi quæ a te ad me decurrit? Lupus non erubescens veritati: Maledicis mihi, inquit. Ad hoc Agnus respondens : Non maledixi, ait. At contra Lupus ait : Æqualiter mihi pater tuus ante sex menses bibenti de eodem flumine fecit. Cui Agnus respondit: Numquid tunc natus eram? Tunc Lupus improba fauce iratus inquit: Et adhuc audacter loqueris, latro? Et, statim in eum dirigens cursum, innocenti vitam arripuit.

Hæc illos tangit fabula, qui inique aliis calumpniantur, ut aut vitam aut pecuniam vel etiam utramque accipiant.

III. — DE MURE QUI IN TRANSITUM FLUMINIS A RANA PETIVIT AUXILIUM.

Qui saluti et utilitati aliorum insidiantur, talem pœnam aut hic aut etiam illic aliquando non effugient, sicut sequens fabula pronuntiat.

Quodam tempore, dum Mus quoddam flumen transire vellet, auxilium a Rana simpliciter petivit. Cui Rana callide respon-

dens ait : Libens tibi auxilium feram, si prius grossum lini filum michi et longum adduxeris. Filo quantotius adducto, Rana illum circa Muris collum firmiter necnon et suo proprio pedi, insidia n s Muri tradens, ligavit. Qui ita ligati ad medium flumen devenerunt natando, et tunc statim Rana, profundum fluminis petens ut miserrimo Muri vitam arriperet, immersit se. Sed Mure miserrimo ne mergeretur validius renitente, Milvus desuper advolans Murem unguibus rapit necnon et Ranam lino ligatam sustulit.

Sic etenim omnibus contingit (fol. 97 b) qui aliis insidiantur.

IV. — DE CANE CALUMPNIOSO QUI PANEM AB OVE REPOSCEBAT.

Subsequens fabula attestatur, quod semper malivoli homines et calumpniosi, innocentibus et bonis hominibus insidiantes, falsos testes secum pro pretio adhibent.

Quodam tempore Canis calumpniosus panem ab Ove, quem sibi mutuum, ut loquebatur, dederat, reposcebat. Contendebat autem contra innocens Ovis, nunquam ab illo se panem accepisse affirmans. Sed cum coram quodam judice, quem adierant, de hac re contendebant, judex ille illos interrogavit numquid testes haberent. Cui Canis respondit se duos testes habere, Lupum scilicet et Milvum, quibus præsentibus panem Ovi dederat. Qui, dum advocati fuissent, professi sunt se esse testes illius rei. Ad hæc indiscretus judex, qualitatem testium non discernens : Quare, inquit, negasti quod accepisti ? Tunc misera Ovis, tribus (*sic*) falsis testibus convicta, quod non acceperat reddere cogitur. Sed coacta, dum unde redderet non haberet, hyemali frigore ante tempus congruum lanam vero suam vendidisse dicitur; qua vendita, morte periit ; cujus carnem tres (*sic*) falsi testes partiti sunt.

Sic sæpe calumpniosi insidiatores calumpnias innocentibus et miseris undecunque circumvallantes protendunt.

V. — DE CANE, QUI FLUMEN TRANSIENS PARTEM CRUDÆ CARNIS IN ORE GEREBAT

Sæpe amittit propria quisquis avidus aliena appetit, ut Æsopus in sequenti fabula refert.

Quodam tempore Canis, flumen transiens, partem crudæ carnis ore tenebat. Cujus umbram repercussam cum deorsum in profunda aqua vidisset, aperiens os suum, ut illam, [quam videbat in profundo, caperet, eam] quam ore tenebat perdidit, nec illam quam sub aqua desiderabat optinere (*sic*) valuit.

Sic quisquis aliena inhianter quærit, sæpe propria perdit.

VI. — DE LEONE BUBALO ET LUPO VENATUM PERGENTIBUS.

Subsequentes fabulæ referunt impotenti nunquam esse utile partiri aliquid cum potentiore se.

Antiquorum relatione famosum habetur quod Leo sit Rex omnium bestiarum habeatque sibi congruos ministeriales : Bubalum videlicet comitem et Lupum præpositum. Qui etiam simul condixerunt pergere venatum. Cumque in saltu venationem exercerent, mirum occiderunt cervum. Tunc fertur Lupum percuntasse a Bubalo qualiter cervus partiri deberet. Bubalus inquit in judicio senioris hoc constare. Talia Leo sentiens ita inquit : Perspicuum vobis est quod mihi prima pars contingit, quia Rex sum; secunda(m), quia vobiscum illum occidi; tertiam autem si quis sibi vendicat, offensam meam incurrit. Ac si neuter illorum illius offensam habere nollet, quia sibi duas partes juste competere eos convenierat, tertiam partem illi concesserunt, nihilque illius prædæ usurpare sibi ausi sunt.

VII. — DE VACCA, CAPRA ET OVE, QUÆ LEONI SE SOCIAVERUNT.

F(f)ertur quia quodam tempore Vacca, Capra atque Ovis societatem pepigerunt cum Leone. Cum simul in saltibus vena-

rentur, Leo cervum prostravit. Sed cum, factis de se quatuor partibus, partiri necesse esset et inæquales in portando onere essent, fertur ita Leo respondisse : Ego primus, quasi fortior, omnes partes tollam. Quapropter primam mihi partem jure legitimo vendicabo. Secunda mea pars est, eo quod sum fortior vobis. Tertiam mihi defendo, eo quod plus omnibus cucurri. Quartam autem qui tetigerit, semper sibi me inimicum esse non ambiget. Quibus non audentibus quartam partem tangere, ille improbus totam prædam abstulit.

Monet hæc fabula cunctos impotentes non sociari potentibus.

VIII. — QUALITER F(F)URES CONTRIBULES NUPTIAS CELEBRAVERUNT.

A natura nulla creatura mutatur, excepto Homine et Angelo; sed dictu sæpius de malo pejor nascitur, sicut subsequens fabula testatur.

Quodam tempore quidam contribuli (*sic*) Fures celebrabant nuptias, ad quos convivantes cum quidam sapiens advenisset, vicinos in adventu suo gratulari conspiciens et adulari eis cupiens, continuo cœpit narrare, inquiens : Audite, fratres, gaudia vestra, quæ vobis annuntio. Cum Sol dudum uxorem ducere vellet ut ex ea filios procrearet, omnis visibilis creatura illi interdixit. Sed cum ille creaturis non assentiret, immenso clamore et querelis atque conviciis Jovem prosecutæ sunt. Ad hæc Jupiter commotus ab eis causas percunctatur. Tunc una ex illis illi respondit : Audivimus Solem uxorem ducere velle, cui longo tempore contradiximus. Sed, cum nostræ voluntati obedire nollet, ad te talem injuriam retulimus. Cui Jupiter ita ait : Quid vobis de tali matrimonio displicet? Ad hæc illa ait : Modo Sol omnia æstu suo perturbat et comburit, ita ut prope deficiant. Quidnam nobis est futurum, si Sol procreaverit filios?

Admonet loquens hæc, (fol. 98 *a*) cunctos homines non lætari malivolorum hominum conjunctione et pace.

IX. — QUOD, CUM QUIDAM LUPUS OSSA RODERET, UNUM EX OSSIBUS FAUCIBUS EJUS INHÆSIT.

Quicumque malivolo et insipienti benefacit, sibi et multis aliis impedit. Sed, ut hoc verum esse intelligas, audi fabulam subsequentem.

Quodam tempore, cum Lupus ossa roderet, unum ex eis faucibus ejus inhæsit transversum. Quo dolore graviter commotus, ubique pro magno præmio requirebat medicum, qui illud inde eriperet. Sed, cum omnia animalia tali periculo se credere non auderent, novissime deprecabatur Gruem ut rostro longo et collo sibi adjutorium ferret. Tandem Grus obediens medicamina illi præstare non piguit, et illud de faucibus ejus foras eduxit. Cum ergo Lupus sanus esset, Grus petitorem suum promissa sibi reddere præmia rogabat, et Lupus ita respondisse refertur : Ingratus (*sic*) es, stultissime Grus, quæ capud incolime (*sic*) meis faucibus non laceratum meis dentibus extulisti, et me mercedem tibi reddere exposcis, improbe. O injuria meis vir[tut]ibus orta!

Hæc parabola illis pertinet qui bene faciunt insipientibus.

X. — DE DUABUS CANICULIS, QUARUM UNA PRÆGNANS ERAT ET ALIA NULLUM CATULUM HABEBAT.

Malivoli et insipientes per blanda verba sua bonis et simplicibus graves faciunt injurias, ut subjecta parabola demonstrat.

Quodam tempore prægnans Canicula deprecabatur aliam Caniculam quæ nullum catulum habebat, ut in illius cubile suos catulos, quos in utero habebat, exponere possit. At illa roganti facile concessit ingressum. Cum vero exposuisset illa partum suum, cœpit altera cujus cubile erat abigere eam. At illa deprecabatur inducias temporis quo usque sui catuli vigerent, et illa tantum temporis spatium deprecanti concessit. Sed cum tertio illa compelleret eam exire, fœta illa respondisse refertur : Quid deturbas me injuriose? Nam, si mihi occurreris et

turbæ catulorum meorum, si non fortior nobis fueris, non solum cubile tuum tibi non reddemus, sed etiam, si quæsieris, morte morieris.

Aliquando boni sic amittunt sua qui credunt aliis per blanda verba.

XI. — DE MURE RURALI A MURE URBANO IN HOSPITIUM RECEPTO.

Per hanc subsequentem fabulam facile demonstratur multo melius esse securum in paupertate vivere quam divitias cum cotidiano pavore multas habere.

Jam dudum Mus Urbanus, dum iter agebat, magna prolongati itineris lassitudine fatigatus, a quodam Mure Agrario in qualicumque despecta et vili castella hospitio benigne receptus est. Cui nuces et glandes et [h]ordeicia grana cum pervia aqua exhibuit. Deinde, dum Mus Urbanus, illic refectione facta, mane domi rediret, Murum (*sic*) Agrarium secum ad epulas et convivia venire rogabat. Qui roganti obtemperans venit cum eo; qui, dum simul ambularent trepidi, caræ sibi civitatis portas intrant; deinde honestam domum illius Urbanici Muri[s], in qua erat cellarium omnibus bonis refertum, ingrediuntur. Cum hæc Mus Muri ostenderet, ait : Fruere mecum, amice, hiis bonis quæ nobis cotidie supersunt. Cumque multis cibariis et diversis potuum generibus fruerentur, venit Cellarius festinus, et (h)ostium cellarii subito impulit. Tunc Mures, strepitu perterriti, fugam per diversa capiebant. Sed Mus Urbanus statim notis sibi abdit se cavernis. At ille miser Agrarius Mus ignarus, pene morti proximus, fugiens per parietes, demum morte pernici fuga elapsus est. Ac, uti Cellarius subinde exiit, et domum, seratarus (*sic*) ut ante, reliquerat, Mures, undecumque colligentes se, ad consuetas epulas rediere. Sed cum Mus Civilis Murem Agrarium nihil manducantem cerneret, nimio timore pertritum, ait ad eum : Quid te tam terribiliter fugiendo, amice, turbasti? Fruamur istis bonis: nihil verearis nec timeas. Cui ille Agrarius e contrario ait : Tu fruere, qui nihil

timos nec pavescis, nec te turbatio cotidiana terret : ego securus frui volo in agro quodcumque Deus dedit lætus. Nullus me talis terrebat timor, nec ulla perturbatio cotidiana. Nulla tibi satietas est, quia semper sollicitus vivis; aut [t]enso muscipulo tenearis, aut captus a Cato comedaris.

Hæc fabula prohibet illos inopes, qui se melioribus adjungunt, ut fruantur aliquibus bonis, quibus ea fortuna non dedit; diligant frugali (*sic*) vitam tantummodo et securi sint in suis castellis.

XII. — DE AQUILA, QUÆ CATULOS VULPINOS RAPUIT, ABSENTE VULPECULA.

Admonet et sequens fabula potentes ne multum despiciant impotentiores se, quia frequenter evenit ut inpotentes possint nocere potentioribus.

Jam dudum Aquilam vulpinos catulos rapuisse fertur absente Vulpecula; quos in nidum reponens, pullis suis ad escam (fol. 98 *b*) dare disponebat; quam Vulpecula subsequens deprecabatur catulos suos sibi reddi; cujus preces Aquila comtempnens quasi inferioris, dare catulos noluit. Tunc demum Vulpes, plena dolore in se conversa, ignem a foco rapuit, et, collecta stipula atque gramine, arborem, in qua nidum suum Aquila fabricaverat, et in qua pulli illius erant, ingentibus flammis circumdedit. Cumque fumus et flamma perstreperent et ad summitatem arboris pene pertingerent, Aquila, nimium dolore compulsa ac(ri) pullorum cura, ne perirent, vulpinos catulos incolumes matri supplex reddidit, obsecrans ut adductum restringeret incendium.

Hæc fabula admonet cunctos, ne quis inferiori insultet, ne taliter illi ab eo aliquando eveniet.

XIII. — DE AQUILA, QUÆ TESTUDINEM GRANDEM DE MARI RAPUIT.

Docet subsequens parabola, quod, multum muniti et ex omni parte tuti, viri malis consiliatoribus subverti possint.

Jam dudum rapuit Aquila ingentem Testudinem de mari; quam cum in summum su(b)stulisset, Testudinem intus in conclusa concha latitantem eripere foras cupiens, nihil contra eam valuit, quia frangere concham non potuit. Tunc Cornix e-contra advolans, et Aquilam adulatoriis verbis ultra modum laudans : O Aquila, opimam, inquit, affers prædam. Cui Aquila respondit, inquiens : Nec mihi nec tibi pondus quod porto utile est. Cui Cornix : Ut inquis, inquit. Ad hæc Aquila respondit : Quia concham frangere non valeo, Testudinem foras extrahere non possum. Ad hæc Cornix inquit : Si partem mihi dares, demonstrarem tibi consilium utile, quo frangere concham posses. Cui Aquila promisit partem. At Cornix subsequenter tale consilium dedit, illi inquiens : Quantum maxime potueris, perniciter volando in summum aera, cum ingenti præda quam portas, subleva te ipsam, et ubi petrocissimam (*sic*) terram subtus te esse perspexeris, de summo aere dimitte Testudinem, ut concha fracta fruamur esca. Et sic Aquila fecisse fertur, ut concha quam natura munierat iniquo periit consilio.

XIV. — DE CORVO, QUI CASIUM DE FENESTRA FERTUR RAPUISSE ET ALTAM ASCENDISSE ARBOREM.

Testatur subsequens fabula, quod multi in fine pœnitent qui falsis adulationibus facile assentiunt.

Quodam jam dudum tempore Corvus casium de fenestra rapuisse fertur; cum quo altam conscendit arborem. Cumque illum disponeret comedere Corvus, subdola Vulpes ad radices arboris, hæc videns, stetit, cogitansque in semetipso quo modo fraudulenter caseum a Corvo eriperet, ita dixisse fertur : O Corve, quis tibi similis ? et pennarum tuarum nitor magnus est, et si tam præclaram vocem haberes, nulla alia avis præcelleret te. At ille, dum placere Vulpi vellet et vocem claram se habere jactanter demonstrare cuperet, aperto rostro clamare altius parans, sui oblitus casei, caseum perdidit, quem cadentem desuper celeriter Vulpes dolosa avidis dentibus rapuit. Tunc Corvus

ingemiscens, stupore nimio deceptus, falsis adulationibus credidisse pœnitet. Sed postquam homo perdiderit quicquid amat, quid pœnitentia illi proficit?

XV. — DE LEONE ANNOSO LONGA ÆGRITUDINE DETENTO.

Quisquis pristinas vires suas a(d)misit, deponat etiam pristinam ferocitatem animi sui, quia pristinum honorem ab aliis habere non poterit quisquis potestatem suam priorem perdidit, ut sequens fabula narrat.

F(f)erunt fabulæ jam dudum annosum Leonem, viribus def[f]ectum, nimio dolore gravatum, longum tempus in illa infirmitate expendisse. Ad cujus visitationem omnes feræ fraudulenter mente cucurrerunt. Sed cum illum extremum vitæ an[h]elitum trahentem cernerent, nimium gavisi sunt. Tunc Aper iratus et spumans, accedens ad illum, dum nullas vires illum habere cerneret, dentibus suis graviter ventrem illius vulneravit. Taurus quoque cornibus suis hostilia Leonis littera (*sic*) confodit. At Asinus calcibus suis capud illius cerebrum usque confregit. Alii (*sic*) quoque bestiæ, in quantum vires habebant, vindictas quasdam exercuerunt in eum. Inter hæc Leo suspirans cum gemitu supplici sic dixisse fertur: Quamdiu habueram vires, honor meus et timor ubique super omnia animalia dilatata (*sic*) est, ita quod omnes, viso me et audito, sparsi per terras trementes fugerant, et etiam ipsa mea opinio plurimos terrebat; nec tam graviter dolorem [sustinerem], si illæ bestiæ mihi tantummodo malefacerent, quibus antea malefeci. Nunc autem illæ, quibus nunquam malefeci et quibus auxiliator fui, mihi malignantur, et, quia sum sine viribus pristinis, pristinus honor et timor a nullo redditur.

Monet hæc fabula omnes potentes debere mansuetos fieri in potestatibus suis.

XVI. — DE ASINO QUI LOQ[U]UTUS EST ET CATULO INVIDEBAT CANINO.

Prohibet subsequens fabula ne quis indigno (fol. 99 *a*) injus-

sus ministerio potentioris se ingerat, et quia non sibi injunctum est illud officium.

F(f)erunt fabulæ Asinum jam dudum duxisse (*sic pro* dixisse), dum videret Catellum Domino suo cotidie blandiri et de mensa ejus cotidie saturari et f(f)amiliam plura cibaria illi largiri : Si Dominus meus et omnis familia sua hoc immundissimum animal tanto amore diligunt, quanto amore diligerent, si æqualiter, ut Catellus iste, adularer illis et tale obsequium illis præstarem! Multo enim melior sum isto Cane, quia multis rebus utilior sum, mundioribus escis et nitidioribus potubus alor, et in omni causa honorabilior sum illo. Cumque hæc Asinus secum meditaretur, videns Dominum suum introire, occurrit in obviam Domini sui, quanto citius potuit, antecedere Canem cupiens, et prosiliens frendit horribili voce, et superstans posterioribus suis priores pedes suos super humeros Domini sui imposuit ac tota vestimenta sua sordidis pedibus suis commaculans, Dominum gravi pondere suo fatigavit, lingua sua lingens eum. Qua contumelia Dominus compulsus vociferari omnem familiam suam concitat in furorem adversus Asinum. Tunc omnes fustes et lapides arripiunt, Asinum hinc inde feriunt, quem demum debilem, totis membris confractis costisque, a Domino ab[j]icientes, ad præsepia lassum et semivivum abigere (*sic*).

XVII. — DE QUODAM LEONE IN SILVA DORMIENTE.

Propalat subsequens fabula, quod omnis innocens, quamvis inscienter aliquando peccaverit, oportet accipere veniam. Nam si ei non concedatur culpa sua, aliquando alicubi aut a Deo aut homine ulciscetur.

Dormiente jam dudum in quadam silva Leone, unus ex agrestibus muribus superfluo ludo luxuriantibus non voluntate incidit super Leonem, qui, exspergefactus et parva injuria in furorem conversus, celeri cursu miserum Murem subsequitur. Qui comprehensus suppliciter veniam sibi dari deprecabatur, testificans non voluntate fecisse, et omnem peccati sui seriem

profitetur, quod solus inter ceteros peccaverit, ceteros (*sic pro* coteris) inaniter ludentibus. Tunc Leo, in semetipso cogitans quid de Mure faceret, aliquandiu mortificare distulit. Sciebat enim, si mortificaret illum, magnam sibi verecundiam inferret et nullam laudis gloriam. Tunc demum ignovit Muri culpam et dimisit illum. Post paucos enim dies idem Leo in quemdam puteum inscius concidit. Qui confestim, ut cognovit capiendum se esse, maxima voce rugire cœpit. Ad cujus vocem confestim Mus ille, de quo paulo superius diximus, ut agnovit, occurrit volens scire quid mali acciderat Leoni. At ubi Leo omnem sui casus causam Muri sibi cognito indicasset, protinus illi inquid : Nichil est quod timeas jam ex hoc casu, quia ego parem tibi vitæ meæ gratiam quam mihi paulo ante reddidisti, fideliter reddam non immemor benefacti tui. Et hiis dictis omnes artes et ligaturas, quæ ad adjutorium Leonis pertinebant, lustrare cœpit. Cognovit terram fod[i]endam esse et humo replere lacum ; ad hunc laborem cohortes sociorum suorum advocavit. Tunc Leo et mures communem subjacuere laborem, dentibus et unguibus rodentes terram, et laxantes ingenia artis illius, quam contribuli illius patriæ hinc inde circa lacum ad capiendas bestias construxerant, et ita cognitus Mus Leonem captum liberatum de illa angustia silvis restituit.

Hæc fabula monet ne quis innocentem, quamvis sit potens, lædat.

XVIII. — DE YRUNDINE CETERIS AVIBUS CONSULENTE ET EJUS AB EIS SPRETO SALUBRI CONSILIO.

Per subsequentem fabulam aperte intelligitur, quod quicumque non audit bonum sapientis consilium, adveniet illi tempus quando de hoc pœniteat et nihil ei proficiat.

Jam dudum, cum omnes Aves arari et spargi semen lini viderent, et pro nichilo hoc haberint, et periculum quod illis de hoc opere de cetero im[m]inebat non perviderent, fabulæ ferunt Yrundinem hoc intellexisse et ceteris Avibus ita retulisse : Numquid non intelligitis ad periculum vestrum postea perve-

nire, si illa lini seges ad maturitatem pervenerit? Quapropter nunc meum salubre (fol. 99 *b*) accipite concilium (*sic*): veniamus omnes et eruamus nocivum lini germen, ne ad interitum nostrum perveniat. Si enim creverit, retia ad capturam nostram inde homines efficient. At vero, si erutum fuerit, securius vivamus. Quibus omnibus deridentibus et despicientibus Yrundinis concilium, Hyrundo se solum ad homines contulit et amicitiam cum eis pepigit, ea conditione ut secura posset inter homines versari et nidum ubi libet in tignis construere, et ita meruit quod petivit. Ceteræ vero Aves, qui salubre consilium spreverunt, frequenter in retibus irreti(a)tæ sunt.

[LIBER II.]

INCIPIT PROLOGUS IN SECUNDUM LIBRUM.

Omne genus fabularum sine dubio directo tramite ad homines refertur. Nemo enim est bonus malusve nisi homo. De Deo enim et Angelis non est nobis sermocinatio modo. Bona ergo fabula bono homini et mala malo æquiparari potest. Quis enim libet homo bonum faciet, nisi pro spe remunerationis et laudis, aut quis a malo se abstineat, nisi timore vindictæ et opprobrii? Aut quomodo aliquis cognoscere bonum et malum possit, nisi per anteriora exempla. Sufficit ergo nobis comprehendere mores et vitam hominum. Quapropter ego congregavi quasdam fabulas ad componendum humanum morem convenientes, quas ex Æsopi dictis transtuli in latinum sermonem. Dixi igitur bonorum et innocentium gesta, ut homines exempla inde capiant. Secure enim vivit qui non habet quod timeat. Sed Æsopus has fabulas primo ad Attenienses retulit, qui jam dudum optimi et sapientissimi atque ab omni dominali imperio liberi fuerunt, primus (*sic pro* primis) mundi temporibus, quamdiu sibi humiliter absque aliqua invidia et absque dominandi coactivo imperio

cum bona voluntate obtemperaverunt. Sed postea, subsequenti tempore, cum quidam malivoli Attenienses aliqua [in]justa contra cives suos, malivola voluntate et pravo concilio (*sic*) decepti, perpetrarent, omnes alii innocentes et qui talia mala patiebantur, ab Jove rectorem sibi dari petierunt, qui malivolos aut compesceret aut puniret. Quo adepto, multi ab eo terrebantur, multi prædam patiebantur, et plures puniebantur. Qui cum talibus tribulationibus difficulter viverent, quod ante desideraverant, si possent, iterum deponere cupiebant. Tunc Æsopus tales fabulas de talibus subsequentes intulit, cum videret illos f(f)lentes, pœnitentiam habentes de priori consilio, non quia illorum dominus nimium crudelis esset ultra morem omnium, sed quia Attenienses insueti erant servire legi et voluntati domini.

I. — QUOD RANÆ QUONDAM DEPRECANTUR JOVEM, UT EIS RECTOREM DARET.

Ranæ, jam dudum in quadam magna palude morantes et in protectione liberorum vacantes, magno clamore Jovem deprecatæ sunt, ut sibi rectorem daret qui huc illucque aberrantes Ranunculos castigando colligeret. Cumque hoc deprecarentur, Jup(er)iter risit; deinde, iterum clamore facto, hoc idem deprecari cœperunt, cum pro prima postulatione non impetraverant; quibus innocentibus, quamvis prava petentibus, pius Jupiter, volens eas alludere, valde magnum truncum annosæ cujusdam arboris in stagnum pro rectore misit, cujus sonitum omnes Ranæ fugerunt paventes. De quibus postea una Rana ceteris audacior capud suum supra stagnum elevavit, volens regem cunctis videre transmissum. Quæ, ut videt lignum transmissum, putans regem esse, omnes aliæ Ranæ statimque simul adunatæ accedunt salutare regem suum, tamen trepidæ. Sed postquam intellexerunt lignum insensatum esse et nihil boni malive posse facere, ascendentes super illud conculcaverunt pedibus suis, despicientes et pro nihilo reputantes. At iterum deprecari Jovem clamore magno pro eadem re cœperunt. Tunc Jubiter (*sic*) transmisit illis immanem Colu-

brem (*sic*), qui illas regeret. Qui, statim ut advenit, singulos necare cœpit. Tunc voces cum lacrimis omnes ad sidera tollunt, dicentes : Succurre, Jupiter, quia omnes morimur (fol. 100 *a*). Quibus contra Jubiter ita respondisse fertur : Cum primitus improbæ regem poscebatis, nolui concedere. Sed, interim clamoribus vestris compulsus, lignum mite dominari vobis transmisi; quod, quia mite erat, sprevistis eum. Post quem, alium me dare vobis injuriose rogastis, quem secundum malivolentiam vestram dedi vobis. Nunc ergo, quia miti obedire noluistis, immitem, velitis, nolitis, sustinete.

Hæc parabola tangit illos qui clementi domino nolunt obedire; quapropter per tremorem, velint, nolint, debent sustinere.

II. — QUOD SIMPLICES COLUMBÆ MILVUM SIBI IN RECTOREM ELEGERUNT.

Propalat subsequens fabula, quod malum sequitur simplicibus hominibus qui se tutandos malivolis et fallacibus credunt.

F(f)erunt fabulæ jam dudum simplices Columbas Milvum elegisse sibi rectorem ac defensorem, quem antea asperum et infestum frequenter habuerant, putantes tutiores esse sub illo, si illum dominum sibi acciperent, multo magis quam ante inimicus eis fuerat. Quarum cumque imperium ille libenter accepisset et devoraret singulas, similans (*sic*) eis leges imponere et corripere illos (*sic*), tunc una ex illis ita respondisse fertur : Melius nobis fuerat importuni Milvi inimicitias pati quam sub sua potestate ita cotidie necari; sed juste et digne hæc patimur, quia nos stulte tali commisimus seniori.

III. — DE F(F)URE NOCTURNO ET CANE SEDUCTO.

Audiamus fabulam sequentem de seductoribus et de hiis qui facile sensiunt (*sic*) seductoribus, et qui perdunt multa sua propria bona pro aliquo parvo bono a seductore accepto.

F(f)erunt f(f)abulæ quod nocturnus quidam Fur, ad alicujus

mansionem, furandi causa, nocte veniens, panem, [quem] secum habebat, Cani mansionem divitis custodienti porrigerat. Cui Canis dixisse fertur : Gratisne mihi panem porrigis, an, ut mihi videtur, ut prodam dominum meum et domum et familiam ac pecuniam tibi? Nescio enim unde tui vicem panis aliter tibi reddere possem. Sed si hoc fecero nunc tibi, nescio numquid panem mihi postea dederis, aut misericors mihi fueris, cum fame victus moriar. Puto enim te non bene mihi umquam credere, si prodidero tibi meum seniorem, qui huc me usque nutrivit. Quapropter nolo ut fauces meas tuo pane claudas, nolo cibum nocivum sumere ut me[a] lingua infidelis sit seniori meo. Contra te ergo latrabo et dominum ac familiam ejus ad te persequendum suscitabo et te nocturnum Furem illis annuntiabo; non præsentem utilitatem tantummodo considero, sed futuram; aut ergo ambules istinc, aut te annuntiam.

Hanc fabulam intelligant, qui pro tam parvo bono a seductore accepto sua multa propria bona perdunt.

IV. — DE SCROPHA PARTURIENTE, CUI LUPUS OBSTETRICALI SERVITIO VOLUIT FAMILARI (*sic pro* FAMULARI).

Docet subsequens fabula, quod nullus debet inimico suo cedere, quamvis blanda verba loquatur.

F(f)erunt fabulæ Lupum jam dudum venisse ad Scropham parturientem et in magno jam partus dolore gementem, et ad eam ita dixisse fertur : Expone, soror, hac hora fœtus tuas *sic*); ego enim obstetricis officiis fungar. Ideo enim veni, ut solatium tibi ferrem. Cui Scropha ita respondit : Non enim est dignum ut masculus in tali causa cuidam feminæ obstetricis more fungatur. Obsecro, frater, da mihi honorem, ita ut recedas a me. Tunc enim satius fœtus exponam. Habuisti matrem, ut opinor, qui (*sic*) tali se noluit credere obstetrici. Qui statim precibus suis ad horam cecessit (*sic pro* secessit), et illa fœtus suos profudit; nam si Lupo crederet, infeliciter pareret.

V. — DE HOMINE QUI PEPERIT MUREM.

Profert subsequens parabola, quod frequenter evenit terribilis fama alicujus rei, de quo terrore nihil mali evenit, quia ad nichilum redigitur.

F(f)erunt fabulæ quod jam dudum quidam Homo virilis sexus, nescio quo casu prægnans, intumentem uterum femineo more habuit; qui prope tempus parturiendi, non sine causa, inauditos et flebiles dabat gemitus; (fol. 100 *b*) qua indigna fama omnes, qui videre et audiere, ineffabiliter perterriti sunt. In mirum verecundiam omnibus incutiebat et aliquod subsequens periculum populis vaticinare videbatur. Mox ille qui parturiebat, horribiles agens gemitus, [peperit] Murem. Hujus rei fama per omnes circumpositas nationes volat, et quos timor prius invaserat, resumpserunt fiduciam recuperandæ salutis, et quod ad periculum cunctis putabant advenire, ad nullum malum omnibus advenit

VI. — DE AGNO INTER CAPRAS NUTRITO.

Profert subsequens fabula, quod filii non minus frequenter diligunt nutritores suos quam parentes.

F(f)erunt fabulæ jam dudum quemdam Agnum alicujus Ovis filium inter Capras a nativitate nutritum fuisse. Cui Agno Canis ita dixisse fertur : Non est tua mater hic, quia Oves longe distant a te. Cui Agnus ita respondit : Non illam quæro quæ me concepit in utero aut portavit mensibus quatuor et in lucem effudit parturiens. Sed hæc est mater mea quæ nunc me benigne nutrit et dat mihi ubera sua, et filium suum proprium pro me fraudat, ut sufficienter non desit. At Canis econtra Agno dixit : Tamen illa est mater tua vera, quæ te peperit. Cui Agnus ait : Ita est, ut dicis. Sed illa modum naturæ implevit, inscia sibi quid in utero habebat, masculum aut feminam. Nam quid pecoribus proficit filios habere, nisi ut laniena sint? Nam homines putant lucrum inde habere et

frequenter dubia eorum sæpius (*sic pro* spes) est, quia nullum adjutorium de filiis multi parentes habent.

VII. — DE LEPORIBUS QUI SINODUM CELEBRARUNT.

Admonet subsequens fabula, quod omnis homo debet patienter tolerare et sustinere quicquid mali sibi acciderit. In nullo enim terrarum loco assidua securitas est, jam ut nihil timeatur.

F(f)erunt fabulæ jam dudum tumidos (*sic*) Lepores sinodum fecisse, in quo firmum pactum inter se pacti sunt, ut, primo pavore illis superveniente, omnes ad rupes marinas fugerent, et se illic in mari præcipitarent, ne cotidie assiduum timorem paterentur fugiendo. Itaque, primo pavore superveniente, omnes Lepores fugientes ad ripam cujusdam fluminis, ubi Ranæ multæ erant, pervenerunt. Sed et Ranæ, ubi sonitum fugientium Leporum audierunt, omnes in profundum fluminis fugientes sese absconderunt. Quod Lepores videntes, stupefacti perstiterunt. De quibus unus sapientior omnibus (inquit) : Videte, inquit, quod omnis creatura habet quod timeat; non nos soli mala patimur. Redeamus ad patriam nostram, et illic patienter tol(l)eremus quicquid nobis evenerit. Diligamus vitam nostram, sicut omnia animalia, et feramus quicquid evenerit, sicut alia sustinent; forsitan non cotidie fuga nostra fiet.

VIII. — DE LEONE ET OVIUM PASTORE CURATO.

Admonet subsequens fabula, quod debent reddere vicem [potentes] beneficii accepti ab impotentioribus, et, quamvis post longum tempus sit, non oblivioni debent tradere, sed reddere multipliciter.

Quodam tempore, dum Leo in saltu quodam venandi gratia oberraret, surculum quemdam conculcavit, de quo spina quædam in pede ejus nocibiliter intravit. Quo facto, collecta intus fanie(s) (*sic*), claudicare cœpit. Qui cum medicos ubique quæreret, multo magis homines, quantocumque velocius possent,

fugiebant quam se tali bestiæ crederent. Tandem nimio dolore permotus ad quemdam Pastorem in deserto pecora pascentem venit. Quo viso Pastor, pecora sua tali bestiæ ob[j]iciens, fugam adiit. Sed Leo, sequens Pastorem et pecora derelinquens, blandire Pastorem cauda sua cœpit, sublevatoque pede suo vulnus Pastori demonstravit. Quo miraculo Pastor commotus in seipso cogitabat quod ille vellet qui nec Ovem nec Pastorem nocuerat. Tandem memor ingeniose intellexit quod medicinam infiniti doloris in pede quæreret. Sumpsit acutam fibulam et paulatim aperuit vulnus. Patefacta est (fol. 101 *a*) contusio, faniesque foras cucurrit, atque spinam funditus eruit. Quo facto, statim Leo sensit doloris refrigerium, et in pretio medicinæ manum Pastoris lingens, aliquantulum juxta Pastorem sedit, et resumpta virtute incolimis (*sic*) rediit. Post aliquantulum vero temporis, Leo ipse capitur in quodam bestiario; qui amphiteatro cum aliis bestiis positus ad ludum portentum (*sic pro* potentium) et ad cruciatum reorum includitur. Evenit ut et idem Pastor, pro quodam crimine captus, in idem amphiteatrum ad pastum bestiarum mitteretur. Quem Leo rapidus cum aliis bestiis inhianter accurrens, prædam devorare paratus, agnovit. Cum (*sic pro* Cui) oculis et vultu atque cauda blandiens, cum ingenti rugitu occurrit et ab omnibus bestiis aliis incolumem eum liberavit, ingentem vocem élevans et cauda sua circulum circa eum faciens, ita ut ne aliqua bestia propius ad Pastorem accedere auderet. Ad cujus vocem bestiarius qui amphiteatrum et bestias custodiebat, necnon et omnis populus qui prope aderat, festinanter occurrunt, cernunt Leonem Pastori assidentem et ineffabiliter blandientem. Quod admirantes, causam tantæ inauditæ ante amicitiæ perquirunt. Qui refert eventum rei, quod dudum Leoni evenerat suum in adjutorium ejus studium. Quo miraculo permoti, ab utrisque veniam deprecantes, Leonem ad silvam et Pastorem domum redire permittunt.

Hoc unicuique notum esse debet, quod omnis homo benefacienti sibi gratias referre debet, quamvis non habeat unde reddat.

IX. — DE LEONE AB EQUO SEDUCTO ET GRAVITER LÆSO.

Profert subsequens fabula, quod omnis potens, malefaciens impotentiori, se debet cavere calliditate impotentis, quamvis non timeat vires suas.

Jam dudum Leo, videns aliquem Equum in prato pascentem, subtiliter, velut familiaris, inproximavit illi; qui dixit se medicum esse, quod tum ficta mente loquebatur, ut posset comprehendere Equum et devorare. Equus, sentiens dolosum Leonem et quod mortis periculum effugere non posset, officium simulatæ medicinæ a Leone accipere non repudiavit. In tempore necessitatis suæ ingenium quoddam ad defendendam vitam suam invenit. Qui Leoni inquit : Gratulor quia venisti, frater; succurre mihi et adjuva me. Calcavi enim stipitem insipienter, cujus pars a(t)trociter pedi meo hæsit. Obsecro te, erue illud foras. Tunc Leo, humiliter fraudem dissimulans, pedem Equi conspicere accessit. Cui velociter Equus calces turbulentos in capud hosti(a)liter dedit. Cadit corpus hostile; cruor horridus per membra fluxit; jacet in terra diutius. Equus velociter fugiens diutius nusquam illi comparuit. At ubi Leo, memor sui factus, intellexit se capite et facie atque toto corpore læsum, ait : Digne hæc passus sum, quia lenius quam debui veni, et medicus fallax accessi qui inimicus venire debueram.

Maneat (*sic pro* Moneatur) ergo unusquisque, ut sit amicus aut inimicus, et non simulet se esse quod non sit.

X. — DE VESPERTILIONE PRO SUA FRAUDE AB AVIBUS CONDEMPNATA.

Admonet subsequens fabula, quod nullus bilinguis et fallax homo habeat honorem, longius quam sit probatus ab aliquo sapiente, quia qui se duabus partibus obnoxius commiserit, ingratus ab utraque vivit et reus potius judicandus est quam honorabilis.

Jam dudum omnia Quadrupedia cum omnibus Avibus totius

mundi bellum ingens gesserunt, ita ut nulla pars alteri cederet ante magnum periculum utrarumque partium. Quod Vespertilio de tuto conspiciens loco, in dubio positus cui parti se conjungeret, aliquandiu se continuit, sed ne utramque partem adjuvaret, antequam videret quæ pars alteri prævaleret, et tunc demum victoriam habenti se sociaret. Tunc demum, cum majorem esse Quatripedum (*sic*) aciem cerneret, Quadripedibus (*sic*) se injunxit, quia victoriam in multitudinem esse sperabat. At vero, Aquila cum adjutorio Martis adveniente, victoriam Aves potitæ sunt; quam victoriam Vespertilio cernens Avibus se miscuit. Sed postea, pace inter Aves et Quadripedia facta, Vespertilio sententia omnium Avium tali vindicta condempnata est, ita ut lucem fugeret semper pennisque et plumis expoliatus noctibus volaret.

Sic itaque oportet juste ut insidias et despectionem patiatur ab omnibus, qui suum proprium seniorem et socios proprios in die necessitatis eorum derelinquit, alienis præbens adjutorium.

XI. — DE ACCIPITRE, QUI LUSCINIÆ SIVE PHILOMENÆ INSIDIABATUR ET CAPTUS EST AB AUCUPE.

Admonet subsequens fabula, quod unusquisque insidiator debet timere alios insidiatores, quia forsitan ille patiatur ab aliis quod faciat hiis quibus possit.

In nido Lusciniæ jam dudum cum sedisset Accipiter, ut spe-(fol. 101 *b*)cularetur auras, parvulos invenit Lusciniæ pullos a matre desertos. Ad quem Luscinia cito venit et deprecatur suppliciter parcere pullis suis. Cui Accipiter ita respondit : Faciam, inquid, quicquid volueris, si bene mihi modulata voce cantaveris. At illa, quamvis animus excederet (sic), toto metu facta pavens et dolore plena, cantavit. Tunc Accipiter qui prædam invenerat : Non bene, inquit, cantasti, et apprehendens unum de pullis devorare cœpit. Cui Auceps e diverso quidam advenit, qui calamum lento visco compactum elevavit et Accipitrem tenuit.

XII. — DE CERVO, QUI OB SUORUM CORNUUM MAGNITUDINEM EST CAPTUS.

Approbat subsequens fabula, quod stultorum consuetudo est laudare quæ sunt mala et inutilia sibi et aliis et vituperare bona et utilia.

Jam dudum Cervus, cum potandi causa ad quoddam flumen venisset, videns umbram cornuum suorum in flumine, nimium cornua sua laudare cœpit et crura tenuia ultra modum vituperare; cumque Cervus hæc aliquandiu juxta fluvium meditaretur, statim canes latrare et venatorum vocem audivit. Fuga Cervus per campum evasisse fertur. At ubi silva illum suscepit, magnitudo cornuum eum venantibus retinuit. Tunc mortem suam ille cernens ait: Quæ mihi erant utilia vituperavi, et quæ nociva laudavi.

XIII. — DE MULIERE, QUI (*sic*) COR[P]US MARITI SUI DEFUNCTI DE TIMULO (*sic*) ELEVANS IN CRUCE SUSPENDIT.

Admonet subsequens fabula, quod habent mortui quod timeant post mortem et non quod doleant.

Jam dudum quædam Femina contulit se ad mausoleum defuncti viri sui, in quo corpus suum humatum erat, et cum multis diebus illic lugubrem vitam ageret, contigit ut quidam homo, furti crimine comprehensus, in cruce suspenderetur juxta illum locum in quo ille sepultus erat; c[uj]us latronis crucifixi ad cor[p]us custodiendum Miles quidam apponitur, ne a suis noctu furaretur. Qui cum cor[p]us custodiret, demum siti fatigatus, ad illum locum, ubi Femina lugubrem [vitam] ducebat, potandi causa venit; a qua cum potum accepisset, bibit, et subinde unde venerat rediit. Cumque frequentaret visitare Feminam consolationis ejus gratia, propinqui crucifixi latronis advenientes furtim tulerunt cadaver de cruce, cui nullum custodem viderunt. Miles adveniens nihil invenit in cruce. Tunc fugiens ad pedes Mulieris volutare se cœpit; sui (*sic pro*

cui) sic ait : Subveni mihi ; a te quæro consilium ; nescio enim quid faciam. Cui illa miserans ait statim : Noctu consurgamus et levemus mariti mei cadaver de sepulcro et suspendamus illud in cruce pro crucifixo, et celemus furtivum facinus. Qua detestabili misericordia Miles ad[d]uctus, Mulier non erubescens aggrediuntur facere quod meditati sunt. Tunc impudicum scelus Femina patravit, et, quamvis ante casta esset, nefandi sceleris exemplum se dereliquit.

(Fol. 102 *a*.) — XIV. — [DE MERETRICE ET JUVENI.]

Refert subsequens fabula, quod quidam perfidi et fallaces homines simplices et innocentes homines per suam calliditatem suis bonis expoliant.

Jam dudum in quadam civitate quædam perfida et inverecunda Meretrix erat, quæ multos Juvenes incessabiliter deciperet. Juveni cuidam se adjunxit et ille infeliciter infelici Meretrici se adjunxit. Cui illa ne plus quam ceteris fidem servavit ; sed multis injuriis et impudicitiis eum fatigat. Deinde Mulier sic ad eum infit : Quamvis innumerabiles juvenes multis muneribus circa me contendunt, ego te plus omnibus illis diligo. Cui ille Juvenis, memor quotiens ab ipsa decepta fuerat, ita benigne respondisse fertur : Et ego te, lux mea, vehementer diligo, non quod mihi fidem servaveris, sed quod jocunda es mihi. Et sic se verbis deluserunt.

XV. — DE OVIBUS A LUPIS FRAUDULENTER SEDUCTIS ET LANIATIS.

Admonet subsequens fabula, quod nullus defensorem suum debet et auxiliatorem obsidem pro se dare, quamvis necesse non habeat.

Jam dudum Lupi et Oves bellum ingens inter se gerebant, ita ut nulla pars alteri cederet aliquandiu. Oves enim et Arietes plures erant et Canes et Pastores cum eis, quibus signum victoriæ cedere visum est. Tunc Lupi legatos miserunt pacem

petendo, jurando se nunquam læsuros Oves, si eis Canes suos obsides darent et illæ Luporum catulos acciperent, et ita utique fecerunt et sacramenti fidem inter se dederunt. Sed Lupi, acceptis Canibus, omnes obsides suos necaverunt. Lupini quoque catuli apud Oves ululaverunt. At Lupi, ululatum catulorum suorum audientes, falso putabant eos ab Ovibus necari : concurrunt undique simul, dicunt pacem ab Ovibus ruptam esse et Oves omnes laniari cœperunt, nullo tutore defendente et nullo auxilium deferente.

XVI. — DE QUODAM HOMINE ARBORES DECIPIENTE.

Approbat subsequens fabula, quod nullus sapiens debet præstare inimico suo auxilium, ne ad necem suam aliquando eveniet bonum quod fecerit illi.

Jam dudum quidam Homo, secure sibi facta, ab Arboribus deprecabatur materiam manubrii sibi dari de ligno quod esset firmissimum omnibus lignis. Omnes arbores, non intelligentes insidias ejus, manubrium dari sibi de Oleastro jusserunt. Sumpsit Homo ille manubrium, imposuitque securi : ramos et arbores magnas, omnes quascumque voluit, indubitanter incidere cœpit. Tunc Quercus Fraxino ait : Juste et digne tanta mala patimur, qui roganti hosti nostro manubrium concessimus; quo nunc invento contra nos belligerat.

Caveat ergo unusquisque sapiens ne ex(c)ercitum suum hosti suo in die necessitatis suæ concedat.

XVII. — DE LUPO ET CANE SUAS CONDITIONES MUTUO RECITANTIBUS.

Docet subsequens fabula, quantum dulcis et jocunda libertas est.

Jam dudum Lupus et Canis [cum] in quadam silva convenissent, dixit Lupus Cani : Unde venisti, frater, tam nitidus et tam pinguis? Cui Canis respondisse fertur : Frater mi, sufficienter administratur panis, et dominus meus ossa mihi porrigit,

simul et ceteri faciunt, et omnis familia amat me : pro[j]iciunt mihi quicquid illis superfluum fuerit, et quicquid eis fastidit porrigunt, et ita repletur venter meus, quia sum custos domus contra latrones venientes; nullus passim ingreditur noctu, nisi illum annuntiem; quapropter ab omnibus diligor; sub tectis sumam aquam, nullo tempore satis deest mihi et sic securus vitam duco. Cui Lupus ait : Bene habes et digne, frater; vellem ut ista mihi contingerent, ut otiosus saturarer cibo et sub tecto melius viverem. Deinde Canis Lupo ait : Si vis ut ita bene tibi contingat, veni mecum; nihil est quod timeas; possum enim te defendere. Cui Lupus consensit. Cumque simul ambularent, vidit Lupus vestigium cathenæ in collo Canis, quo cotidie ligabatur, et ait : Quid est, frater, dic, quod cathena attrivit collum tuum? Cui Canis respondit : Quia sum acris (*sic*), in die ligor, et eo quod nullus fur in die surrepit; nocte solvor, intra domum sum vagus; ubicumque voluero, sic discurro; dormio quando voluero. Et Lupus econtra sic ait : Non est mihi opus ita pati; fruere quæ laudasti; ego volo vivere libere, ad quodcumque voluero; libere discurro per agros ubicumque velim; nulla cathena me tenet; nulla causa me impedit; innumerabiles mihi viæ patent in campis, facilis aditus in montibus et silvis; nullus mihi timor est; de grege proprio gusto; canes ingenio deludo. Vive ut consuevisti; ego, ut consuevi, vitam duco.

XVIII. — DE MEMBRIS ET VENTRE.

Refert subsequens fabula, quod nullus debet despicere suos, ita ut non illis præstat (*sic*) necessaria sua, ne et ipse despiciatur ab eis aliquo tempore, quando necesse habeat maxime.

F(f)erunt fabulæ quod nemo aliquid valet sine suis, sicut partes Corporis humani sine Capite et Ventre. Nam jam dudum referunt Manus et Pedes indignatas Ventri et noluerunt ei cibum dare, eo quod sine ullo labore cotidium (*sic*) replebatur, illo otioso sedente. Venter itaque per multos dies cotidie clamabat dari sibi cibum, priusquam deficeret. At illi nihil ei dare

voluerunt. Jejuno autem Ventre(m), Membra omnia lacescere (*sic*) cœperunt. Sed postea, quando Manus et Pedes cibum dederunt ei, ille accipere non valuit, quia jam longa inedia clauserat vias, ac per hoc Membra et Venter simul lassa interierunt.

XIX. — QUOD SIMIA DE CAUDA VULPIS ALIQUID SIBI DONARI PETIERIT.

Subsequens fabula increpat avaros divites, qui nihil de superfluis suis tribuunt inopibus.

Jam dudum, cum depreca[re]tur Simia Vulpem ut de magnitudine caudæ suæ aliquid ei largiretur, unde nates suas turpissimas posset tegere, sic dixisse illi fertur : Quid tibi utile est de tanta longitudine caudæ tuæ sine causa, nisi quod enormis præpedit te fugientem. Cui Vulpes ita dixisse fertur : Utinam longior et major esset, et vix per terram et petras atque spinas trahere eam possem! Quamvis enim tam magna esset, nihil tibi ex ea darem, ne tu (et tui filii) meo tegmine pulchrior videreris.

XX. — QUOD OMNIA AMIMALIA LEONEM SIBI IN REGEM ELEGERUNT.

Narrat subsequens fabula, quod multæ (*lege :* multi) tales tribulationes a potentioribus sibi illatas sustinent, ita quod neque relaxari sustinent ne pejora inveniant, nec reticere possunt pro tribulationum gravitate, in quibus præclarum illud proverbium impletur : Et loqui pœna est et reticere tormentum.

Jam dudum, cum omnia animalia indomita sibi superiora et fortiora timerent, Jovem adierunt deprecantes ab eo unum regem qui leges et mores regum eis clementer demonstraret, et pie regeret ne unaquaque bestia infirmiores se nocerent[ur]. Quibus concessit qualemcumque regem eligerent. Tunc omnia unanimiter Leonem in regem sibi elegere maxime pro suo pavore : putabant enim se sub illo postea tutius vivere quam antea, quando non dominabatur eis; ea tamen conditione illum

suscepere ut deponeret feritatem antiquam animi sui et nullum animal læderetur et sine sanguine perpetuo viveret et incorruptam fidem ad ea servaret. Quibus omnia quæcumque vellent juravit ipse servare. Postea vero quam imperare cœpit, de promissa fide pœnituit, et cum antiquam crudelitatem suam oblivisci non potuit, in quibusdam desertis locis calliditate in (*sic pro* et) fallacia usus, quasdam bestias secreto advocavit consiliandi gratia (fol. 102 *b*). Tum singulariter eas advocabat, quibus secreto interrogabat utrum os suum puteret et si sua an[h]ela-[tio] mutata erat pro inusitato cibo, et omnes bestias quæ dixerunt os suum putere et quæ dicebant non putere, æqualiter crudeliter necabat, ita ut saturaretur sanguine. Cumque multis hæc fecisset, novissime Simium interrogavit si pictorem (*sic pro* putorem) in ore habebat. Tunc ille callidus, insidias ejus cognoscens, ita respondisse fertur : Sic mihi tua anhela[tio] similis vi[det]ur esse cinamomo et sicut omnia genera incensorum quæ circa Deorum altaria frequenter incenduntur. At Leo laudatorem suum occidere eribuit (*sic pro* erubuit); sed tamen concilium (*sic*) quo illum occideret sine verecundia quæsivit. Tunc se languescere simulavit. Continuo omnes bestiæ visitare regem suum undique cucurrerunt; medicos undique quæsierunt, qui et pulsum sanum omnium venarum viderunt; dixerunt nullam infirmitatem in eo cognoscere. Tamen suadebant illum aliquem insuetum cibum sumere, ut tolleret fastidium pro digestione. Tunc ille ait : Nullus mihi cibus tam desiderabilis sicut et illius Simii, sed pro fide data et verecundia facere non ausi (*sic*). Cui dixerunt aliæ bestiæ : Habes licentiam faciendi quodcumque volueris, sicut ceteri reges habent, et quanto magis pro tua vita nos omnes debemus condolere. Statim necatur beniloquus Simius, ad (*sic pro* ut) ejus carnem sibi ad escam sumeret. Æqualiter ergo fuit pœna loquentis et reticentis.

[LIBER III.]

INCIPIT LIBER TERTIUS.

I. — CAPITULUM PRIMUM DE LUPO PER BUBULCUM A VENATORIBUS SALVATO.

Demonstrat subsequens fabula, quod multi infideles fiunt corde et oculis, quamvis fidelitatem simulent verbis.

Jam dudum, cum Venatores et Canes jam impius Lupus effugeret, Bubulcum in quodam deserto invenit; a quo cum Lupus refugium petisset, Bubulcus demonstravit ei quemdam locum jam tutissimum, in quo, cum se reconderet, facile Canum et Venatorum periculum evaderet. Cui Lupus ait : Obsecro te per omnes bestias tuas ne me persequentibus prodideris, quibus me nihil mali fecisse juro. Cui Bubulcus ait : Ne timeas, securus esto. Ego vero in aliam partem te fugisse dicam. Tunc cum Lupus ad tutelam confugisset, Venatores cum Canibus advenientes interrogaverunt Bubulcum dicentes : Vidistine ubi Lupus confugit? Quibus Bubulcus ait : Jam vidi, sed longe decessit per aliam viam; et manu ostendit negligenter per quam viam confugerat. Tunc Venatores cum Canibus retrorsum domum rediere. Postea Bubulcus Lupo ait : Quantas michi grates agis, eo quod tam fideliter celavi te! Cui Lupus econtra ait : Ingentes grates linguæ tuæ et manui tuæ refero, quia valde mihi profuere; sed oculis tuis fallacibus cæcitatem advenire desidero, quia tam frequenter inspexerunt locum ubi ego absconsus eram.

Hæc fabula increpat bilingues, qui aliter loquuntur lingua et aliter corde et oculis innuunt.

II. — DE PAVONE INVIDENTE CONCENTUI PHILOMENÆ.

Refert subsequens fabula, quod omnis homo debet libenter uti et frui illis donis quæ illi Deus concessit.

Jam dudum Pavo, iratus et indignans, ad Junonem dixisse fertur : Jam, Domina mea, vehementer doleo eo quod despectus sim ab omnibus, quia Luscinia pulcrius et honorabilius canit me. Quapropter jam ab omnibus derideor. Cui Juno ita respondisse fertur consolandi gratia : Pulcritudo formæ tuæ omnes aereas volucres antecellit, colore et nitore smaragdi profusa. Nulla enim avis similis tui; picta enim es plumis similibus fulgentibus gemmis; color tuus omnibus fulgoribus terrestribus præcellit. Et Pavo ad Junonem sic ait : Quid mihi color proficit, quia superor voce Luciniæ?

III. — DE NON PAUCIS OVIBUS A LANIONE TRUNCATIS.

Edocet subsequens fabula, quod male intereunt propinqui et amici, qui non habent curam uno eorum vel duobus occisis, quia unus post unum æqualiter sine ultione occidit[ur].

Jam dudum cum Arietes et Berbices atque Oves simul in uno campo pascerent, viderunt Lanionem intra se in campum venire, qui, statim ut advenit, unum Berbicem ex eis tenuit, cujus capud statim amputavit. Cumque omnes Oves hoc cernerent, nec pro illa causa dolerent, nec fugerent, dixit ille Lanio : Quis me prohibet omnes occidere? Nullam Ovem video mihi iratam, eo quod suum propinquum occiderem. Quo dicto, cœpit truncare multas Oves unamquamque post alteram; quod Oves demum cernentes, dixit unaquæque ex eis : Non tangit; quapropter non debeo contradicere illi. Tunc omnes occisi sunt, excepto uno Ariete. Cumque ille Aries æqualiter, ut ceteri, a Lanione trahi videret, sic dixisse illi fertur : Digne hanc vindictam omnes singillatim a te solo patimur, eo quod, quando te primitus vidimus unum nostri gregis Berbicem occidere, tunc statim fortibus capitum nostrorum impulsubus (*sic*) te non occidimus.

(Fol. 103 *a.*) — IV. — DE AVIBUS QUIBUS DECEPTIBILITER INSIDIABATUR AUCEPS.

Admonet subsequens fabula nullo modo sapientis consilium despici debere.

Jam dudum verno tempore, cum diversi generis Aves in nidis suis pacifice exultarent, viderunt quemdam Aucupem lupum (*sic pro* lippum), laqueos et retia sibi atque vistum (*sic pro* viscum) tendentem. Ita inter se simpliciter ferunt : Heu! quem miserum hominem ante nos conspicimus et quam pie atque misericorditer vias nostras comparat! Cujus ex oculis indeficientes effluunt lacrimæ pro nimia bonitate sua et misericordia, quotienscumque nos aspexerit miseratus nostri. De quibus Ales ceteras (*sic pro* ceteris) astutior et experta multarum Aucupis insidiarum, subsannans ceteras, inquit : Heu! fugite, simplices Aves et innocentes, et ab hac vos eripite fraude, pro qua vos removeo, ut inpigre (t)ibique alarum vestrarum velatu (*sic pro* volatu) in aerem sublevetis, aut si diutius ymmorari (*sic*) velitis cernentes eum, si placeat, tante (*sic pro* caute) intendite, quia quas fraude accep[er]it, morsu occisas aut suffocatas in cimbala sua reponet.

V. — DE HOMINE, QUI OB VERITATIS POSSESSIONEM A SIMIIS EST DILANIATUS.

Refert subsequens fabula, quod malitia et fallacia atque adulatio malivolis atque fallacibus hominibus place[n]t, honestas autem et veritas atque bonitas semper displice[n]t.

Jam dudum duo Homines, unus Fallax et alter Verus casu quodam in Simiorum regionem venerunt. Quos Homines ut vidit ex multitudine Simiorum qui se aliis Simiis priorem suapte constituit, jussit eos teneri et interrogari quid ipsi Homines de ipso dicerent, et jussit omnes alias Simias sibi similes astare ante. Quos ordine longo dextera lævaque sibi consedere præcepit. Jussitque epulas et convivium sibi parari

et multos ministros de nobilibus Simiis sibi astare more imperatoris quem aliquando ille Simius alicubi convivantem conspexerat. Jubentur ergo illi duo Homines inter ministros illos assistere, quibus ille Simiorum dux interrogans dixit : Quid vobis de me videtur? Quis ego sum? Cui ille Fallax primitus respondit : Tu es, ut mihi videtur Simiorum imperator. At iterum Simeus ille, iterum fallacem illum interrogans, inquit: Quid tibi videtur de hiis qui circa me sedent et qui ante me stant? Cui ille Fallax ita respondisse fertur : Hii sunt tui comites et primicerii satellitum, doctores et milites, ministri et ministeriales et officiorum procuratores et subditi. Quapropter, ille Simius cum omnibus sociis suis remunerari illum Fallacem adulatorem præcepit. Ille autem Verax Homo hæc apud se aiebat : Si iste Fallax pro sua fallacia talibus muneribus remuneratus est, quid mihi veridico dabitur, si veritatem interrogatus dixero? Aliter enim non sum suetus dicere de aliquo. Cumque hoc secum deliberaret, interrogavit eum præfatus Simius, ita inquiens : Quid tibi de me videtur quis ego sum, et de hiis qui mecum sunt? At ille, veritatem amans semper, ita respondit : Veraciter tu Simius es(t), et omnes isti Simii sunt coæquales tibi; nullam enim bonitatem possum in te cognoscere plus illis omnibus. Quapropter illum continuo lacerari jubet dentibus et unguibus omnium, quia veritatem dixerat.

Hoc modo honestas et veritas ab impiis et fallacibus lacera[n]tur.

VI. — DE ASINO QUI SUA VOCE HORRIBILI LEONEM TERRERE PUTABAT.

Profert subsequens fabula, quod multi insipientes et impotentes inaniter putant potentiores se et fortiores posse suis verbis inanibus comminari.

Jam dudum quidam Asinus, occurrens Leoni in quodam deserto, sic dixisse ei fertur : Ascendamus in cacumina montium et ostendam tibi quantæ bestiæ me timent. Cui Leo sic inquit : Ascendamus. Cumque venissent ambo ad cacumen montis, Asinus, stans medio loco, horribilem vocem imo pec-

tore profudit; quam ut audierunt Vulpes et Lepores, præcipiti cursu fugerunt. Putabat enim et Leonem æqualiter terrere voce sua. Cui Leo e contrario sic dixisse fertur : Si te non noscem (*sic pro* nossem) quis esses, posset me vox tua terrere. Sed quia scio nihil penitus penes me valere, pro nihilo vocem tuam reputo. Quapropter terrorem vocis tuæ converte ad illas bestias quæ te nesciunt, quia ignavis (*sic*) es; me autem ulterius terrere ne audeas.

Et ideo potius deridendus est, qui nihil propriis viribus facere valet et tamen alios inanibus verbis comminatur.

VII. — DE BESTIIS UNIVERSIS PRÆTER SOLUM (*sic*) VULPEM A LEONE DECEPTIS.

Demonstrat subsequens fabula, quod qui in aulam potentioris facile ingredi possunt, egredi vero, cum voluerint, facile non possunt.

Jam dudum Leo deficiens pro nimio itinere lacescendo gravem infirmitatem se habere fingebat, calliditate usus, cum nullam venandi virtutem habebat. Ad quem visitandum omnes (h)eremi bestiæ introierunt. Sed continuo introgressas Leo ille necabat. Vulpes vero veniens ante speluncam stetit, et salutavit eum humiliter. Cui Leo inquit : Quare non intras? At Vulpes inquit : Quoniam video vestigia introeuntium; exeuntium autem vestigia non video.

Quapropter quorumdam periculo doctrina nostræ salutis esse debet, quia in domum potentis facile quisque intrat, exire autem non omnibus æqualiter licet.

VIII. — DE CONTENTIONE HABITA INTER HOMINEM ET LEONEM, QUIS ESSET ILLORUM AUDACIOR ET SUPERIOR.

Profert subsequens fabula, quod audacia et ceteræ virtutes non in verbis, sed in factis consistunt, quod omnia factis probanda sunt, non in vanis verbis.

Jam dudum Homo et Leo quamdam inter se contentionem

habuerunt quis esset illorum audacior aut superior. Cumque hujus altercationis testimonium inter se quærebant, dixit Homo Leoni : Veni mecum ad aliquod monimentum (*sic*), et illic ostendam tibi pictam ymaginem Leonis occisi ab homine. Cumque ad tumulum illum ambo venissent simul, demonstravi[t] Homo Leoni ymaginem occisi Leonis ab Homine. Cui Leo inquit : Quis hanc ymaginem pinxit? Cui Homo inquiens ita respondit : Homo quidem pinxit eam. Ad hæc Leo ait : At si Leo pingeret, Hominem a Leone superatum pingeret. Cui Leo iterum dixit : At nunc veni mecum, et demonstrabo tibi meum testimonium, quod Homo frequentius a Leone superatur quam Leo ab Homine. Tunc deduxit Leo Hominem ad amphit[h]eatrum, et ostendit illi verum testimonium quod ubi Leo Hominem suffocabat, quia multi rei in amphit[h]eatro inclusi erant. Et dixit illi Leo : Hic colorum testimonia non sunt, sed opus factum veritate firmatur.

Quapropter hæc fabula probat mendacium colore compositum veritate superari, et veritas semper sole clarius clarescere, quamvis a sapientibus (*sic pro* ab insipientibus) despiciatur.

(Fol. 103 *b*.) — IX. — DE RIDICULOSA CONFABULATIONE INTER PULICEM ET CAMELUM.

Demonstrat subsequens fabula, quod multi insipientes et inutiles sese inaniter magnificant, sed tamen ab aliis pro nichilo deputantur.

F(f)erunt fabulæ jam dudum latenter Pulicem in quadam sarcina super dorsum cujusdam Cameli equitasse, nesciente Camelo ; cujus equitationis gratia vana gloria inflata, præferebat se Camelo. Qui vesperascente die ad quoddam diversorium simul venerunt hospitalitatis gratia. Sed Pulex, statim ut ad domum advenit, exilivit de sarcina, priusquam sarcina deponeretur de Camelo. Stans ante Camelum dixit : Gratias refero benignitati tuæ, quia nunc usque me portasti. Quapropter, quando ad domum veni, nolui te aggravari diutius. Cui Camelus arridens ita respondisse fertur : Non sensi te in sarcina

esse, quia nihil gravius mihi inde fuit, nec levius mihi inde videtur esse, eo quod inde descenderis. Quapropter pro nichilo te reputo, quia nec me juvare, nec nocere potes.

Audiant hanc fabulam qui nec adjuvare nec nocere valent, ne inaniter se extollant.

X. — DE ALTERCATIONE INTER CICADAM ET F(F)ORMICAM.

Docet subsequens fabula pigros et otiosos homines, ut sollerter studeant utilibus laboribus tempore condigno, ne in nimio frigore ad (h)ostia laboriosorum hominum mendicantes inaniter stent et nihil eis inde proficiet.

F(f)erunt fabulæ quamdam Formicam jam dudum yemis tempore cum suis satellitibus ad epulas cotidianas consedisse, ad cujus fores quædam Cicada, esuriens, mendicans stetit, deprecans ut Formica aliquantulum cibi sibi daret quo posset vivere. Cui Formica ita respondisse fertur : Quid fecisti in æstate, quando ego laboravi ? At Cicada contra respondit : Non habui licentiam operanda (*sic pro* operandi) in æstate, quia per segetes oberrabam cantando ingratis. Tunc Formica epulata dixit illi : Si æstate cantasti, yeme salta, et quia nihil mecum laborasti, tunc et nullam retributionem a te spero, quia semper otiosa es, et ideo tibi nihil dare de meis bonis volo.

XI. — DE CERTAMINE INTER CORNICEM ET OVICULAM.

Profert subsequens fabula, quod multi malivoli ideo innocentibus multas et graves injurias faciunt, eo quod nullam ta(l)lionem sperant habere.

Jam dudum quædam otiosa Cornix super dorsum cujusdam Oviculæ consedit, suo rostro inverecunde dorsum suum tundens. Sed cum hoc Cornix diu fecisset Ovi, sic Ovis illi dixisse fertur : Si talia fecisses Cani, non posses rabiem dentium suorum sustinere. Cui Cornix talia ait : Scio qualem debeam lacerare, quia sum annosa nimium (*sic*) annis ; improba innocentibus, caveo securiores et fortiores me, nec ingero me illic unde non possum evadere. Sic creaverunt me Dii.

XII. — [DE VIATORE ET GLADIO JACENTE.] (1)

Profert subsequens fabula malivolos homines multa mala bonis et malis æqualiter, quamdiu vixerunt, facere. Sed et illi soli quantocius in suis laqueis irretiantur.

Jam dudum quidam Viator ambulans in via quadam invenit quendam Gaudium (*sic pro* Gladium) jacentem in itinere....

XIII. — PRÆMIUM CONDIGNUM AUCTORIS.

Summi optimates Atticorum, ut cognoverunt (scrip) scripta et ingenium Æsopi, quod multas et amplissimas vias sapientiæ desiderantibus demonstrasset, et humiles atque sapientes laudasset, malivolos autem et insipientes in omni sui doctrina vituperasset et despexisset, statuam auream imposuerunt Æsopo, cum honore maximo retribuentes ei mercedem maximam et condignam sapientiæ suæ, quæ usque ad judicium perseveraret, nec non ut et multos alios ad sapientiam investigandam instigarent. In qua statua talem titulum cives Attenienses scripsere : Quoniam Æsopus suo proprio ingenio intellexit naturas et voluntates omnium, mox fabulas edidit. Ideo, nos Cives Attici, posuimus statuam ejus auro puro factam, quasi quædam nobilis remuneratio nobilis sui ingenii et assidui laboris desiderantis discretionem habere inter bonos et malos.

XIV. — RECOMMENDATIO TOTIUS OPERIS.

Magistro meo Rupho (*sic*) ego Æsopus salutem. Karissime mi magister Ruphe, hanc (*sic*) quaternionem in manibus tuis assidue habeto, quasi quoddam pretiosum ædificium auro gemmisque ornatum. Ad quam quaternionem mei memor esto, ut possis intelligere qualem discipulum jam dudum docueris, assidue

(1) Hæc inexpleta fabula, quæ in Bodleianæ bibliothecæ manuscripto 172 deest, ex Francorum patriæ bibliothecæ manuscripto codice lat. 18270, in quo fine caret, sola excerpta est.

subnixis precibus deprecans, ut ille, qui omni dominatur, Deus tibi seniles annos cum jocunditate attribuat, et semper bonus amicus vivas, et subditis disciplinam ingeras, et tuorum compos votorum fueris, et intentus leges fabulas istas, quo sagaciter posses mores et naturas omnium hominum quos videris intelligere, et cui bestiæ æqualis sit unusquisque homo. Et ne forte me quis existimet lapsum esse in inprudentiam, eo quod vanas congregavi fabulas, inveniet in subditis suis multas multarum bestiarum similitudines. Et jam et aput priores prioris seculi homines paucæ fuerunt fabulæ, quibus antecessores nostri mediis mundi temporibus innumerabiles addiderunt, hoc tamen alterum e duobus intelligentes : aut aliqua ex parte illam fabulam veram esse, aut quamvis fictam (*sic*) aliquam tamen valitatem (*sic*) significare. Quapropter ego aliquantulas adjunxi fabulas et ex parte ab anterioribus digestas et aliquantulas a me ipso machinatas, aliquam utilitatem ad doctrinam subsequentium cognovi, et, quanta brevitate potui, perstrinxi. In quibus prætuli bona malis et vera falsis, ostendi vias malorum, confirmavi vias bonorum. Sequatur qui[s]que quodlibet ; ac per omnia docto et intelligenti inutilis non est labor meus, ut unusquisque noverit cur sit inventum genus fabularum. Verumptamen instruxi cunctos volentes legere, ostendens mores et vitas hominum.

ROMULEÆ FABULÆ,

EX OXONIENSIS COLLEGII CORPORIS CHRISTI
MS. CODICE LXXXVI
NUNC PRIMUM IN LUCEM PROLATÆ.

(Fol. 113 *b* à 117 *a*.)

[PROLOGUS.]

Æsopus introducit oves, arbores et bestias loquentes, ut intelligant homines cur sit inventum genus fabularum. Aperte ac breviter apposuit vera falsis. Scripsit calumpnias malorum, argumenta bonorum, docens et firmos esse humiles et verba blanda potius esse cavenda quam aspera, et multis indicavit et miserias hiis exemplis scriptas.

I. — [PULLUS AD MARGARITAM.]

Quod quisque insipiens bona quæque ac pretiosa quasi vilia contempnit.

In sterquilinio, dum Gallus quæreret escam, invenit margaritam. Ad quam ita dixisse refertur : Ego te in hoc loco jacentem inveni; nec prosum tibi, nec tu mihi. Et sic eam dimisit.

II. — [LUPUS ET AGNUS.]

Quod innocens se jungere non debet improbo.

Agnus et Lupus sitientes ad rivum e diverso venerunt. Sursum bibebat Lupus, longeque inferior Agnus. Lupus vero, fingens sibi ab Agno aquam fuisse turbatam, nullamque inde rationem suscipiens, seque jam pridem a patre suo talia sustinuisse affirmans, irruit in eum et occidit. Sicque innocenti vitam eripuit.

III. — [MUS ET RANA.]

Quod qui saluti alterius adversa cogitat, incidet plerumque in foveam quam fecit.

Mus, cum transire vellet flumen, a Rana peti[it] auxilium. Rana, grossum petens filum, Murem ad pedem sibi ligavit. In medio vero fluminis se deorsum immersit, ut Muri vitam eriperet. Ille validis dum tenderet viribus, Milvus econtra volans, Murem cum unguibus rapuit simul et Ranam.

IV. — [OVIS, CANIS, LUPUS, MILVUS ET ACCIPITER.]

Quod innocens calumpniam plerumque per falsos patitur testes.

Canis reposcebat sibi ab Ove panem, quem dederat mutuum. Ovis autem dicebat se nunquam ab eo panem accepisse. Cumque ante judicem venissent, Canis dixit habere testes : Lupum, Milvum et Ancipitrem. Qui ei omnes testimonium perhibuerunt. Coacta vero, ante tempus Ovis lanam suam vendidisse dicitur, ut redderet quod non accepit.

V. — [CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.]

Quod non debet aliquis certa pro incertis relinquere.

Canis, flumen transiens, partem carnis in ore tenebat. Cujus umbram cum vidisset in aquam, patefecit os suum ut illam eriperet. Statim illam quam prius tenebat, fluvius tulit; et illam, quam sub aqua putabat, optinere (*sic*) non poterat.

VI. — [VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.]

Quod pauperes per violentiam opprimuntur a potentioribus.

Leo et Vacca et Capella et Ovis simul occiderunt cervum. Factisque partibus, cum dividere vellent, Leo sic ait : Ego partem tollam, ut Leo; secundam, eo quod sum fortior vobis.

Tertiam mihi defendo, quia plus vobis cucurri. Quartam qui tetigerit, inimicum me habebit. Sic totam prædam sua inprobitate solus abstulit.

VII. — [LUPUS ET CICONIA.]

Quod beneficium malis exhibitum in benefactoris plerumque vertitur periculum.

Os aliquando hæsit in faucibus Lupi. Invitavit pretio Cyconiam, ut medicinam ei exhiberet cum longo collo. Conventione itaque facta, in faucibus Lupi collum suum misit Cyconia. Et, osse extracto, corpus ejus Lupus separavit a collo.

VIII. – [CANIS PARTURIENS.]

Quod boni amittunt sua, cum malis cedunt per verba blanda.

Canis parturiens rogabat alteram ut in ejus cubili exponeret fœtum. At illa rogatu concessit ingressum. Postea vero catulis jam magnis effectis, ab hospita rogatur exire. Illa vero, cum catulis suis insurgens in eam, de cubili expulit proprio.

IX. — [HOMO ET COLUBER.]

Quod quidam malitiam suam abscondunt, non quia nolunt eam inferre, sed quia non possunt.

Frigore et gelu rigente, quidam pietatis causa Colubrum intra latibula sua collocavit, et eum tota yeme fovit. Orta vero æstate, cœpit in[j]uriosus esse et veneno multa fœdare; unde cum dampno expellitur qui cum mansuetudine fovebatur.

X. — [MUS URBANUS ET RUSTICUS.]

Quod securius atque melius sit vivere in paupertate, quam divitem tædio macerari.

Mus Urbanus iter agebat, et a Mure Rustico hospitio susceptus est; in qualicumque brevi casella ei glandem exhibuit et [h]ordeum. Deinde Mus Urbanus rediens Murem Rusticum

rogabat venire secum ad prandium. Ingrediuntur itaque honestam domum omnibus bonis plenam. Cumque multis cibariis fruerentur, supervenit Catus universa perlustrans. Mures vero perterriti fugam per diversa petierunt. Mus Urbanus notis cavernis cito se abscondit. At miser ille ignarus, fugiens per parietes, vix evasit. Mus vero Urbanus dixit : Quare te turbasti fugiendo? Fruamur, amice, istis bonis. Ille ignarus econtra : Tu fruere istis bonis, qui nec times, nec turbatio cotidiana terret. Ego vivo cibo consueto ad quodcumque lætus. Nulla est tibi pax; at tensa muscipula teneberis, aut a Cato captus comederis.

XI. — [VULPES ET AQUILA.]

Quod potentiores ab inferioribus plerumque superantur.

Vulpinos catulos Aquila rapuit, in nidum reponens. Persecuta Vulpes Aquilam rogat catulos sibi reddi. Aquila contempsit. Vulpes ab ar(e)a ignem rapuit et arborem circumdedit collecta stupula (*sic*). Sicque fumo et flamma perterrita, Aquila Vulpinos reddidit catulos.

XII. — [AQUILA, CORNIX ET TESTUDO.]

Quod alterius consilio res concupita plerumque captatur.

Aquila Testudinem rapuit. Testudo intra se collegit, nec frangi potuit. Cornix laudans Aquilam : Optimam, inquit, fers prædam. Sed, si non ostendo ingenium, sine causa portas onus. Aquila partem illius promittente, sic Cornix consilium dedit : Usque ad astra volato, ubi sint deorsum loca petrosa, et sic dimittas ab alto prædam; cornibus fractis, utamur esca. Sic Aquila fecisse dicitur.

XIII. — [VULPES ET CORVUS.]

Quod qui adulatorum verbis credunt, bonum quod habent amittunt.

Cum de fenestra Corvus caseum raperet, alta consedit in

arbore. Vulpes, ut hæc vidit, econtra sic ait : O Corve, quis similis tibi! et pennarum tuarum magnus est nitor. Nulla avis prior te fuisset, si claram vocem haberes. At ille, dum vult placere et vocem suam ostendere, validius sursum clamavit et ore patefacto oblitus caseum dejecit. Quem celeriter Vulpes avidis dentibus rapuit.

XIV. — [LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.]

Quod sit verum quod dicitur :

Cum fueris dives, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Annis deceptus et viribus, Leo cum jaceret spiritum extremum trahens, Aper ad eum venit iratus. Spumans fulmineis dentibus, veterem vindicavit ictum. Taurus confodit cornibus. Ut Asinus sic vidit, cum calcibus illi frontem aperuit. Et ille, in gemitu suspirans, sic dixisse fertur : Cum esset virtus michi, fuit honor, fuit timor. Cum michi hæc desunt, desunt et cetera.

XV. — DE ASINO ET CATELLO.

Asinus, cotidie cum videret Catellum blandiri Dominum suum et de mensa sua saturari, sic dixisse fertur : Si animam inmundissimam sic diligit Dominus meus, quanto magis me, si obsequium illi fecero! Multum enim melior sum Cane. Cum hæc et hiis similia Asinus secum cogitaret, vidit Dominum introire. Occurrit velocius clamans, prosiluit et superstetit; levans pedes priores imposuit ambobus humeris, lingua eum lingens; fatigat Dominum pondere. Clamore autem Domini concitata, omnis familia fustes et lapides arripiunt, abicientes ad præsepium lassum atque semivivum.

XVI. — [LEO ET MUS.]

Quod persona vilis et impotens plerumque beneficii vicem majoribus inpendit.

Dormiente Leone aliquando in silva, venerunt mures luxu-

riantes, et unus ex illis nolens super Leonem transiit. Expergefactus Leo Murem apprehendit. Ille rogavit veniam sibi dari. Leo ut de Mure cogitat in tali quid esset vindicta, si occideret miserum Murem, crimen illi esset, non aliqua gloria, verum ignovit ac dimisit. Post pauces (*sic*) autem dies, Leo in foveam cecidit. Captum se ut agnovit, maxima voce mugire cœpit. Mus autem ut agnovit, ad eum cucurrit, ei parem gratiam, non inmemor beneficii, reddens. Omnes namque artus illius et ligaturas lustrare cœpit, et dentibus nervos cœpit secare et laxare artus illius. Si[c] Mus Leonem captum liberum restituit.

XVII. — [MILVUS ÆGROTANS.]

Quod noceat sacra loca vastando violare et exhonorare.

Milvus, cum ægrotaret nec spem vitæ haberet, matrem cum lacrimis rogavit, ut sacra loca circuiret et pro salute illius vota magna promitteret. Mater vero dixit. Faciam, inquit, quod vis, fili; verum ne impetrem illud vereor, quia omnia delubra vastasti, et cuncta polluisti altaria. Et sic pro eo precibus frustra profusis, morti debitum solvit.

XVIII. — [AVES ET HIRUNDO.]

Quod bonum contempnere consilium manifestè infelicitatis sit.

Spargi et arari lini semen Aves cum viderent, pro nichilo hoc habuerunt. Hyrundo autem, hoc intelligens, convocatis Avibus omnibus dixit malum esse. Omnes vero dissimulantes riserunt. Deinde ut fructificavit, iterum Hyrundo ait illis : Venite, eruamus illud. Nam cum creverit, retia inde facient homines, et sic capiemur. Quæ iterum contempserunt. Ut autem hoc vidit Hyrundo, ad homines se transtulit. Quæ autem respuerunt monita, nolentes audire consilium, semper in retibus cadunt.

XIX. — [RANÆ REGEM PETENTES.]

Quod non semper prosit aliunde quærere Regem.

Ranæ vacantes (*sic*) in paludibus et stagnis, clamore magno ad Jovem facto, petierunt sibi rectorem. Cum hoc semel et iterum fecissent, Jubiter (*sic*) misit in stagnum lignum magnum, cujus sono paventes fugerunt. Postea vero una earum protulit capud super stagnum, et, ut vidit lignum, cunctas advocat. Cum itaque multum timerent, accesserunt pavidæ ut Regem salutarent. Ut ergo nullum in ligno spiritum viderunt, iterum rogare cœperunt. Tunc illis Jupiter misit ydrum, id est magnum colubrum qui singulas cepit. Tunc voces cum lacrimis omnes ad sidera tollunt : Succurre, Jupiter; morimur. Econtra Jupiter ait : Cum vos peteretis, nolui. Quia ergo noluistis ferre bonum, sustinete malum, quod noluistis (*sic*).

XX. — [COLUMBÆ ET MILVUS.]

Quod non expedit plerumque mutare rectorem.

Columbæ, cum sæpe fugerent Milvum, Accipitrem fecerunt sibi rectorem et defensorem, putantes se sub eo tutos (*sic*) esse. At ille, fingens correptionem, singulas devorare cœpit. Tunc una ex illis : Levius fuit nobis molestiam portare Milvi; modo potestate necamur. Sed digne hoc patimur, quia nos talia commisimus.

XXI. — [CANIS FIDELIS.]

Quod non debet aliquis pro minimis parvi pendere magna.

Nocturnus quidam Fur cum panem mitteret Cani, Canis ad eum sic dixisse fertur : Tu ideo mihi das, ut me lædas, et tamen vicem redditurus sum domino meo, si tu tecum auferas totum. Si modo panem porrigis, numquid postea misericors eris, cum fame victus fuero? Nolo fauces meas pane claudas, ut lingua sileat, sed ipse econtra latrabo. At Fur, cum timore et confusione currens, se vertit in fugam.

XXII. — [LUPUS ET SCROFA PARTURIENS.]

Quod non prodest a malo recipere obsequium, licet indigeas.

Tremente partu scorpia (*sic pro* scrofa) cum jaceret dolore gemens, Lupus ad eam venit. Expone, inquit, soror, hac hora fœtum. Ego fungar obstetricis obsequio, stans pro solatio tibi. Scorpia autem, ut vidit inprobum, ejus refutat officium. Expono, inquit, frater, fœtum secura, si tu recesseris. Fuit et tibi mater. Ille autem recessit. At illa statim sarcinam profudit. Quod si malo cederet, infelicissime parturiret.

XXIII. — [CANIS AD AGNUM.]

Quod qui bonum alicui fecerit, pro patre haberi debet.

Inte[r] capellas Agno vaganti Canis dixisse fertur : Non est hic mater tua, ostendens ei oves longius segregatas. Agnus vero ait : Non illam quæro, quæ me concepit in utero, sed hæc est quæ me nutrit, et dat ubera sua mihi, natos autem suos, ut mihi lac non desit, fraudat. Econtra Canis ait : Tamen illa est tibi fortior mater. At ille : Verum est. Sed illa me peperit; ista beneficio matri (*sic pro* mater).

XXIV. — [HÆDUS ET LUPUS.]

Quod præcepta parentum audire natorum semper sit laus et securitas.

Capella cum esset fœta et ad pastum vellet ire, monuit Hædum suum ne alicui aperiret, et exinde abiit. Et venit Lupus, vocem assimilans matris. Hædus vero, per rimas aspiciens, sic ait : Vocem matris audio; sed tu fallax et inimicus es, sub matris voce matris quærens sanguinem.

Et sic qui monetur caute vivit.

XXV. — [PAUPER ET SERPENS.]

Quod suspectus semper debet esse qui alium læserit.

In domo cujusdam Divitis Serpens ad mensam accedere consueverat et inde micis cotidie fovebatur. Non longo post tempore cœpit Dives Serpenti irasci, quem securi vulneravit. Interposito tempore, ille ad egestatem venit. Intellexit autem fortuna Serpentis hoc accidisse, et causa illius divitem se fieri antequam ab ipso laceraretur. Venitque precans ut ignosceret precanti. Contra sic Serpens ait : Quia pœniteris, ignoscam sceleri tuo, ea conditione : quamdiu cicatrix clausa fuerit. Alioquin non credas integram fidem.

XXVI. — [VULPES ET CICONIA.]

Quod qui vult aliquando decipere, decipitur.

Vulpes Ciconiam ad cœnam vocavit, et posuit illi in cantinum sorbitionem liquidam, de qua satiari non poterat. Esuriens rediit Cyconia. Post dies aliquos vocavit et ipsa Vulpem. Quæ cum venisset, Cyconia dicitur in lagena vitrea lautiores simul posuisse cibos. Prior cœpit sumere Cyconia; deinde hortatur Vulpem. Statim Vulpes injuriam sensit. Sic Cyconia dixit Vulpi : Si bona dedisti, accipe; si dedignaris, ignosce.

XXVII. — [GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.]

Quod spolietur qui de alienis bonis superbit.

Garrulus, aliter Gargulus, tumens superbia, sumens Pavonis pennas sustulit, et se ornavit. Et cœpit contempnere suas; miscuit se gregi Pavonum. Illi ignoto et impudenti pennas Pavonis eripiunt, calcibus et mo[r]sibus fatigant. Ille vero, semivi[v]us ab eis relictus, ad genus timuit redire proprium, ubi, cum esset ornatus, multos injuriose terruit.

XXVIII. — [MUSCA ET MULA.]

Quod non omnis qui alteri minatur sit timendus.

Musca sedit aliquando in temone, et Mulæ juncta, quod tarde ambulat, dixit : Ambula, nam pungo tibi cervicem. Sic Mula dixisse fertur : Verba tua non pavesco, quæ insolens et vana nihil mali facere potes. Illum magis timeo, qui frenis ora temperat et flagello excusso loris terga flectit.

XXIX. — [FORMICA ET MUSCA.]

Quod qui se laudaverit, plerumque ad nihilum venit.

Formica et Musca contendebant quæ illarum melior fuisset. Musca sic cœpit : Nunquid te nostris potes comparare laudibus? Ubi immolantur, extra prima gusto. In capite regis sedeo, et omnibus matronis dulcia oscula figo. De quibus rebus tu nichil habes. Econtra Formica sic ait : Tu diceris inproba pestis, laudas importunitatem tuam. Nunquid optata venis? Ubicumque accedis, effugaris æstate; bruma veniente peris. Ego vero sum deliciosa; hyeme mihi secura, gaudia me sequuntur. Tu ventoso flabello sordida abigeris.

XXX. — [MUSTELA ET HOMO.]

Quod bona malis permixta facere minime prodest.

Mustela cum comprehenderet Mures, Homo eam cepit. At illa : Rogo, inquit, ut mihi parcas, quia tuam a molestiis semper purgavi domum. At ille ad eam : Non propter me fecisti. Nam ideo Mures necas, ut com(m)edas reliquias nostras quas illæ dimiserant. Nolo ut hoc mihi beneficium putes. Ita dicens eam morti tradidit.

XXXI. — [RANA RUPTA ET BOS.]

Quod qui invidiose se extollunt, crepant.

In prato Rana vidit pascentem Bovem. Putavit se fieri talem

posse, si rugosam pellem inflares (*sic pro* inflaret). Sic faciens, natos suos interrogavit si tanta esset. Dixerunt : Non. Iterum se inflavit et dixit : Quo modo nunc? Responderunt : Nil simile. Tertio cum se inflaret, rupta pelle mortua est.

Ideo dicitur : Noli inflare ne crepas.

XXXII. — [LEO ET EQUUS.]

Quod alium dolose aggredi unicuique nocet.

Nobilis, ad turpes quem verti non pudet artes,
Formidet turpi se quoque fraude capi (1).

Equum in prato pascentem vidit Leo fortissimus; hunc vero ut falleret, subtiliter se approximavit, ac veluti familiaris qui se diceret medicum olera quærens. Eq[u]us præsensit dolum, sed non repudiavit officiosum; tamen cito mente invenit ingenium. Finxit se stirpem calcatum habere. Et levato pede : Frater, inquit, succurre; gratulor quod venisti, quia stirpem calcavi. Leo patiens accessit. Cui velociter Equus turbilentos (*sic pro* turbulentos) calces dedit. Cedit corpus hostile et jacuit in terra diutius. At, ubi sui memor factus, nusquam vidit Equum.

Ideo, quod es esto, noli mentiri.

XXXIII. — [EQUUS ET ASINUS.]

Quod caducis et transitoriis rebus quis gaudere non debeat.

Equus quidam, freno ornatus argenteo et sella decorus ex auro, occurrit Asino in angusto de longe venienti et onusto. Et quod illi tardius dederat viam eo quod itinere lassus erat, dixisse Equus Asino fertur. Satis me, inquit, teneo. Nam te calcibus rumperem qui obviam mihi non recessisti. Terrore itaque illius et superbia miser Asellus cum gemitu testatur

(1) Hoc distichum et illa, quæ dehinc in præsenti fabularum collectu reperientur, ex Alexandri Nequam fabulis in hoc volumine, pag. 787 et seq., editis excerpta sunt.

Deos. Deinde modicum post [tempus] Equus ruptus currendo, nullam jam habens diligentiam, macer effectus est. Jubet dominus ut ducatur ad villam et stercus portet. Accepit ornamenta rustica et onustus ibat. Asellus vero, in prato pascens, agnovit Equum jam infelicem. Cui tali sono dicere fertur : Quid tibi profuerunt illa ornamenta pretiosa, ut talem haberes audaciam? Nunc et tu nostris utere officiis.

Hæc omnes admonet fabula, ne quis in potentia positus terreat infirmos.

Audiat ista potens et discat ferre minores,
Et celsus casum [per]timeat subitum.

XXXIV. — [VOLUCRES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.]

Quod omnis dolosus semper malum sequetur.

Quadrupedes cum Avibus bellum magnum gerebant et nulla pars alii cedebat. At Vespertilio, dubios et graves eventus timens, contulit se ad Quadrupedes quasi cum vincentibus. Subito adveniens Aquila vibravit alas suas, et, victoria adepta, cessabant Quadrupedes. Vespertilio autem sententia Avium dampnatur, eo quod suos reliquerat, ut lucem semper fugiat ex[s]poliatus plumis, ut noctibus volet.

Sic qui se fallax nunc h(i)is nunc ingerit illis,
Omnibus ingratus jure repulsus erit.

XXXV. — [LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.]

Quod qui aliis insidiatur, cavere debet ne ipse capiatur.

In nido Lu[s]ciniæ Accipiter sedit ut specularetur auritus (*sic*); parvos invenit pullos. Supervenit Lu[s]cinia et rogavit parcere pullis suis. Faciam, inquit, quod vis, si bene mihi cantaveris. At illa tanto metu coacta, pavens et dolore plena, cantavit. Accipiter vero : Non bene cantasti, inquit, et devoravit unum de pullis. E diverso quidam Auceps venit, et calamo silenter levato Accipitrem contractum visco in terram dimersit (*sic*).

XXXVI. — [LUPUS, VULPES ET PASTOR.]

Quod qui malitiam adversus alium in corde gestiunt, malitiose plerumque pereunt.

Lupus prædam multam in cubili congregaverat, ut per plures menses inveniret unde viveret. V[u]lpes, ut agnovit, venit ad cubile ejus et dixit : Quo merito non vidi te? Tristis fui per tot dies, quod non visitasti me. Cui Lupus, ut agnovit livorem, ait : Non de me sollicita venisti, sed ut aliqua rapias; scio te fraudem petere. Hiis verbis irata, V[u]lpes Pastorem ovium adiit. Agis jam mihi, inquit, gratias, si inimicum gregis tui in manu tua tradidero. Pastor ait : Ego serviam tibi, et tribuam si quid volueris. Tunc clausum illi ostendit Lupum, quem lancea ille peremit, et æmula se de alieno saturavit. Deinde in venatorem cum incideret comprehensa, a canibus dilaniata, sic ait : Quia malefeci, modo male pereo.

XXXVII. — [CERVUS AD FONTEM.]

Quod quidam laudant inutilia et vituperant bona.

Cervus bibens de fonte, sua cornua magna ut vidit, nimium laudare cœpit, crura tenu[i]a vituperavit. Statim autem venatoris vocem audivit et canes repente latrare. Fuga per campum Cervus dicitur evasisse. At ubi eum silva suscepit, magnitudo cornium (*sic*) eum venantibus retinuit. Tunc mortem suam videns ait : Quæ mihi erant utilia vituperavi et deceptus inutilia laudavi.

XXXVIII. — [FEMINA ET MILES.]

Quod nulla fides habenda est in muliere.

Femina quæ amisit virum suum, contulit se ad mausoleum ejus, ut lugubres ageret dies. Contigit autem ut cuidam crucifixo custos constituatur Miles, ne a suis furtim aufer(e)retur. Cumque siti fatigatus fuisset, accessit ad Mulierem et bibit, et cum illa coiens discessit. Cumque hæc tertio fecisset, crucifixi

corpus subtrahitur. Tunc Miles, ingenti timore percussus, plangit et inconsolabiliter dolet. Tunc Mulier, ad eum consolandi gratia accedens, maritum de sepultorio levavit et in cruce suspendit, et sic furtivum celatur scelus.

XXXIX. — [VIPERA ET LIMA.]

De eo quod cum fortiori non est contendendum.

In officina cujusdam Fabri introisse dicitur Vipera. Rodere Limam cœpit, dum quæreret escam. Tunc Lima ridens ait ad Viperam : Quid vis lædere dentes? Ipsa sum quæ consuevi omne ferrum rodere. Sed, et si quid est asperum, fricando facio lene.

Et ideo cum acriore nil certandum est..

Hinc discant homines ne lædant se potiores,
Ne mage lædantur, lædere ne (*sic*) cupiant.

XL. — [OVES ET LUPI.]

Quod nulla fides adhibenda sit malis.

Oves et Lupi bellum inter se gerebant, ita ut nulla pars alii cederet. Illæ plures et cum eis Canes et Arietes. Visum est signum victoriæ esse Ovium. Tunc Lupi mittunt legatos, pacem petentes jurando, si Canes obsides darent et Oves eorum ab eis catulos acciperent.. Et ita fecerunt. Postea Ovibus inpositi(s) Luporum catuli ululaverunt. Illi, notos (*sic pro* natos) vexare putantes, venerunt undique, simulque dicunt pacem ab illis ruptam. Oves laniare cœperunt, nullo tutore auxilium præstante, nullo patrone (*sic*) defendente.

XLI. — [HOMO ET ARBORES.]

Quod hosti auxiliari nimiæ insipientiæ est.

Securi facta, Homo postulabat ab Arboribus, ut illi manubrium darent de ligno quod esset firmum. Sumpsit Homo manubrium. Aptata secure, ramos et omnia quæ voluit cœpit indubitanter incidere. Tunc Quercus Fraxino ait : Digne et bene patimur, quæ roganti hosti nostro manubrium dedimus.

Ideo quisque ante cogitet, ne hosti aliquid præstet.

XLII. — [CANIS ET LUPUS.]

Quod libertas ceteris bonis præferenda sit.

Quisquis dura pati vult causa ventris avari,
A nobis dici sentiat ista sibi.

Sibi Lupus et Canis dum convenerunt in silva, ait Lupus Cani : Unde, frater, sic nitidus et bene pinguis es? Canis respondit : Quia sum custos domini contra latrones. Nullus passim ingreditur, nisi forte furem annuntio. Affertur mihi panis, dat ossa dominus; similiter et ceteri. Amat me tota familia. Ita venter impletur meus. Sub tectis cubo. Aqua non deest mihi. Sic otiosus vitam gero. Et Lupus : Bene, inquit, frater, vellem ut ista mihi contingerent. Cui Canis ait : Si vis ut tibi bene sit, veni mecum, nichil est timeas. Cumque ambularent simul, vidit Lupus Canis collum cathena attritum, et ait : Quid est, frater, quod jugum attrivit collum tuum? Et Canis : Quod sim acrior, in die ligor; in nocte solvor, intra domum sum vagus, ubi volo dormio. Et Lupus Cani : Non opus habeo ferre quod laudasti, vivere volo liber ad quodcumque evenerit mihi. Liber ubi volo peragro, nulla me tenet cathena; vive ut consuevisti, ego, ut assuevi, vitam ago et vivo.

XLIII. — [MEMBRA ET VENTER.]

Quod non debet homo sibi nocere ut alium lædat.

Indignatas dicitur esse Manus et Pedes Ventri et cibum eis dare noluerunt, eo quod sine ullo labore cotidie repleretur, illo sedente otioso, et ei negaverunt servitium. Venter vero esuriens clamabat. At illæ per aliquot dies nihil ei dederunt. Jejuno autem Ventre Membra omnia lassa facta sunt. Postea vero accipere Venter cibum recusat, eo quod jam clausaverat vias. Sic Venter et Membra simul lassa intereunt.

Sic qui contempnit dantem sibi commoda vitæ,
In monitu dampni rursus obaudit ei.

XLIV. — [SIMIUS ET VULPES.]

Quod non debet aliquis in alterius superfluitate spem ponere.

Rogabat Symius Vulpem, ut de magnitudine suæ caudæ sibi daret, unde nates suos turpissimos tegeret. Quid enim, inquit, utile est tibi ut sit pondus sine causa? Cui Vulpes dicitur dixisse : Utinam major esset et longior, ut per terram illam traherem, sive per petras et spinas et lutum, ne tu meo tegumento videaris locuplex (*sic*)! Cui Symeus : O avare!

Te increpat fabula, qui non das quod tibi superest.

XLV. — [NEGOCIATOR ET ASELLUS.]

Quod nescit homo utrum odio an amore post mortem dignus sit.

Fuit quidam Negociator in via cum Asello festinans ingredi. Onustum autem animal flagello et fuste cædebat, ut citius veniret lucri causa. Asellus autem optabat mortem, putans se post mortem esse securum. Lassus et quassatus moritur. Statim de ejus pelle facta sunt tympana.

ROMULEÆ FABULÆ,

EX ARCTOPOLITANO CODICE MS. 141, N° 328,
NUNC PRIMUM EDITÆ.

(Fol. 11 *b*.)

HÆC SUNT FABULÆ ÆSOPI MORALES, QUAS ROMULUS DE GRÆCO IN LATINUM TRANSTULIT.

I. — [LUPUS ET AGNUS.]

Agnus et Lupus sitientes ad rivulum aquæ ex diverso venerunt. Sursum bibebat Lupus, et longe inferior Agnus. Lupus sibi aquas summe turbari censetur, et dicit (ab) Agno. Agnus patienter sibi respondit, dicens aquam decurrere non nisi ad inferiora et non converso. At Lupus ait : Tu maledicis michi. At ille : Non maledixi tibi. Tuus pater, inquit Lupus, multa mala intulit michi. Et sic altercando Lupus Agnum com[m]edit.

Sic dampnosi et oppressores sine causa innocentes opprimunt.

II. — [MUS ET RANA.]

Mus enim, ut flumen transiret, auxilium a Rana petiit. Illa autem Murem ad pedem sibi ligavit, et natare cœpit. In medio autem flumine Rana se submersit. Cumque Mus, defendendo se, supernataret, Milvus in aere volans Murem cum unguibus rapuit simul et Ranam pendentem sustulit.

Sic majores et minores inter se disceptantes. Sic etiam Dyabolus animam et corpus dissipat.

III. — [CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.]

Canis enim, flumen transiens, frustum carnis cum osse gerebat in ore suo. Cujus umbram cum vidisset in aqua, ape-

riens os suum ut illud cujus umbram vidit caperet; mox illud frustum quod in ore gerebat, cecidit in aquam, et sic utrumque perdidit.

Ita qui alium quærit suum perdit.

IV. — [LUPUS ET GRUS.]

Lupus enim dum ossa devoraret, unum ex illis gutturi inhæsit, et, mori timens, se curanti magnum pretium promisit. Rogatur ergo Grus longo collo ut Lupo præstaret curationis remedium. Cumque assentiret et in os Lupi caput suum posuisset ac inde os extraxisset, a Lupo curato promissum sibi petiit persolvi. Cui Lupus respondit : Sufficere tibi debet quod caput tuum incolome ex ore meo extrahere permisi. Et noluit se appretiari, sicut sibi promisit.

Sic multi de beneficiis acceptis inimici erunt.

V. — [VACCA ET CAPELLA, OVIS ET LEO.]

Vacca enim et Capprella (*sic*) et Ovis se sociaverunt Leoni. Cui cum venantes cervum cepissent, factis quatuor pertibus (*sic*), Leo sic ait : Ego primus caput cum collo volo, quod Leo rex sum animalium. Secunda pars mea est, quod fortior vobis sum. Tertiam mihi defendo, quod citius vobis cucurri. Quartam vero qui tetigerit, inimicum me habebit. Sicque totam prædam sola improbitas abstulit.

VI. — [LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.]

Leo senio confectus et viribus destitutus cum jaceret spiritum trahens, Aper ad eum venit, et, iratus propter illata, dente ipsum percussit. Insuper et Taurus confodit. Asinus frontem cum calce vulneravit. Ille autem, cum gemitu suspirans, sic dixisse fertur : Cum enim esset virtus, fuit honor et timor, ita ut omnes mea visione fugerent. Et quomodo nunc tractor? Pluries enim benivolos non læsi, sed auxiliatus fui : ipsi malignantur michi. Et quod sum sine viribus, nullus est michi honor pristinus.

(Fol. 12 *a*.) — VII. — [ASINUS DOMINO BLANDIENS.]

Asinus, cum videret co(c)tidie Catello blandiri Dominum et [de] eadem mensa ejus saturari, ait : Si animal immundum et inutile sic diligit Dominus meus et ejus familia, quantum me, si homini obsequia fecero, diligeret? Melior enim ego sum Cane et utilior in multis. Elevans igitur Asinus ambos pedes anteriores, imposuit humeris Domini sui, lingua lingens et maculas tergere volens. Dominus autem pondere suo prægravatus, clamans (*sic pro* clamat) ad familiam : fustibus et lapidibus cædentes, semivivum ipsum ad præsepia religaverunt.

Sic etc.

VIII. — [LEO ET MUS.]

Leone enim dormiente in silva, Mus super eum transivit. Expergesitaque (*sic pro* Expergefactusque) Leo miserum Murem comprehendit. Qui veniam sibi rogabat, quod ignoranter et sine malitia fecerat. Leo autem parum vindictæ in Mure commisit et dimisit eum. Post paucos vero dies Leo in retia cecidit. Captus rugiebat. Mus autem eadem, ut hoc agnovit, ad ipsum cucurrit non immemor beneficii sibi ab eo impensi, corrosit ligaturas et Leonem solvit.

Sic etc.

IX. — [VESPERTILIO SUPERBUS ET PAVONES.]

Vespertilio pennas quasdam Pavonum, quæ ceciderant, sustulit, et inde se ornavit, sociosque contempnere cœpit. Ad gregem Pavonum se immiscuit; at illi ignoto et impudenti pennas cum rostris, calcibus et morsibus acceperunt, miserumque et semivivum relinquentes. At ille, non expavescens nec erubescens, ad proprium genus rediit, ubi tunc una earum [avium] dixit : Si vestes tuas quas natura tibi dedit amasses, nec ab illis injuriam passus nec a nobis expulsa (*sic*) fuisses.

X. — [CERVUS AD FONTEM.]

Cervus, aquam de fonte bibens, sua cornua vidit et nimium laudare cœpit; crura vero tenu[i]a vituperare cœpit. Cumque

venatores et canes audiret, fugere cœpit. At ubi eum silva suscepit, (et) magnitudo illa cornum venantibus retinuit. Tunc, mortem suam videns, ait : Quæ michi erant utilia vituperavi, et dampnosa laudavi.

Sic quidam sunt qui potius picturam quam virtutes diligunt.

XI. — [FORMICA ET MUSCA.]

Formica et Musca quæ earum melior esset inter se conferebant. Musca autem ait : Numquam te meis poteris comparare laudibus. In sacrificiis enim prima gusto. In capite regum sedeo, et in pretiosis puellis oscula dulcia figo, et in mensis regiis sum ego. De quibus omnibus tu nichil habebis. At Formica ait : Contra te dicis. In faustis laudas oportunitatem (*sic*) tuam. Non optata, non vocata venis; sed ubique fugaris. In æstate volas; sed in hyeme non volas nec apparebis. Ego vero in hyeme et æstate sum secura.

XII. — [RANA RUPTA ET BOS.]

Rana enim in prato quodam vidit pascentem Bovem, putavitque se posse fieri talem, et inflans se natos suos interrogavit, dicens : (fol. 12 *b*) Sumne talis ut Bos iste? Dixerunt : Non. At illa iterum se inflavit et ait : Quomodo modo? Et illi responderunt : Nichil simile. Tertio cum se inflaret, rupta pelle mortua est.

Ideoque volgo (*sic*) dicitur : Noli te inflare ne crepes.

XIII. — [AVES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.]

Quadrupedia cum Avibus bellum gerebant : una (*sic pro* nulla) pars alteri cedebat. Tandem Vespertilio, dubius et graves eventus timens, quod magna fuit acies Quadrupedum, (et) se contulit ad eos. Cumque Avibus victoria cessisset, tandem reddita pace pristina inter Aves et Quadrupedes, Vespertilio, Avium sententia dampnatus eo quod suos reliquisset, plumis suis expoliatus est, et a luce fugiens, nocte semper volans etc.

GUALTERI ANGLICI

ROMULEÆ FABULÆ,

E ROMULI PROSA IN ELEGIACOS VERSUS VERSÆ.

PROLOGUS.

Ut juvet, ut prosit, conatur pagina præsens :
  Dulcius arrident seria picta jocis.
Hortulus iste parit fructum cum flore, favorem
  Flos et fructus emunt; hic sapit, ille nitet.
Si fructus plus flore placet, fructum lege : si flos
  Plus fructu, florem; si duo, carpe duo.
Ne mihi torpentem sopiret inertia sensum,
  In quo pervigilet, mens mea movit opus.
Ut messis pretium de vili surgat agello,
  Verbula sicca, Deus, implue rore tuo.
Verborum levitas morum fert pondus honestum,
  Et nucleum celat arida testa bonum.

I. — DE GALLO ET JASPIDE.

Dum rigido fodit ore fimum, dum quæritat escam,
  Dum stupet inventa jaspide Gallus, ait :
Res vili pretiosa loco, nitidique decoris,
  Hac in sorde jacens, nil mihi messis habes.
Si tibi nunc esset, qui debuit esse, repertor,
  Quem limus sepelit, viveret arte nitor.
Nec tibi convenio, nec tu mihi; nec tibi prosum,
  Nec mihi tu prodes; plus amo cara minus.

Tu Gallo stolidum, tu jaspide dona sophiæ
  Pulchra notes; stolido nil sapit ista seges.

II. — DE LUPO ET AGNO.

Est Lupus, est Agnus : sitit hic, sitit ille : fluenti,
Limite non uno, quærit uterque viam.
In summo bibit amne Lupus, bibit Agnus in imo.
Hunc timor impugnat, verba movente Lupo :
Rupisti potumque mihi, rivoque decorem.
Agnus utrumque negat, se ratione tuens :
Nec tibi, nec rivo nocui; nam prona supinum
Nescit iter, nec adhuc unda nitore caret.
Sic iterum tonat ore Lupus : Mihi damna minaris?
Non minor, Agnus ait. Cui Lupus : Immo facis.
Fecit idem tuus ante pater, sex mensibus actis.
Cum bene patrisses, crimine patris obi.
Agnus ad hæc : Tanto non vixi tempore, prædo.
Cui Lupus : An loqueris, furcifer? huncque vorat.

Sic nocet innocuo nocuus, causamque nocendi
Invenit. Hi regnant qualibet urbe lupi.

III. — DE MURE ET RANA.

Muris iter rumpente lacu, venit obvia Muri
Rana loquax, et opem pacta nocere cupit.
Omne genus pestis superat mens dissona verbis,
Cum sentes animi florida lingua polit.
Rana sibi Murem filo confœderat, audet
Nectere fune pedem, rumpere fraude fidem.
Pes coit ergo pedi; sed mens a mente recedit.
Ecce natant; trahitur ille, sed illa trahit.
Mergitur, ut secum Murem demergat; amico
Naufragium faciens, naufragat ipsa fides.
Rana studet mergi; sed Mus emergit, et obstat
Naufragio : vires suggerit ipse timor.
Milvus adest, miserumque truci rapit ungue duellum :
Hic jacet, ambo jacent, viscera rupta fluunt.

Sic pereant, qui se prodesse fatentur, et obsunt.
  Discat in auctorem pœna redire suum.

IV. — DE CANE ET OVE.

In causam Canis urget Ovem, sedet arbiter, audit.
  Reddat Ovis panem vult Canis; illa negat.
Pro Cane stat Milvus, stat Vultur, stat Lupus : instant,
  Panem quem pepigit reddere, reddat Ovis.
Reddere non debet, nec habet quod reddere possit;
  Et tamen ut reddat, arbiter instat Ovi.
Ergo suum, licet instet hiems, pervendit amictum,
  Et Boream patitur, vellere nuda suo.

Sæpe fidem falso mendicat inertia teste,
  Sæpe dolet pietas criminis arte capi.

V. — DE CANE ET CARNE.

Nat Canis ore gerens carnem, caro porrigit umbram;
  Umbra cohæret aquis : has Canis urget aquas.
Spem carnis plus carne cupit, plus fenore signum
  Fenoris; os aperit; sic caro spesque perit.

Non igitur debent pro vanis certa relinqui.
  Non sua si quis amat, mox caret ipse suis.

VI. — DE LEONE, VACCA, CAPRA ET OVE.

Ut ratione pari fortunæ munera sumant,
  Sumunt fœdus Ovis, Capra, Juvenca, Leo.
Cervus adest, cervum rapiunt. Leo sic ait : Heres
  Primæ partis ero; nam mihi primus honor.
Et mihi defendit partem vis prima secundam,
  Et mihi dat major tertia jura labor.
Et pars quarta, nisi mea sit, rumpemus amorem.
  Publica solus habet fortior, ima premens.

Ne societ fortem fragilis, vult pagina præsens :
  Nam fragili fidus nesciet esse potens.

VII. — DE FEMINA ET FURE.

Femina dum nubit Furi, vicinia gaudet;
Vir bonus et prudens talia verba movet :
Sol pepigit sponsam. Jovis aures terra querelis
Perculit, et causam, cur foret ægra, dedit.
Sole necor solo : quid erit, si creverit alter?
Quid patiar? quid aget tanta caloris hiems?

Hic prohibet sermo lætum præbere favorem
His, male qui faciunt, vel mala facta parant.

VIII. — DE LUPO ET GRUE.

Arta Lupum cruciat via gutturis osse retento :
Mendicat medicam, multa daturus, opem.
Grus promissa petit, de faucibus osse revulso.
Cui Lupus : En vivis munere tuta meo?
Nonne tuum potui morsu præcidere collum?
Ergo tibi munus sit tua vita meum.

Nil prodest prodesse malis : mens prava malorum
Immemor accepti non timet esse boni.

IX. — DE DUABUS CANICULIS.

De partu querulam, verborum nectare plenam,
Pro Cane mota Canis, suscipit æde Canem.
Hæc abit, illa manet; hæc cursitat, illa quiescit;
Huic tandem a partu solvitur ipsa quies.
Illa redit, reddique sibi sua jura precatur;
Obserat hæc aurem, nec minus aure domum.
Plus prece posse minas putat, his plus bella duobus;
Noscit posse minas plus prece, bella minis.
Cum dolor hanc armet, plus matrem filius armat;
Cedit sola gregi, justaque causa perit.

Non satis est tutum mellitis credere verbis;
Ex hoc melle solet pestis amara sequi.

X. — DE VIRO ET COLUBRO.

Dum nive candet humus, glacies dum sopit aquarum
Cursus, in Colubrum turbida sævit hiems.
Hunc videt, hunc reficit Hominis clementia; ventum
Temperat huic tecto, temperat igne gelu.
Ver redit, imber abit, æstas cum sole tepescit.
Sic importunus fit magis atque magis.
Ore serit virus Coluber, sic toxicat ædem.
Hospes ait Colubro : Non rediturus abi.
Non exit Coluber, nec vult exire, sed hæret,
Amplectensque Virum sibila dira movet.

Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
Pro fructu pœnam, pro pietate dolos.

XI. — DE ASINO ET APRO.

Audet Asellus Aprum risu tentare protervo,
Audet iners forti dicere : Frater, ave.
Vibrat Aper pro voce caput; nam verba superbit
Reddere, sed dentem vix tenet ira trucem.
Sus tamen ista movet : Vilem dens nobilis escam
Spernit; desidia tutus es ipse tua.

Non debet stolido lædi prudentia risu,
Nec stolidus doctum debet adire jocis.

XII. — DE MURE URBANO ET RUSTICO.

Rusticus Urbanum Mus Murem suscipit, ædem
Commodat et mentem : mensaque mente minor.
In mensa tenui satis est immensa voluntas,
Nobilitat viles frons generosa dapes.
Facto fine cibis, Urbanum Rusticus audit :
Urbani socius tendit in urbis opes.
Ecce penum subeunt; inservit amicus amico,
Invigilat mensæ; fercula mensa gerit.

Emendat conditque cibos clementia vultus,
Convivam satiat plus dape frontis honor.
Ecce serra clavis immurmurat, ostia laxat.
Ambo timent, fugiunt ambo, nec ambo latent.
Hic latet, hic latebras cursu mendicat inepto,
Assuitur muro reptile Muris onus.
Blanda penu clauso parcit Fortuna timenti;
Ille tamen febrit; teste tremore timet.
Exit qui latuit, timidum sic lenit amicum :
Gaude, carpe cibos, hæc sapit esca favum.
Fatur qui timuit : Latet hoc in melle venenum,
Fellitumque metu non puto dulce bonum.
Quam timor obnubit, non est sincera voluptas ;
Non est sollicito dulcis in ore cibus.
Rodere malo fabam, quam cura perpete rodi;
Degenerare cibos cura diurna facit.
His opibus gaude, qui gaudes turbine mentis;
Pauperiem ditat pax opulenta mihi.
Hæc bona solus habe, quæ sunt tibi dulcia soli;
Dat pretium dapibus vita quieta meis.
Finit verba, redit; præponit tuta timendis;
Et quia summa timet, tutius ima petit.

Pauperies si læta venit, tutissima res est :
Tristior immensas pauperat usus opes.

XIII. — DE VULPE ET AQUILA.

Dum Vulpes Aquilam pro rapta prole perungit
Melle precum; prædam reddere nescit avis.
Præda gemit, nidique timet cibus esse gulosi ;
Sed redimit natos utilis arte parens.
Arboreum zonat stipulis et vimine truncum,
In stipulam docto porrigit ore facem.
In pullos Aquilæ consurgit copia fumi.
Hunc timet, et Vulpem provida placat avis.

Non sit qui studeat, quia major, obesse minori,
  Cum bene majori possit obesse minor.

XIV. — DE AQUILA ET CORNICE.

Pes Aquilæ, prædo Testudinis, aera scindit.
  Hanc sua concha tegit, cornua longa latent.
Hoc monitu Cornix Aquilam præmunit : Ineptum
  Fers onus; hoc fiet utile, crede mihi.
Quod geris in concha, cibus est : tibi subripit illum
  Concha cibum : concham frange cibusque cadet.
Ut concham lanies, pro viribus utere sensu :
  Hanc, si celsa cadit, saxea franget humus.

De se tutus homo, submersus turbine linguæ,
  Corruit, et fortes ista procella rapit.

XV. — DE VULPE ET CORVO.

Vulpe gerente famem, Corvum gerit arbor, et escam
  Ore gerens Corvus, Vulpe loquente, silet :
Corve decore decens, cygnum candore peræquas;
  Si cantu placeas, plus ave quaque places.
Credit avis, pictæque placent præludia linguæ :
  Dum canit, ut placeat, caseus ore cadit.
Hoc fruitur Vulpes; insurgunt tædia Corvo.
  Asperat in medio damna dolore pudor.

Fellitum patitur risum, quem mellit inanis
  Gloria : vera parit tædia falsus honor.

XVI. — DE LEONE INVETERATO.

Irretit miserum gravitas annosa Leonem,
  Inglaciat corpus corque senile gelu.
Instat Aper, pensat veteri pro vulnere vulnus.
  Frontis eum telo Taurus utroque fodit.
Sævit Asellus iners et frontem calce sigillat.
  Hæc solo gemitu vindicat acta Leo :

Omnia qui vici, me vincunt omnia : dormit
  Vis mea, dormit honor, dormit honoris opus.
Cui nocui, nocet ille mihi : multisque peperci,
  Qui mihi non parcunt, pro pietate nocent.

Hunc timeat casum, qui se non fulcit amico,
  Nec dare vult felix, quam miser optat, opem.

XVII. — DE ASINO ET CATULO.

Murmuris et caudæ studio testatur amorem,
  Nunc lingua Catulus, nunc pede palpat Herum.
Gaudet Herus, comitque Canem, comitemque ciborum
  Efficit; alludit turba ministra Cani.
Arte pari, similesque cibos similemque favorem
  Lucrari cupiens, inquit Asellus iners :
Me Catulo præfert vitæ nitor, utile tergum;
  Nec placeo fructu, sed placet ille joco.
Ludam ut placeam. Sic ludi tempore viso,
  Ut ludo placeat, ludit et instat Hero.
Blandiri putat ore tonans, humerisque priorum
  Pressis mole pedum, se putat esse pium.
Clamat Herus : vult clamor opem : subit ordo clientum.
  Multa domat multo verbere clava reum.

Quod natura negat, nemo feliciter audet :
  Displicet imprudens, unde placere putat.

XVIII. — DE LEONE ET MURE.

Frigida sopito blanditur silva Leoni :
  Cursitat hic murum ludere promta cohors.
Pressus Mure, Leo Murem rapit; ille precatur :
  Ille precem librat, subjacet ira preci.
Hæc tamen ante movet animo : Quid Mure perempto
  Laudis emes? summum vincere parva pudet.
Si nece dignetur Murem Leo, nonne Leoni
  Dedecus, et Muri cœperit esse decus?

Si vincat summus minimum, sic vincere vinci est.
  Vincere posse decet, vincere crimen habet.
Si tamen hoc decus est, si laus sic vincere, laus hæc
  Et decus hoc minimo fiet ab hoste minus.
De pretio victi pendet victoria : victor
  Tantus erit, victi gloria quanta fuit.
Mus abit, et grates reddit; si reddere possit
  Spondet opem. Solus fit mora parva dies.
Nam Leo rete subit, nec prodest viribus uti,
  Sed prodest querulo murmure damna loqui.
Mus redit, hunc reperit, cernit loca, vincula rodit;
  Hac ope pensat opem : sic Leo tutus abit.
Rem potuit tantam minimi prudentia dentis,
  Cui Leo dans veniam se dedit ipse sibi.

Tu qui summa potes, ne despice parva potentem;
  Nam prodesse solet, si quis obesse nequit.

XIX. — DE MILVO ÆGROTANTE.

Morbi mole jacet Milvus, matremque precatur,
  Ut pro se Superis det sacra, detque preces.
Mater ait : Mi nate, Deos et sacra Deorum
  Læsisti : recolunt impia facta Dii.
Criminis ultores pensant pro crimine pœnam.
  Dum sacra turbares, pœna timenda fuit.
Te cogit timor esse pium, te pœna fidelem :
  Hic timor, hæc pietas cum nece sera venit.

Qui maculat vitam, mundas cur incolit aras?
  Quem sua facta premunt, cur aliena levat?

XX. — DE HIRUNDINE ET AVIBUS.

Ut linum pariat de lini semine, semen
  Nutrit humus : sed Aves tangit Hirundo metu.
Hæc ait : Hoc semen nobis mala vincla minatur,
  Vellite pro nostris semina sparsa malis.

Turba fugit sanos monitus, vanosque timores
Arguit; exit humum semen, et herba viret.
Rursus Hirundo monet vitare pericula; rident
Rursus Aves. Hominem placat Hirundo sibi,
Cumque viris habitans cantu blanditur amico:
Nam provisa minus tela nocere solent.
Jam metitur linum, jam fiunt retia, jam vir
Fallit Aves, jam se conscia culpat Avis.

Utile consilium qui spernit, inutile sumit.
Qui nimis est tutus, retia jure subit.

XXI. — DE RANIS REGEM PETENTIBUS.

Fabula nata sequi mores et pingere vitam,
Tangit quod fugias, quodve sequaris iter.
Rege carens, nec regis inops, sine lege nec exlex,
Absque jugo gessit Attica terra jugum.
Libertas errore carens, se sponte coegit :
Et pudor ob legem fortior ense fuit.
Ne libitum faceret, regem gens libera fecit;
Et quæ non potuit pellere jussa, tulit.
Rex cœpit laniare truces, punire nocentes,
Quæque levanda levans, quæque premenda premens.
Hos onerat cives positos sub lege novella :
Quæ leviter poterant, vix potuere pati.
Urbem triste jugum querula cervice serentem
Æsopus tetigit, consona verba movens :
Dum nihil auderet ludentes lædere Renas,
Supplicuere Jovi, ne sine rege forent.
Jupiter huic voto risum dedit; ausa secundas
Rana preces subitum sensit in amne sonum.
Nam Jove dante trabem, trabis ictu flumine moto
Demersit subitus guttura rauca timor.
Placato rediere metu, videre tigillum,
Stando procul regem pertimuere suum.

Ut novere, trabem per se non posse moveri,
  Pro duce fecerunt tertia vota Jovi.
Ira Jovem movit, regem dedit, intulit hydrum.
  Hydrus hiante gula cœpit inire lacum.
Clamitat ecce lacus : Morimur, pie Jupiter, audi,
  Jupiter, exaudi, Jupiter, affer opem!
Nos sepelit venter, nostri sumus esca tyranni,
  Aufer cædis onus, redde quietis opem.
Ille refert : Emtum longa prece ferte magistrum;
  Vindicet æternus otia spreta metus.

Omne boni pretium nimio vilescit in usu,
  Fitque mali gustu dulcius omne bonum.
Si quis habet quod habere decet, sit lætus habendo,
  Alterius non sit, qui suus esse potest.

XXII. — DE ACCIPITRE ET COLUMBIS.

Accipitrem, Milvi pulsuræ bella, Columbæ
  Accipiunt regem; rex magis hoste nocet.
Incipiunt de rege queri, quod sanius esset
  Milvi bella pati, quam sine Marte mori.

Si quid agas, prudenter agas et respice finem;
  Ferre minora volo, ne graviora feram.

XXIII. — DE FURE ET CANE.

Fure vocante Canem prætenso munere panis,
  Spreto pane Canis talia verba movet :
Ut sileam, tua dona volunt, furtique laborant
  Esse locum; panem si fero, cuncta feres.
Fert munus mea damna tuum, latet hamus in esca;
  Me privare cibo cogitat iste cibus.
Non amo nocturnum panem plus pane diurno;
  Advena plus noto non placet hostis hero.
Non rapiet nox una mihi bona mille dierum,
  Nolo semper egens esse, semelque satur.

Latrando tua furta loquar, nisi sponte recedas.
Hic silet, ille manet; hic tonat, ille fugit.

Si tibi quid detur, cur detur respice; si des,
Cui des, ipse nota; teque, gulose, doma.

XXIV. — DE LUPO ET SUE PARIENTE.

Vult Lupus ut pariat maturum Sucula fœtum,
Seque novi curam spondet habere gregis.
Sus ait : Hac cura careas, mihi nolo ministres;
Horrent obsequium viscera nostra tuum.
I procul, ut tuto liceat mihi fundere fœtus;
I procul, et pietas hæc erit apta mihi.
Pro natis natura jubet timuisse parentem.
Fine dato verbis hic abit, illa parit.

Tempore non omni, non omnibus omnia credes.
Qui misere credit, creditur esse miser.

XXV. — DE TERRA TUMENTE.

Terra tumet; tumor ille gemit, gemitusque fatetur
Partum : pæne perit sexus uterque metu.
Cum tumeat Tellus, monstrat se monstra daturam :
Vicini trepidant, et prope stare timent.
In risum timor ille redit ; nam turgida murem
Terra parit : jocus est quod fuit ante timor.

Sæpe minus faciunt homines, qui magna minantur :
Sæpe gerit nimios causa pusilla metus.

XXVI. — DE AGNO ET LUPO.

Cum grege barbato dum ludit junior Agnus,
Tendit in hunc menti dissona verba Lupus :
Cur olidam munda sequeris plus matre Capellam?
Lac tibi præberet dulcius ipsa parens.

Est prope, festina, matrem pote, munera matris
  Lac bibe; nam servat ubera plena tibi.
Agnus ad hæc : Pia Capra mihi lac dulce ministrat;
  Me vice matris alit, me vice matris amat.
Non mihi, sed domino prodest me vivere; vivo
  Ut metat a tergo vellera multa meo.
Ergo mihi præstat nutriri lacte caprino,
  Quam lac matris habens mergar in ore tuo.
Omnes vincit opes securam ducere vitam,
  Pauperius nihil est, quam malus usus opum.

Nil melius sano monitu, nil pejus iniquo,
  Consilium sequitur certa ruina malum.

XXVII. — DE CANE ET DOMINO SUO.

Armavit natura Canem pede, dente, juventa :
  Hinc levis, hinc mordax, fortis et inde fuit.
Tot bona furatur senium; nam robore privat
  Corpus, dente genas, et levitate pedes.
Hic Leporem prendit; fauces Lepus exit inermes.
  Delusum Domini verberat ira Canem.
Reddit verba Canis : Dum me pia pertulit ætas,
  Nulla meum potuit fallere præda pedem.
Defendit senii culpam laus ampla juventæ :
  Pro sene qui cecidit, facta priora vigent.
Nullus amor durat, nisi fructus servet amorem :
  Quilibet est tanti, munera quanta facit.
Magnus eram, dum magna dedi : jam muscidus annis
  Vileo, de veteri mentio nulla bono.
Si laudas quod eram, quod sum culpare protervum est;
  Si juvenem recipis, pellere turpe senem est.

Se misere servire sciat, qui servit iniquo :
  Parcere subjectis nescit iniquus homo.

XXVIII. — DE LEPORIBUS FUGIENTIBUS.

Silva sonat, fugiunt Lepores, palus obviat, hærent,
Fit mora, respiciunt ante retroque, timent.
Dum librant in mente metus, se mergere pacti,
Se metui et Ranas stagna subire vident.
Unus ait : Sperare licet; non sola timoris
Turba sumus; vano Rana timore latet.
Spem decet amplecti; spes est via prima salutis :
Sæpe facit metui non metuenda metus.
Corporis est levitas, et mentis inertia nobis :
Ista fugæ causam suggerit, illa necem.

Sic metuat quicunque timet, ne mole timoris
Spe careat; gravis est spe fugiente timor.
Speret qui metuit : morituros vivere vidi
Spe duce, victuros spe moriente mori.

XXIX. — DE CAPRA ET HÆDO.

Capra cibum quærens, Hædum commendat ovili;
Hunc illi solida servat ovile sera.
Natum cauta parens monitu præmunit amico,
Ut lateat, nec sit in sua damna vagus.
Hic latet; ecce Lupus movet ostia : voce Capellam
Exprimit; ut pateant ostia clausa, petit.
Sta procul, Hædus ait, caprizas gutture falso;
Cum male caprizes, te procul esse volo.
Quod mea sis mater, mentitur imago loquendi :
Rimula, qua video, te docet esse Lupum.

Insita natorum cordi doctrina parentum
Cum pariat fructum, spreta nocere solet.

XXX. — DE RUSTICO ET ANGUE.

Rustica mensa diu nutritum foverat Anguem :
Humanam potuit Anguis amare manum.

Gratia longa viri subitam mutatur in iram;
  Ira per anguineum dirigit arma caput.
Vulneris auctor eget, se vulnere credit egenum.
  Angui pro venia supplicat; Anguis ait :
Non ero securus, dum sit tibi tanta securis,
  Dum cutis hæc memorat vulnera facta sibi :
Qui me læsit, item lædet, si lædere possit.
  Expedit infido non iterare fidem.
Sed te si pigeat sceleris, scelus omne remitto.
  Nam gemitus veniam vulnere cordis emit.

Qui primo nocuit, vult posse nocere secundo.
  Quæ dedit infidus mella, venena puto.

XXXI. — DE CERVO, OVE ET LUPO.

Cervus Ovi, præsente Lupo, sic intonat : Amplum
  Vas tritici debes reddere, redde mihi.
Sic jubet esse Lupus : probat ista timore jubentis;
  Namque die fixo debita spondet Ovis.
Fit mora; Cervus Ovem vexat de fœdere; Cervo
  Inquit Ovis : Non stant fœdera facta metu.
Me decuit quæcumque Lupo cogente fateri :
  Me decuit fraudem pellere fraude pari.

Cum timor in pacto sedit, promissa timoris
  Arent : nil fidei verba timentis habent.

XXXII. — DE MUSCA ET CALVO.

Musca premit Calvum; Muscam vult lædere Calvus ;
  Ut Muscam feriat, se ferit; illa redit.
Calvus ait : Te Parca jubet vicina necari.
  Si ferior, rides; si feriare, cades.
Sospes ero decies ictus, semel icta peribis.
  Est mea prompta mihi gratia, surda tibi.

Jure potest lædi lædens ut lædat; in illum,
  Unde brevis cœpit læsio, magna redit.

XXXIII. — DE VULPE ET CICONIA.

Vulpe vocante venit, speratque Ciconia cœnam.
  Fallit avem liquidus Vulpe vocante cibus.
Cum bibit ista cibos, solum bibit illa dolorem.
  Hic dolor in Vulpem fabricat arma doli.
Sunt pauci mora parva dies; avis inquit : Habemus
  Fercula quæ sapiunt; dulcis amica, veni.
Hæc venit; hæc vitreo vase bona fercula condit,
  At solam recipit formula vasis avem.
Laudat opes oculo vasis nitor; has negat ori
  Formula : sic geminant visus odorque famem.
Sic Vulpes jejuna redit; sic fallitur audens
  Fallere; sic telo læditur ipsa suo.

Quod tibi non faceres, aliis fecisse caveto.
  Vulnera ne facias, quæ potes ipse pati.

XXXIV. — DE LUPO ET CAPITE INVENTO.

Dum legit arva Lupus, reperit caput arte superbum :
  Hoc beat humanis ars pretiosa genis.
Hoc Lupus alterno volvit pede; verba resolvit :
  O sine voce genæ, o sine mente caput!

Fuscat et extinguit cordis caligo nitorem
  Corporis; est animi solus in orbe nitor.

XXXV. — DE GRACULO ET PAVONE.

Graculus invento picti Pavonis amictu,
  Se polit, et socias ferre superbit aves.
Quem fore Pavonem Pavonis penna fatetur,
  Pavonum generi non timet esse comes.
Pavo dolum sentit; falsi Pavonis honorem
  Increpat, et domitam verbere nudat avem.
Nuda latet, sociosque fugit, minuique pudorem
  Sic putat : hunc diro corripit ore comes :

Ascensor nimius nimium ruit, aptus in imis
  Est locus; hæc levis est, illa ruina gravis.
Qui plus posse putat sua quam natura ministrat,
  Posse suum superans, se minus esse potest.
Si tibi nota satis naturæ meta fuisset,
  Nec vilis nec inops nec sine veste fores.

Cui sua non sapiunt, alieni sedulus auceps,
  Quod non est, rapiens, desinit esse quod est.

XXXVI. — DE MULA ET MUSCA.

Mula rapit cursum; nam Mulam mulio cogit.
  Mulæ Musca nocet, vulnere sive minis :
Cur pede sopito tempus currumque moraris?
  Te premo, te pungo; pessima, curre levis.
Mula refert : Quia magna tonas, vis magna videri.
  Nec tua facta nocent, nec tua verba mihi;
Nec te sustineo, sed eum, quem sustinet axis,
  Qui mea frena tenet, qui mea terga ferit.

Audet in audacem timidus, fortique minatur
  Debilis, audendi dum videt esse locum.

XXXVII. — DE MUSCA ET FORMICA.

Musca movens lites Formicam voce fatigat,
  Se titulis ornat turpiter ipsa suis :
Torpes mersa cavis, levitas mihi quæritur alis;
  Dat tibi fossa domum, nobilis aula mihi.
Deliciæ sunt grana tuæ, me regia nutrit
  Mensa; bibis fecem, sed bibo dulce merum.
Quod bibis, a limo sugis; mihi suggerit aurum,
  Quod bibo; saxa premis, regia terga premo.
Sede, cibis, potu, thalamo cum regibus utor,
  Reginæ teneris oscula figo genis.
Non minus urentes mittit Formica sagittas,
  Et sua non modicum spicula fellis habent :

Ludo mersa cavis; nescit tua penna quietem;
  Sunt mihi pauca satis, sunt tibi multa parum.
Me lætam videt esse cavus, te regia tristem.
  Plus mihi grana placent, quam tibi regis opes.
Venatur mihi farra labor, tibi fercula furtum;
  Hæc mihi pax mellit, toxicat illa timor.
Mundo farre fruor, tu fœdas omnia tactu;
  Cum nulli noceam, cuilibet ipsa noces.
Est mea parcendi speculum, tua vita nocendi.
  Sunt mea quæ carpo, non nisi rapta voras.
Ut comedas, vivis; comedo, ne vivere cessem.
  Me nihil infestat, te fugit omnis homo.
Unde petis vitam, rapitur tibi vita; palato
  Dulcia vina bibens, fel necis acre bibis.
Se negat ala tibi ventoso victa flabello;
  Aut nece vinciris, aut semiviva jaces.
Si potes æstivi dono durare favoris,
  Cetera si parcant, non tibi parcit hiems.

Dulcia pro dulci, pro turpi turpia reddi
  Verba solent; odium lingua fidemque parit.

XXXVIII. — DE LUPO ET VULPE.

Respondere Lupo de furti labe tenetur
  Vulpes; causa vocat : hic petit, illa negat.
Simius est judex; docti non errat acumen
  Judicis, arcanum mentis in ore legit.
Judicium fingit : Poscis quod poscere fraus est,
  Visque fidem de re, quam negat ipsa fides.
Tu bene furta negas, te vitæ purior usus
  Liberat; hanc litem pax domet, ira cadat.

Simplicitas veri, fraus estque puerpera falsi;
  Esse solent vitæ consona verba suæ.
Sordibus imbuti nequeunt dimittere sordes;
  Fallere qui didicit, fallere semper amat.

XXXIX. — DE VIRO ET MUSTELA.

Præda Viri, prædo murum, Mustela precatur :
Da veniam, debes parcere, parce mihi.
Quod caret hoste domus, quod abest a sorde, fatetur
Esse meum, pro me te rogat, ergo fave.
Servitio me redde tuo, mihi redde laborum
Præmia; pro dono sit mea vita mihi.
Ille refert : Operis debetur gratia menti,
Non operi; gratum mens bona reddit opus.
Nemo, licet prosit, nisi vult prodesse, meretur.
Non prodesse potest hostis, obesse volens.
Cum mihi prodesses, mihi non prodesse volebas;
Hostibus ipsa meis, et meus hostis eras.
Non mihi monstra necans, sed eras tibi provida soli;
Sic panem poteras rodere sola meum.
Pane meo pinguis, mihi da pinguedinis usum,
Damnis penso necem; digna perire, peri.

Nil decorat factum, nisi facti sola voluntas;
Non operis fructum, sed volo mentis opus.

XL. — DE BOVE ET RANA.

Æquari vult Rana Bovi, tumet ergo; tumenti
Natus ait : Cessa, præ Bove tota nihil.
Rana dolet, meliusque tumet; premit ille tumentem :
Vincere non poteris, victa crepare potes.
Tertius iratam vexat tumor; illa tumoris
Copia findit eam; viscera rupta patent.

Cum majore minor contendere desinat, et se
Consulat, et vires temperet ipse suas.

XLI. — DE LEONE ET SPINA.

Sollicitus prædæ currit Leo; spina Leonem
Vulnerat, offendit in pede mersa pedem.

Fit mora de cursu; levitas improvida lapsum
  Sæpe facit, læso stat pede turba pedum.
Vix ægrum sinit ire dolor, saniemque fatetur;
  Vulnus idem loquitur vulneris ipse dolor.
Cum læsit miseros fortuna, medetur eisdem :
  Hinc est cur medicum plaga Leonis habet.
Nam Leo Pastorem reperit Pastorque Leoni
  Pro dape præbet oves; respuit ille dapem.
Supplicat, et plagam tenso pede monstrat, et ejus
  Orat opem : Pastor vulnera solvit acu.
Exit cum sanie dolor, et res causa doloris;
  Hic blando medicam circuit ore manum.
Sospes abit, meritique notas in corde sigillat.
  Tempore deleri gratia firma nequit.
Hinc Leo vincla subit, Romanæ gloria prædæ
  Hunc habet, et multis miscet arena feris.
Ecce necis potum Pastori culpa propinat;
  Clauditur in mediis, et datur esca feris.
Hunc fera præsentit, petit hunc; timet ille, timenti
  Hæc fera blanditur; sperat, abitque timor.
Nil feritatis habens ludit fera, cauda resultat,
  Dum fera mansuescit, se negat esse feram.
Hunc tenet, hunc lingit, pensatque salute salutem;
  Nulla sinit fieri vulnera, nulla facit.
Roma stupet, parcitque viro parcitque Leoni :
  Hic redit in silvas, et redit ille domum.

Non debet meritum turpis delere vetustas;
  Accepti memores nos decet esse boni.

XLII. — DE LEONE ET EQUO.

Tondet Equus pratum : petit hunc Leo; causa Leonem
  Hæc movet, ut fiat esca Leonis Equus.
Inquit Equo : Mi Frater, ave, fruor arte medendi,
  Et comes et medicus sum tibi : paret Equus.

Sentit Equus fraudes, et fraudi fraude resistit;
  Mente prius texens retia fraudis, ait :
Quæsitus placidusque venis, te temporis offert
  Gratia, te rogitat pes mihi sente gravis.
Hic favet, instat Equo; subjecto in vertice calcem
  Imprimit, et sopit membra Leonis Equus.
Vix fugit ille sopor, vix audet vita reverti,
  Vix Leo colla movens respicit; hostis abest.
Sic Leo se damnat : Patior pro crimine pœnam;
  Nam gessi speciem pacis, et hostis eram.

Quod non es, non esse velis; quod es, esse fatere :
  Est male quod non est, qui negat esse quod est.

XLIII. — DE EQUO ET ASINO.

Gaudet Equus phaleris, freno sellaque superbit,
  Ista quidem vestit aureus arma decor.
Obstat Asellus Equo; vicus premit artus Asellum,
  Vexat onus, tardat natus eundo labor.
Quod sibi claudit iter, sonipes inclamat Asellum :
  Occurris domino, vilis Aselle, tuo.
Vix tibi do veniam de tanti crimine fastus;
  Cui via danda foret libera, dignus eram.
Subticet ille timens, mutusque pudore silendo
  Tutior et surda præterit aure minas.
Summus Equi declinat honor; dum vincere tentat,
  Vincitur, et cursum viscera rupta negant.
Privatur phaleris, freno sellaque nitente :
  Hunc premit assiduo rheda cruenta jugo;
Huic tergum macies acuit, labor ulcerat armos.
  Hunc videt, inque jocos audet Asellus iners :
Dic, sodes, ubi sella nitens, ubi nobile frenum?
  Cur est hæc macies, cur fugit ille nitor?
Cur manet hic gemitus, cur illa superbia fugit?
  Vindicat elatos justa ruina gradus.

Stare diu nec vis, nec honor, nec forma, nec ætas
Sufficit in mundo; plus tamen ista placent.
Vive diu, sed vive miser, sociosque minores
Disce pati : risum dat tua vita mihi.

Pennatis ne crede bonis; te nulla potestas
In miseros armet; nam miser esse potes.

XLIV. — DE QUADRUPEDIBUS ET AVIBUS.

Quadrupedes pugnant Avibus; victoria nutat.
Spes onerata metu vexat utrumque gregem.
Linquit Aves quæ sumit Avis de vespere nomen,
Nec timet oppositi castra juvare chori.
Armat Aves Aquilæ virtus, et viribus implet,
Et monitu; torpet altera turba metu.
Amplexatur Aves pennis victoria lætis;
Pro titulo pœnam transfuga sumit Avis.
Vellere nuda suo, pro plumis vulnera portat,
Edictumque subit, ne nisi nocte volet.

Non bonus est civis, qui præfert civibus hostem;
Utiliter servit nemo duobus heris.

XLV. — DE ACCIPITRE ET PHILOMELA.

Dum Philomela sedet, studium movet oris amœnum,
Sic sibi, sic nido visa placere suo.
Impetit Accipiter nidum; pro pignore mater
Supplicat; alter ait : Plus prece carmen amo.
Nec prece nec pretio, sed amœno flectere cantu
'Me potes. Ille silet, dulcius illa canit.
Mente gemit, licet ore canat, mens ejus acescit,
Cujus mellifluum manat ab ore melos.
Impia fatur avis : Sordet modus iste canorus,
Et laniat natum, matre vidente, suum.

Mater obit, nec obire potest; sed vivit, ut ipsam
  Vincat vita necem, plus nece cladis habens.
Cor matris patitur plus nati corpore; corpus
  Rodit avis rostro, cor fodit ense dolor.
Vestigat sua pœna scelus; nam fraudibus uso
  Aucupe, fraudosam viscus inescat avem.

Fine malo claudi semper mala vita meretur :
  Qua capit insontes, se dolus arte capit.

XLVI. — DE VULPE ET LUPO.

Ditat præda Lupum, ducit Lupus otia longa
  Facta cibo; Vulpes invidet, ista movet :
Frater, ave, miror cur tanto tempore mecum
  Non fueris; nequeo non memor esse tui.
Ille refert : Pro me vigilat tua cura, precari
  Numina non cessas, ne mea vita ruat.
Fraude tamen munita venis, falsoque venenum
  Melle tegis; dolor est copia nostra tibi.
Extorquere paras aliquid, furtumque minaris,
  Sed mea furtivam respuit esca gulam.
Spreta redit, spretam stimulat dolor, apta dolori
  Fraus subit, ad pecorum transvolat illa ducem.
Hunc monet his verbis : Tua gratia muneris instar
  Sit mihi; namque Lupum dat mea cura tibi.
Hostem perde tuum; tuto jacet hostis in antro.
  Vir favet, antra petit, et necat ense Lupum.
Ista Lupi consumit opes; sed floret ad horam
  Vita nocens. Vulpes casse retenta gemit :
Cur nocui? nocet ecce mihi nocuisse nocivo.
  Jure cado, cujus concidit arte Lupus.

Vivere de rapto vitam rapit : invidus, instans
  Alterius damnis, in sua damna ruit.

XLVII. — DE CERVO ET VENATORE.

Fons nitet argento similis; sitis arida Cervum
Huc rapit; haurit aquas, se speculatur aquis.
Hunc beat, hunc mulcet ramosæ gloria frontis;
Hunc premit, hunc lædit tibia macra pedum.
Ecce canes, tonat ira canum, timet ille, timenti
Fit fuga, culpati cruris adorat opem.
Claustra subit silvæ, cornu retinente moratur,
Crura neci rapiunt, cornua longa necant.

Spernere quod prosit, et amare quod obsit, ineptum est.
Quod fugimus prodest, et quod amamus obest.

XLVIII. — DE MILITE ET FEMINA.

Dum vir et uxor amant, uxorem privat amato
Parca viro, nec eam privat amore viri.
Conjugis amplectens tumulum, pro conjuge vexat
Ungue genas, oculos fletibus, ora sono.
Hanc juvat ipse dolor, nequit hac de sede revelli
Grandine, seu tenebris, seu prece, sive minis.
Ecce reum damnat judex; crux horrida punit,
In cruce custodit, tempore noctis, Eques.
Hic sitit, ad tumulum vocat hunc et clamor et ignis,
Orat aquæ munus; hæc dat, et ille bibit.
Ægrum nectareis audet cor tangere verbis,
Hunc vocat ad primum cura timoris opus;
Sed redit, et dulces monitus instillat amaro
Cordi; victa subit claustra doloris amor.
Vir metuens furtum furis, suspendia furis
Visit, sed viduam tactus amore petit.
Hanc ligat amplexu, fructumque ligurit amoris;
Hinc redit ad furem, sed loca fure carent.
Hic dolet, hoc questu dolor hic instigat amicam :
Non bene servato fure, timore premor.

Rex mihi servandum dederat, me regius ensis
  Terret, et extorrem me jubet esse timor.
Hæc ait : Inveni, quæ spem tibi suscitet, artem :
  Vir meus implebit in cruce furis onus.
Ista viri bustum reserat, pro fure catenat
  Ipsa virum, restem subligat ipsa viro.
Huic merito succumbit Eques; succumbit amori
  Illa novo, ligat hoc firmus amore thorus.

Solva premit vivosque metu pœnaque sepultos
  Femina; femineum nil bene finit opus.

Pro quatuor versibus extremis vetus editio Ulmensis exhibet hos, quorum ultimus ab editore Bipontino emendatus est.

Miles ait : Nostræ nostris successibus artes
  Non prosunt; aliud consule consilium.
Crinibus orbata furis frons nuda nitebat,
  Istiusque viri frons manet hirta comis.
Pallentis caput illa capit; frontemque sigillans
  Calvitie, manibus vellit et ore pilos.
Huic merito succumbit Eques; succumbit amori
  Illa novo, ligat hoc firmus amore thorus.

Jam veteri novus exstincto præfertur amori.
  Viva nihil fidi femina amoris habet.

XLIX. — DE THAIDE ET JUVENE.

Arte sua Thais Juvenes irretit, amorem
  Fingit, et ex ficto fructus amore venit.
A multis fert multa procis, ex omnibus unum
  Eligit, huic veri spondet amoris opes :
Sim tua, sisque meus, cupio : plus omnibus unum
  Te volo, sed nolo munus habere tuum.
Percipit ille dolos, et reddit qualia sumpsit :
  Sis mea, simque tuus, nos decet æquus amor.

Vivere non vellem, nisi mecum vivere velles.
Tu mihi sola salus, tu mihi sola quies.
Sed falli metuo, quia me tua lingua fefellit,
Præteriti ratio scire futura facit.
Vitat avis taxum, quam gustu teste probavit;
Fallere vult hodie, si qua fefellit heri.

Thaida si quis amat, sua, non se, credat amari.
Thais amore caret, munus amantis amat.

L. — DE PATRE ET FILIO.

Est pater, huic natus : hic patri credere nescit,
Nam facienda fugit, et fugienda facit.
Mens vaga discurrit, et menti consonat ætas;
Mentis et ætatis turbine frena fugit.
Ira senis punit pro nati crimine servos,
Instruit ista senem fabula nota seni.
Cauta Bovem Vitulumque manus supponit aratro;
Hic subit, ille jugum pellit; Arator ait :
Gaude, lætus ara, tu quem domat usus arandi;
A Bove majore discat arare minor.
Non placet, ut sudes, sed des exempla minori,
Qui pede, qui cornu pugnat abire jugo.
Sic domat indomitum domito Bove cautus Arator,
Sic veterem sequitur junior ille Bovem.

Proficit exemplo tanto cautela docendi,
Majorique minor credat in arte sua.

LI. — DE VIPERA ET LIMA.

Vipera fabrilem, dapis anxia, tendit in ædem;
Incipit hæc Limam rodere, Lima loqui :
Nescis posse meum, quæ sit mea gloria, nescis,
Dente meo pateris, non ego dente tuo.

In tenuem ferrum forti molo dente farinam,
Et cadit attritu dura farina meo.
Ferrea præsenti castigo tubera morsu,
Aspera plano, seco longa, foranda foro.
Deliras igitur, cum ferior; vulnera ferre gemis;
Rideo, cum ferior; vulnera ferre gemis.

Fortem fortis amat; nam fortem fortior angit.
Majori metuat obvius ire minor.

LII. — DE LUPIS ET OVIBUS.

Pugna Lupis opponit Oves, Oviumque satelles
Est Canis, est Vervex; hac ope fidit Ovis.
Palma diu dormit, desperat turba Luporum,
Et, simulans fœdus, fœdere tentat Ovem.
Fœdus utrumque fides jurato numine fulcit,
Id Lupus, id simplex obside firmat Ovis;
Datque Lupis male sana Canem, recipitque Luporum
Pignora; nec metuit, nec sua damna videt.
Dum natura jubet natos ululare lupinos,
Turba lupina furit, fœdera rupta querens.
Ergo pecus tutoris egens in viscera mergit;
Præside nuda suo sic tumulatur Ovis.

Tutorem retinere suum tutissima res est;
Nam si tutor abest, hostis obesse potest.

LIII. — DE HOMINE ET SECURI.

Quo teneatur, eget nil ausa secare securis.
Armet eam Lucus, Vir rogat; ille favet.
Vir nemus impugnat, lassans in cæde securim;
Arboris omne genus una ruina trahit.
Lucus ait : Pereo, mihimet sum causa pericli;
Me necat ex dono rustica dextra meo.

Unde perire queas, hostem munire cavebis;
Qui dat quo pereat, quem juvat hoste perit.

LIV. — DE LUPO ET CANE.

Cum Cane silva Lupum sociat. Lupus inquit : Amice,
Pelle nites, in te copia pulchra patet.
Pro verbis dat verba Canis : Me ditat herilis
Gratia, cum domino me cibat ipsa domus.
Nocte vigil fures latratu nuntio, tutam
Servo domum; mihi dat culmus in æde thorum.
Hæc movet ore Lupus : Cupio me vivere tecum,
Communem capiant otia nostra cibum.
Reddit verba Canis : Cupio te vivere mecum,
Una dabit nobis mensa manusque cibum.
Ille favet, sequiturque Canem, gutturque caninum
Respicit, et quærit : Cur cecidere pili?
Inquit : Ne valeam morsu peccare diurno,
Vincla diurna fero, nocte jubente vagor.
Verba Lupus reddit : Non est mihi copia tanti,
Ut fieri servus ventris amore velim.
Ditior est liber mendicus divite servo.
Servus habet nec se, nec sua; liber habet.
Libertas, prædulce bonum, bona cetera condit;
Qua nisi conditur, nil sapit esca mihi.
Libertas animi cibus est, et vera voluptas;
Qua qui dives erit, ditior esse nequit.
Nolo velle meam pro turpi vendere lucro;
Has qui vendit opes, hic agit ut sit inops.

Non bene pro toto libertas venditur auro;
Hoc cœleste bonum præterit orbis opes.

LV. — DE VENTRE ET CETERIS MEMBRIS.

Incusant avidi Pes et Manus otia Ventris :
Omnia solus habes lucra, labore carens.
Nos labor edomuit; te fovit inertia, sorbes
Omnia, quæ nostri cura laboris emit.

Disce pati famis acre jugum, vel disce labori
Cedere, teque tui cura laboris alat.
Sic Ventri servire negant : se Venter inanem
Comperit, orat opem, nil dat avara Manus.
Ille preces iterat; iterum fugit illa precantem.
In stomachi fundo torpet, obitque calor;
Victa fame natura fugit, vis arida fauces
Obserat, et solitum non sinit ire cibum.
Vult epulas dare sera Manus : sed corporis ægri
Perdita non reparans machina tota perit.

Nemo sibi satis est; eget omnis amicus amico.
Si non vis aliis parcere, parce tibi.

LVI. — DE SIMIA ET VULPE.

Simia de turpi queritur nate; porrigit aurem
Vulpes, non recipit mente, sed aure, preces.
Simia sic fatur : Natis ut mihi dedecus ornem,
Sufficeret caudæ pars mihi parva tuæ.
Quid prodest nimia campos insculpere cauda?
Quod mihi prodesset, est tibi pondus iners.
Illa refert : Nimio damnas de pondere caudam;
Est brevis estque levis; hæc duo damna queror.
Malo verrat humum, quam sit tibi causa decoris,
Quam tegat immundas res bene munda nates.

Id nimium nimioque magis ditaret egenum,
Quod minimum minimo credis, avare, minus.

LVII. — DE INSTITORE ET ASELLO.

Dum fora festinus lucro petit, instat Asello
Institor, et pressum pondere fuste premit.
Ille necem sperat, nece promittente quietem,
Sed nece completa, vivere pœna potest.
Nam cribella facit et tympana pellis Aselli,
Hic lassatur, et hæc pulsa tonante manu.

Cui sua vita nocet, caveat sibi rumpere vitam;
Non nece, sed meriti jure, quiescit homo.

LVIII. — DE CERVO.

Motus voce cânum Cervus fugit, avia silvæ
Deserit, arva tenet, claustra bovina subit.
Bos ait : Aut luci tenebras, aut æquora campi
Tutius intrares, hinc piger, inde levis.
Huc veniet custosque Boum, stabulique magister;
Si duo, vel tantum te videt alter, obis.
Cervus ait : Mihi vestra necem clementia demat.
Credite me latebris, dum juvet umbra fugam.
Hunc tumulant fœno. Præsepe revisit arator,
Frondibus et fœno munit alitque Boves.
Hic abit, ac Cervus, vitasse pericula gaudens,
Bobus agit grates; e quibus unus ait :
Est leve vitare cæcum; si venerit Argus,
Argum si poteris fallere, victor eris.
Centum fert oculos, cui se debere fatentur
Et domus et servi totaque jura loci.
Res tua te reperit Argum, res altera cæcum.
Qui tibi dormitat, scit vigilare sibi.
Hic silet. Argus init stabulum, Bobusque ministrat;
Plus æquo tenues viderat esse Boves.
Dum munit præsepe cibo, dum fulgurat ira,
Ausa videre diem cornua longa videt.
Quid latet hic? quid, ait, video? sentitque latentem,
Et bona fortunæ munera lætus habet.

Exsulis est non esse suum, vigilare potentis,
Stertere servorum, velle juvare pii.

LIX. — DE JUDÆO ET PINCERNA.

Fert Judæus opes; sed onus fert pectore majus :
Intus adurit eum cura laborque foris.

Ergo metu damni, sibi munere regis amorem
  Firmat, ut accepto produce tutus eat.
Regius hunc Pincerna tegit, cor cujus adurit
  Auri dira fames, qui parat ense nefas.
Silva patet, subeunt. Judæus in ore sequentis
  Cor notat. Ipse sequar, inquit At ille negat,
Et gladium nudans : Nemo sciet, inquit, obito!
  Ille refert : Scelus hoc ista loquetur avis.
Prosilit a dumo Perdix; hanc indice signat.
  Alter ait : Scelus hoc ista loquetur avis?
Et rapit ense caput, et opes metit, et scrobe funus
  Celat; agit celeres annus in orbe rotas.
Perdices domini cœnæ Pincerna ministrat,
  Ridet, et a risu vix vacat ipse suo.
Rex audire cupit : hic differt dicere causam.
  Fit locus, ambo sedent; hic movet, ille refert.
Rex dolet, et læto mentitur gaudia vultu;
  Regis concilium consiliumque sedet.
Pincernam crucis esse reum sententia prodit.
  Crux punit meritum, jure favente cruci.

Ut perimas quemquam, nullum tibi suadeat aurum;
  Nam decus et vitam mœsta rapina rapit.

LX. — DE CIVE ET MILITE.

Civis, Eques sub rege vigent : hic prælia regis,
  Hic dispensat opes; hic vir et ille senex.
Invidiæ, perflata genas, ignita doloris
  Flammis, fax juvenem torret honore senis.
Regis in aure truces figit de Cive querelas :
  Est tibi non pastor, sed lupus iste senex.
Ditant furta senem, crevit sua copia furtis,
  Et sua de censu gaza recisa tuo est.
Firmabo mea verba manu; sua furta fateri
  Hunc faciam : bello judice verus ero.

Cum moveant objecta senem, plus debilis ætas
  Hunc movet, ac senii crimine visus hebes.
Parcunt jura seni, si pro sene pugnat amicus,
  Cui nullius amor fenoris arma probat.
Mendicat pugilem; sed abest qui pugnet amicus,
  Nam refugit viso turbine falsus amor.
Dum fortuna tonat, fugitivos terret amicos,
  Et quis amet, quis non, sola procella docet.
Cœna trahit Civem, differt nox una duellum;
  Sollicitat mensam justa querela senis :
Quos meritis emi, multos mihi fecit amicos
  Longa dies, cunctos abstulit hora brevis.
De tot amicorum populo non restitit unus,
  Quamque dedi multis, nemo repensat opem.
Rebar pace frui : mea paci congruit ætas;
  Sed mea turbavit gaudia livor edax.
Hosti multa meo palmam pepigere; tepesco,
  Ille calet; careo viribus, ille viget.
Arma parum novi, se totum præbuit armis;
  Est mihi visus hebes, visus acutus ei.
Nil mihi spondet opem, nisi justæ gratia causæ;
  De fragili queritur præside causa potens.
Corporis eclipsim timet alti copia cordis;
  Nam fragili peccat mens animosa manu.
Si turpes nitidæ mendax infamia famæ
  Infigit maculas, quid nituisse juvat?
Desperat, lugetque senex; hunc lenit Arator,
  Qui senis arva colit, annua lucra ferens :
Me stimulat pietas pro te perferre duellum;
  Est mihi pro domino dextra parata meo.
Ecce dies oritur, locus est tempusque duelli;
  Stant pugiles : ineunt mente, manuque simul.
Est Equiti fœdum, quod stet, qui pugnet, Arator,
  Seque putat victum, ni cito vincat Eques.
Nil de se retinet virtus oblita futuri,
  Dextera corporeas prodiga fundit opes.

Ictus ipse suos steriles expendit in usus,
Et feriens hostem se magis hoste ferit.
Sed propriæ virtutis opes abscondit Arator,
Dum locus expensæ detur et hora suæ.
Aut motu fallit, aut armis temperat ictus,
Prædicitque minas frontis utrumque jubar.
Dormitans vigilat, et cessans cogitat ictus,
Et metuens audet dextra notatque locum.
Hæc mora non artis ratio, sed causa timoris
Creditur; arte fruens esse videtur iners.
Gaudet Eques, vicisse putans, spernitque Bubulcum,
Sudoremque suum tergit ab ore suo.
Ecce moram nescit; Equitem speculata morantem
In cubiti nodum rustica clava ferit.
Hujus plaga loci totius corporis aufert
Robur; cedit Eques, seque cadente sedet.
O nova simplicitas! sedet iste, vocatque sedentem,
Et nisi surgat Eques, surgere velle negat :
Surge, Bubulcus ait. Cui Miles : Surgere nolo.
Alter ait : Sedeas, meque sedere licet.
Turba stupet; Præfectus adest, Equitique moranti
Imperat, ut pugnet, aut superatus eat.
Hæret Eques. Præfectus ait : Te vicit Arator.
Pugna cadit. Regi panditur ordo rei.
Rex ait : Incisum renova, Præfecte, duellum.
Dedecus explanet ille, vel ille suum.
Pugna redit, Milesque sedet, velut ante sedebat.
Surge, Bubulcus ait. Non volo, Miles ait.
Cultor ait : Dum stare negas, ego stare recuso.
Surgere si tentas, surgere promptus ero.
Ambo sedent, ridet populus, præsesque Bubulco
Intonat : Aut pugnes, aut fuge; tempus abit.
Cultor ait : Surgat; caderet, si surgere vellet.
Percute, Præses ait, percute, surget Eques;

Te decet aut illum victi sibi ponere nomen.
Hoc mihi non ponam nomen, Arator ait.
Surgo, surge, miser; nam turpe ferire sedentem
Est mihi, fitque tibi turpe sedendo mori.
Sic ait, et timidum mulcat; rogat iste furentem :
Parce mihi victo, supplico; victor abi.
Læta novat fortuna senem; senis unicus heres
Scribitur, et dignas intrat Arator opes.

Jus superat vires, sors aspera monstrat amicum.
Plus confert odio gratia, fraude fides.

Fine sui, versu gemino, quod continet omnis
Fabula declarat, datque quod intus habet.

APPENDIX

FABULARUM VERSIBUS ELEGIACIS COMPOSITARUM, QUÆ IN GUALTERI VETERIBUS MANUSCRIPTIS ET PRISTINIS EDITIONIBUS REPERTÆ SUNT (1).

I. — DE CAPONE ET ACCIPITRE.

Quærere diffugium, domino veniente, Caponem
Audax Accipiter dum videt, inquit ei :
Quid fugis? Exsulta, dominum quum cernis adesse,
Cujus in adventu plaudere nitor ego.
Me, Capo respondit, fratrum diversa meorum
Terret pœna; tibi non timor ullus adest.
Nil magis horrendum, quam flebilis aula tyranni,
Qua pietas omnis cum ratione perit.
Raptores famulique truces scelerumque ministri
Injustis dominis impietate placent.
Qui sine vi, sine fraude manent, hi fraude necantur;
Nullo damnantur crimine sæpe boni.

(1) In hujus Appendicis notis, litteræ B. N. Gallicæ nationis Bibliothecam B. M. Museum Britannicum et B. Bibliothecam Burgundicam indicant.

Sic fratres periere mei. Te reddit amicum
  Impietas domino nequitiæque vigor.
Hi proprias lavere stolas in sanguine; passos
  Martyrium sepelit venter avarus eos.
Illius ergo timens adspectum credo latere
  Tutius, ut morti me rapuisse queam.

Non amat insontes, sed sontes aula tyranni;
  Complacet injusto raptor iniquus hero.

II. — DE LUPO ET PASTORE.

Cum Pastore Lupus sociabile fœdus inivit,
  Interius totus dissociatus ei.
Ergo dolum sub melle tenens Lupus inquit : Amice,
  Sum pavidus crebra garrulitate Canis.
Ille suo nostrum latratu scindit amorem,
  Ille bonum pacis dissociare petit.
Si me securum, si me vis reddere tutum,
  Obses tutelæ sit datus ille mihi.
Exhibito vigili, Lupus intrat tutus ovile,
  Dilanians miseras opilionis Oves.

Pacis amatorem simulat se perfidus hostis,
  Cautius ut vulnus exitiale ferat.
Cujus semper eges, rem nulli tradere debes.
  Blanditiæ plus quam dira venena nocent.

III. — DE MERCATORE ET EJUS UXORE.

Absenti figit dum cornua Sponsa marito,
  De mœcho puerum mœcha proterva parit.
En vir, ecce puer : stupet hic sine semine natum.
  De nive conceptus fingitur esse puer.
Mutua fraus; Sponsus, dum suffert dedecus istud,
  In Sponsam cauti fabricat arma doli :
Lux mea, deducam puerum; mercator et hæres
  Noster erit. Ficta gaudia vultus habet.

Hic abit, illa manet : hic vendit, adultera conjux
  Quem peperit subito de nive facta parens.
Rebus ab augendis idem post multa reversus,
  Ridiculum Sponsæ narrat in aure suæ :
Dum fuit in prora, violenta potentia solis
  Deprendit puerum ; sic liquefecit eum.
Parce tuo capiti, lacrimas compesce : liquescit
  De nive conceptum, quicquid ubique patet.

Hoc quia præmittit rationis calculus omnis,
  Fallere fallentem suspicor esse pium.

IV. — DE RUSTICO ET PLUTONE.

Dum timet Agricola se debita solvere morti,
  Exhalans ventus podice purgat eum.
Hanc rapiens Dæmon animam se credit habere ;
  Currit ad inferni pestifer ille loca.
Cujus in introitu socii fetore premuntur ;
  Vix etiam nares complice veste tegunt.
Hoc cito Pluto decretum præcipit : omnis
  Rusticus ut maneat Ditis ab æde procul.

Sit procul antiqua jam rusticus omnis ab urbe,
  Quem sibi consortem Tartara sæva negant.

V. — DE CORNICE ET HIRUNDINE.

Cum Cornice habuit quondam certamen Hirundo,
  Corporis ante iret dotibus utra magis.
Altera dulcisonos veris jactavit amores,
  Altera Phœnici par prope corpus avi.

Forma bonum fragile est, morboque fugatur et annis ;
  Sola decent veros corpora firma viros.

VI. — DE COCO ET CANE COR RAPIENTE.

Forte Cocus cœnæ dum pulmentaria condit,
  Gluto Canis Vituli cor cito dente rapit.

Quod Cocus ut sensit, properantem exire culina
  His sequitur verbis ore fremente Canem :
Raptor, abi ; doctus posthac tua furta cavebo,
  Cum mihi cor dederis, dum mihi corda rapis.

Sic homini quando sæpe infortunia prosunt,
  Ipsaque sic cautis culpa magistra viris.

VII. — DE AVIBUS ET PAVONE.

Consilium capiunt volucres de rege creando,
  Penniger cœtus qui tueatur opes.
Tum Junonis ait pennis stellantibus ales :
  Vindicat excellens hoc mea forma decus.
Cui sermone cato respondens Graculus infit :
  Tune avium, imbellis, regia sceptra feras?
Si Jovis armigeram libeat vexare volucrem,
  Tune Aquilæ tantam vim cohibere pares?

Corporis ante stat formam prudentia mentis,
  Visque animi magnos tollit in astra duces.

VIII. — DE LUPO ET MUTONE.

Morbi mole Lupus premitur Superosque precatur,
  Ut sibi non sano subsidiare velint.
Curritur in vota lacrimis fluvialibus ortis,
  Ac esum carnis devovet inde Lupus.
Obvius (1) ecce Lupo Vervex ipsumque salutat.
  Cui Lupus inquit : Ave, Salmoque (2) pinguis, ave.
Non sum, mi domine, Salmo, sed fertilis Agnus;
  Nam mea progenies non bene natat aquis.
Cui Lupus obliquis oculis : Mihi Salmo videris.
  Tanquam Salmonem furcifer (3) ore vorat.

Quisquis obesse cupit fraudis convicta (4) ministrat :
  Tendit ad infern[os] (5) vita dolosa gradus.

(1) Ms. B. N. : Obvia ; Ms. B. M. et Ms. B. : Obviat. — (2) Ms. B. N. : *Verbum* salutat *et sequentia desunt*. — (3) Ms. B. N. : fulsifer. — (4) Ms. B. N. : fraudis convincta. Ms. B. M. : fraude convicta. — (5) Ms. B. N., Ms. B. M., Ms. B. : inferna.

IX. — DE NISO ET COLUMBA.

Æthera circumdante Niso leviterque volante (1),
Pullus adest, genuit huncque Columba sibi.
Dogmata neglexit fœtus (2) retinere parentum;
Orto mane (3) carens compare, solus erat.
Præcipitavit enim Nisus (4) hunc pedibusque terebat.
Obstupuit Pullus, ut foret esus avi.
Pullus ait, mansueto loquens : Avis (5) inclyta, pulchra,
Ætati parcas, obsecro, parce mihi.
Ungues, infixi plumis, sunt causa timoris.
Nobilis es : nunquam degenerare velis.
Nobilitas pennata nitet tibi corpore toto.
Justa mihi, dulcis, et pia causa favet.
Diluvium magnum volucres olim sociavit;
Optatam (6) pacem ramus in ore tulit (7);
Spiritui sancto placuit mea grata figura;
Est Regina poli nomine grata meo.
Te pietas animet, dulcissime, parce precanti :
Spondeo de pullis munus habere meis.
Humanæ leges arrident simplicitati :
Dulcis ad hoc species, nostraque nomen habet (8).
Non vernacula, sed nummis est (9) empta magistri
Mater, et in te jam (10) jura fovere (11) parat
Frater : oportebit Aquilæque subire tribunal.
Juribus insudans (12) te tribulabit herus.
Sparsit amicitias dominus cum judice tanto :
Quem favor annectit (13) judicis umbra nocet.

(1) Ms. B. N. : circumdante insolemterque volanti. Ms. B. M. : circumdanti Niso leviterque volente. — (2) Ms. B. N. : fecus. Ms. B. M. : fletus. — (3) Ms. B. N. : Orco lete. Ms. B. M. et Ms. B. : Orto lete. — (4) Ms. B. N. : Visus. — (5) Ms. B. N. : Aves. — (6) Ms. B. N. et Ms. B. M. : obtatam. — (7) Ms. B. N. : ramis in ore tuli. — (8) Ms. B. N. : habent. — (9) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. : Non est vernacula, sed nummis. — (10) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. : et adversus te. — (11) Ms. B. N. : fove. — (12) Ms. B. N. : insudens. — (13) Ms. B. N. : annecti.

Munera sumpta ligant, subvertunt munera sumpta :
  Declinat do, des, judice tutus herus.
His (1) Nisus auditis infigit cruribus ungues (2).
  Amplexatur eam subpedicando (3) celer :
Nil tibi proficiant oblectamenta (4) loquacis (5)
  Linguæ ; quod dominus contulit (6), assit, ait.
Non facit (7) injuriam proprio qui (8) jure juvatur.
  Sum prædalis avis : vivore præda mihi.
Stultitiam nequeo teneris quam suscipis annis
  Dissimulare tuam ; quæ luis ipsa (9) bibe :
Ordine servato sic conformatur amori
  Verus amor ; se prædiligat omnis homo.
Ad præsens ova cras pullis sunt meliora :
  Pollicitis nemo ditior esse potest.
Spes quæ differtur, animas affligit et urit :
  Stultorum numerum verba polita beant.
Non timeo justa mihi suffragante querela :
  Vitam demo tibi ; gaudeo jure meo.
Impedimenta solent crebro mediare propinqua :
  Non bene se sebat (10), cui patet anus hians (11).
Ecce studendo magister adest lucente fenestra ;
  Esse Nisum Milvum (12), rem speculando, putat.
Diruit (13) hic bellum fugat atque Nisum pedicando (14).
  Rursus adest, Pullum (15) rursus obumbrat avis.
Presbiter accurrit, capit alitem in æde (16) retentum ;
  Compedibus (17) capitur, libera, suavis avis.

(1) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. : Hiis. -- (2) Ms. B. N. : ungeies. — (3) Ms. B. N. et Ms. B. : supedicando.— (4) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. : obletamenta. — (5) Ms. B. N. et Ms. B. : loquatis.— (6) Ms. B. N. : contilit.— (7) Ms. B. M. : fecit.— (8) Ms. B. M. : quæ.— (9) Ms. B. N. : propria. — (10) Ms. B. M. : celat. — (11) Ms. B. M. : hyams. — (12) Ms. B. N. : millium. Ms. B. : milium. — (13) Ms. B. N. : Dum nil. Ms. B. M. et Ms. B. : Durimit.— (14) Ms. B. N. : Visum prædicando. Ms. B. M. : Nisum prædicando. — (15) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. : Pullium. — (16) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. ; alitem capit æde. -- (17) Ms. B. N. : Compidibus.

Prædando dominus, nusquam prendendo (1), dolebit :
Sit sic (2) asseritur traditione patrum.
Accumulanda malis non sunt mala mente sagaci ;
Sollerter videat, ne fluitando cadat.
Dicitur ille sagax quicumque pericla secunda
Cautius evadit, quemque pericla decent.
Felix quem faciunt aliena pericula cautum (3)!
Quæ memorata placent prisca, futura docent.

X. — DE MURIBUS : CONCILIUM CONTRA CATUM.

Concilium fecere diu Mures (4) animati ;
Pervenit rapido (5) magna querela Cato :
Murilegus (6) nos sæpe legit comeditque legendo.
Cum nostris natis sic simus esca sibi.
Omnes conveniunt detur campanula furi.
Sic improvisus non erit interitus.
Concio tota probat sanctum, laudabile dictum.
Nil fit et abscedit (7) garrula tota cohors.
Ecce vetusta (8), sagax, venit obvia claudica consors,
Quæ cito non potuit accelerare pedem.
Dicite, felices, quæ sit concordia vestra (9) ?
Inserit ex gestis omnia rebus acus (10).
Arguit has veterana loquax (11) quis forte ligabit
Sedulitate sua tympana dicta Cato.
Quærunt qua faciant (12) concepta medullitus (13) arte
Non est quæ faciat præmedicata (14) sagax.

Nil prodesset enim sensato condere jura,
Constanti vultu ni tueretur (15) ea.

(1) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. : predendo.— (2) Ms. B.M. et Ms.B. : Sic sic. — (3) Ms. B. N. : aliera pericula tantum. — (4) Ms. B. N. et Ms. B. : Consilium fecere diu Mure. —(5) Ms. B.M. : e rapido.— (6) Ms. B. M. : Muti legus.— (7) Ms. B. N. : absedit.— (8) Ms. B. N. : ventusta.— (9) Ms. B. N. : nostra.— (10) Ms. B. N. et Ms. B. : filiis actus. Ms. B. M. : filus acus.— (11) Ms. B. N. : loquas. — (12) Ms. B. M. et Ms. B. : facient. — (13) Ms. B. M. : medullatus. — (14) Ms. B. M. : prædicamenta. Ms. B. : præmeditata. — (15) Ms. B. N. et Ms. B. M. : intueretur.

Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus ;
Nil prodest abs re magna futura loqui.

XI. — DE GALLO ET MURE.

Mus genuit Murem ; dogmatizavit eumdem :
Filia pulchra mihi, dogmata disce patris :
Cum procul exieris lusura foramine (1) nostro,
Occurrente tibi milite fide (2) probo.
Miles adest, Gallus, armatus cuspide, rostro ;
Orans in cinere palpitat (3) ipse Catus.
Sis secura : tibi non sit formidine miles ;
Subdolus, hypocrita, te vorat ipse Catus.

Hypocritis (4) adhibenda fides non est neque fictis (5).
Justis mellita verbula sæpe nocent.
Dissimulare student conceptum mente venenum,
Duplicibus (6) verba sæpe venena fovent.

XII. — DE RUSTICA ET JUVENCA.

Rustica nutrivit sibi Vaccam tempore longo,
De cujus fovit femina lacte domum.
Sanctus ei (7) propriis aderat, quem (8) sæpe rogabat,
Fiat ut incolumis pulchra Juvenca sibi.
Omnibus hæc sanctis Vitulam commendat, ut ipsam
Custodire velint : fit cibus ipsa Lupo.

Instruit exemplum communia sæpe neglecta ;
Auribus erectis propria namque sonant.
Corditus ut propria curantur non aliena,
Corda peritorum propria sæpe movent.
Est convertendum (9) sanctorum semper ad unum,
Job patiens veluti clamitat ore suo.

(1) Ms. B. N. : luxura foramina. Ms. B. M. et Ms. B. : lusura foramina. — (2) Ms. B. N. et Ms. B. : ficte. Ms. B. M. : ficta. — (3) Ms. B. N., Ms. B. M. et Ms. B. : balbitat. — (4) Ms. B. N. : Hypocritus. — (5) Ms. B. N. et Ms. B. : ficus. — (6) Ms. B. M. : Dupplicibus. — (7) Ms. B. M. : et. — (8) Ms. B. M. : quam. — (9) Ms. B. M. : convertandum.

XIII. — DE MIMO NUPTIALI DIRECTO PER LITERAS AD ROBAM HABENDAM.

Impetit ecce fores præbendati Joculator (1);
Clavigerum (2) credens flagitat ausus herum.
Accedit (3) Dominus flagrans : oloserica (4) vestis
Alterius fallit (5) tergula jamque mimi.
Promissam domini vestem fueram stipulatus (6);
Ex hac non fient turgida (7) dorsa mihi.

Non cognoscuntur homines pro veste lutosa,
Non habitus monachum, sed pia vita facit.
Dissimulare statum quandoque peritia magna est :
Uti cautelis sic aliquando juvat.

XIV. — DE LEONE ET VULPE (8).

Languorem simulans Leo decubat; inscia fraudis
Ad regem properat subdita turba suum;
Dumque parant ægro solatia, perfida prædam
Vis agit et tacite cædis in arma ruit.
Præ fore stat Vulpes. Leo cur non ingrediatur
Quærit. Quærenti talibus usa [refert] :
Da veniam, quia me terrent vestigia, quæ te
Adversum spectant omnia, nulla retro.
Bellua multorum caput es. Sed cur, precor, horum
Nullum quod cepit hospitis aula redit?

Proderit ergo magis fictis non credere verbis
Quam caput ecce tuum tam cumulet capita.
Sæpe potens inopem in fraude capit, sapientem
Callidus excepit; sæpe fides nocuit.

(1) Ms. B. N. : Jocullator. — (2) Ms. B. N. : Clavigerom. Ms. B. M. : Claviger. — (3) Ms. B. N. et Ms. B. M. : Accedat. — (4) Ms. B. N. : oloberita. Ms. B. M. : oloberica. — (5) Ms. B. N. : falerat. Ms. B. M. : fallerat. — (6) Ms. B. N. : stiplautus. Ms. B.M. : stiplatus. — (7) Ms. B. M. : curgida.— (8) Fabula ex Trevirensi codice ms. 93 nunc primum edita.

GUALTERIANÆ FABULÆ,

EX ELEGIACIS
VERSIBUS IN SOLUTAM ORATIONEM MEDIO ÆVO REDUCTÆ,
ET SECUNDUM GALLICÆ
NATIONIS BIBLIOTHECÆ CODICEM MANUSCRIPTUM 14961
NUNC PRIMUM IN LUCEM PROLATÆ.

(Fol. 31 *a*.) — I. — DE GALLO ET JASPIDE.

Gallus, quærens escam in fimo, invenit jaspidem. Ait : O, quam pretiosa, quam pulchra, quam nitida es! O, si te invenerit qui te desiderat, quam avide te hauriret, tergeret et poliret! Sed mihi nihil sapis, mihi nec plus sapiunt meliora, et ita dimisso jaspide posuit rostrum in stercore.

Sic sunt multi qui dicunt de virtutibus, moribus et similibus : O, quam pulchra, quam pretiosa sunt talia! Et tamen, quia ipsis non sapiunt, amissis istis ponunt rostrum in stercoribus luxuriæ et aliorum peccatorum.

II. — DE LUPO ET AGNO.

Agnus et Lupus bibebant ad rivum, in quo Lupus superius et Agnus inferius. Tunc Lupus stomacatus adversum Agnum dixit : Cur mihi potum sub(s)trahis et aquam turbas? Cui Agnus : Domine, non sub(s)traho potum, quia mihi et nobis (h)abundat rivus, nec aquam turbo, quia sum inferius. Cui Lupus : Quid loqueris? Mihi minaris. Bene patrizas. Sic enim fecit mihi pater tuus sex mensibus elapsis, et sicut punivi eum, sic bene potero te punire. Tunc Agnus : Domine, non vixi tanto tempore, et quomodo pater meus fuit? Tum Lupus iratus devoravit eum.

Sic nocet innocuo nocuus, causamque nocendi
Invenit. Hi(i) regnant qualibet urbe Lupi.

III. — DE MURE ET RANA.

Cum esset Mus juxta lacum, et vellet transire nec posset, venit ad eum Rana, et, promittens ei opem, nocere cogitabat.

Omne genus pestis servat mens dissona verbis.

Cum ergo Mus cederet Ranæ, Rana ligavit filo pedem suum cum pede Muris, et trahens ipsum in aquam, nitebatur mergere, ut secum Murem mergeret. Mure vero reluctante et nante, ecce Milvus vidit eos natantes et luctantes, rapiensque eos utrum voravit.

Sic pereant, qui se prodesse fatentur, et obsunt.
Discat in auctorem pœna redire suum.

IV. — DE CANE ET OVE.

Canis traxit in causam coram judice Ovem et petiit ab ea panem suum, quem ei tradiderat, ut mentiebatur. Ove vero negante assunt Milvus, Vultur et Lupus, pro Cane et contra Ovem falsi testes. Judex igitur videns testes, condempnavit Ovem ad reddendum debitum. Ipsa igitur injuste condempnata, non habens unde solveret, licet instaret hiemps, vendidit vellus suum et sic nuda remansit.

Sæpe fidem falso mendicat in(h)ertia teste,
Sæpe dolet pietas criminis arte capi.

V. — DE CANE ET OSSE.

Cum iret Canis super ripam aquæ, vidit umbram ossis, quod in ore gerebat, in aqua, et credens verum os esse voluit illud accipere. Cum aperiret os ad accipiendum, cecidit illud quod habebat in aquam, et sic utrumque amisit.

Non igitur debent pro vanis certa relinqui.
Non sua si quis avet, mox caret ipse suis.

VI. — DE CAPRA, LEONE, JUVENCA ET OVE.

Capra, Leo, Juvenca et Ovis associaverunt se ad fortunam inveniendam. Invento cervo, voluit quisque partem habere.

Tunc dixit Leo : Habebo primam partem, quia primus honor debetur mihi, et quia sum etiam fortior, debeo habere alteram. Quia vero magis laboravi ad inveniendam, habebo tertiam partem. Nisi autem quarta pars sit mea, pugnabo pro ea, et ita solus habuit quod commune erat.

Ne societ fragilis fortem, vult fabula præsens;
Nam fragili fidus nesciet esse potens.

VII. — DE LUPO ET GRUE.

Lupus, habens os transversum in gutture et quærens quis eum a tanto dolore posset sanare, multa promittens, tandem invenit Gruem, quæ cum rostro suo long(u)o os removit, et mercedem petiit. Cui Lupus : Nonne (fol. 31 *b*) (nonne) potui tibi succindere collum, dum posuisti illud in gutture meo?

Non prodest prodesse malis : mens prava malorum
Immemor accepti non timet esse boni.

VIII. — DE DUOBUS CANIBUS.

Quædam Canis parturiens, præ nimio dolore gravata, rogare cœpit alteram Canem ut se dimitteret intrare domum. Canis vero, mota propter partum, dimisit intrare, et exivit. Partu igitur edito, rediit Canis, et petiit sibi reddi domum. Sed nonquam obtinuit.

Non satis est tutum mellitis credere verbis;
Ex hoc melle solet pestis amara sequi.

IX. — DE HOMINE QUI POSUIT COLUBRUM IN SINU SUO.

Quidam Homo, videns in hyeme Colubrum algentem, miseratus ejus portavit eum in sinu suo ad domum suam. Cum calefaceret Coluber, cœpit virus expendere domumque intoxicare; quod videns ille Homo voluit illum expellere. Sed ille noluit, sed, inhærens et innectens se ei, ipsum suo veneno cecidit.

Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
Pro fructu pœnam, pro pietate dolum.

X. — DE ASINO ET APRO.

Asinus cœpit ludere cum Apro et cœpit ei dicere verba jocosa. Quo indignatus Aper vix se continuit quod eum non voravit. Tamen propter dedecus suum, si tam nobilis tam vili noceret, ipsum tandem dimisit.

Non debet stolido lædi prudentia risu,
Nec debet doctum stultus adire jocis.

XI. — DE MURE CAMPI ET VILLÆ.

Mus de campo suscepit in hospitio suo Murem de villa, et posita mensa dedit ei gaudenter de illo tantillo quod habebat. Quod videns Mus de villa invitavit eum ad domum suam, cumque simul venissent ad villam, introierunt quoddam cellarium. Et posita mensa venerunt fercula abundanter. Cum simul gauderent, ecce clavis seræ (h)ostii cœpit murmurare; quod audientes fugierunt; tumque Mus extraneus, non inveniens foramen, timuit usque ad mortem; se tamen assuens muro non est inventa. Clauso igitur (h)ostio et pace reformata, rediit Mus de villa de foramine suo, et invitans sociam dixit : Gaudeamus, comedamus. Cui Mus de campo : Sint tua bona ista; plus volo fabam rodere cum pace quam tot fercula cum tanto timore. Et sic rediit ad campos.

Pauperies cum læta venit, ditissima res est;
Tristior immensas pauperat usus opes.

XII. — DE VULPE ET AQUILA.

Cum Aquila rapuisset fœtum Vulpis, et Vulpes deprecaretur ut redderet, noluit adquiescere precibus. Quod videns Vulpes collegit stipulas, et posuit in circuitu arboris in qua nidum suum Aquila fecerat, ponensque ignem in stipulis voluit arborem succendere. Quod videns Aquila, dubitans de pullis suis, prædam dimisit.

Non sit qui studeat, quia major, obesse minori;
Cum bene majori possit obesse minor.

XIII. — DE VULPE ET CORVO.

Vulpes, videns Corvum habentem caseum in ore, dixit ei : O Corve, decentissime avium, cigno (*sic*) candore assimilaris ; si placet, canta, quia cantu places uper omnes aves. Credit Corvus adulatori, dumque cantat ut placeat, caseum amittit.

Fellitum patitur risum, quem mellit inanis
Gloria ; vera parit tædia falsus honor.

(Fol. 32 *a.*) — XIV. — DE LEONE SENE FACTO ET ALIIS ANIMALIBUS.

Cum Leo senuisset et se juvare non posset, et ob hoc conquereretur, assunt omnia animalia ad nocendum ei, quia eis in juventute sua nocuerat : Aper dentibus, T(h)aurus cornibus, Asinus calce, et sic de aliis. Leo vero, non valens resistere, ingemiscebat dicens : Heu ! heu ! modo nocent mihi, quæ solebam vincere, nec Asinus mihi parcit, quia nulli peperci.

Hunc timeat casum, qui non fulcitur amico,
Nec dare vult felix, quam miser optat, opem.

XV. — DE ASINO ET CANE.

Asinus, videns Canem Domino suo placere per ludum suum et festum, quod ostendebat murmuris et caudæ studio, et pedibus, et aliis, dixit intra se : Quanto nobilior sum quam Canis, quanto pulcrior membris omnibus, et tergo maxime ! Et tamen ille placet ludis, et ego non placeo qui tot bona facio? Ludam ergo ut placeam. Veniens igitur ad Dominum suum, posuit ei pedes ad collum et cœpit cantare, et cœpit Dominus clamare, et venientes famuli verberaverunt eum.

Quod natura negat, nemo feliciter audet ;
Displicet imprudens, unde placere studet.

XVI. — DE MURE ET LEONE.

Mure ludente super Leonem dormientem, Leo evigilans ipsum rapuit. Secundus Mus instantia precis tantum suppli-

cavit, quod ipsum Leo dimisit. Altera die Mus Leonem invenit irretitum, mugientem et conquerentem. Quæ, memor beneficii accepti, tantum corrosit ret(h)ia quod Leo illæsus evasit.

Tu qui summa potes, ne despice parva potentem;
Nam prodesse potest, si quis obesse nequit.

XVII. — DE MILVO ÆGROTANTE.

Milvus ægrotans rogavit matrem suam ut pro se oraret, et oblationes et elemosynas erogaret. Cui mater : Fili, dum sanus eras, nonquam bonum fecisti, nec unquam talia petisti. Nunc uxta mortem nimis tarda est pœnitentia tua.

Qui maculat vitam, mundas cur incolit aras?
Quem sua facta premunt, cur aliena levat?

XVIII. — DE HYRUNDINE ET ALIIS AVIBUS.

Lino seminato, Hyrundo consuluit Avibus ut comederent semen, quia de eo fiebant ret(h)ia. Aves vero irridentes non adquieverunt. Cum viresceret, adhuc consuluit Hyrundo ut Aves destruerent, nec sic adquieverunt. Quod videns Hyrundo placavit homines cantando et juxta eos habitando. Cumque post caperentur Aves per ret(h)ia facta ex lino, cognoverunt se stulte egisse; quia non adquieverunt consilio Hyrundinis.

Utile consilium qui spernit, inutile sumit;
Qui nimis est tutus, ret(h)ia jure subit.

XIX. — DE RANIS.

Ranis existentibus in aqua et clamantibus, dedit eis Rusticus pro rege, ut tacerent, tignum Quod ammirantes primo tacuerunt; sed post, videntes eum non movere, super eum ascenderunt et iterum clamaverunt. Quod videns Rusticus dedit eis Ciconiam, quæ statim, dum videbat unam cantantem, devorabat. Cumque rogarent ut auferretur, noluit.

Si quis habet quod habere decet, sit lætus habendo;
Alterius non sit, qui suus esse potest.

XX. — DE MILVIS ET COLUMBIS.

Milvi (*sic*), bellantes contra Columbam (*sic*), acceperunt Accipitrem in auxilium, qui plus nocuit eis quam ipse hostis. Tunc cœperunt conqueri de eo; sed nil valuit.

Si quis (*sic*) agis, prudenter agas, et respice finem :
Ferre minora nolo (*sic*), ne graviora feram.

XXI. — DE FURE ET CANE.

Fure rogante Canem ut taceret et panem ei daret, dixit Canis : Istud munus mihi magna dampna minatur; nam, si accepero, merito pane carebo : plus volo panem diurnum quam nocturnum. Scias, nisi recedas, latrabo; quod et fecit.

Si tibi quid detur, cur detur respice; si des,
Cui des ipse nota, teque, gulose, doma.

XXII. — DE SUE ET LUPO.

(Fol. 32 *b*.) Sue prægnante, Lupus ait illi : Pari a more cito, quia bonam curam de fœtibus habebo. Cui Sus : Non pariam nisi recedas, quia cura tua mortem eis minatur. Quo audito ille abiit et Sus peperit.

Tempore non omni, non omnibus omnia crede;
Dum misere credit, creditur esse miser.

XXIII. — DE LUPO ET AGNO.

Agno lactanti Capram ait Lupus : Cur tam mundus habes matrem tam fœtidam? Dimitte ergo et ad matrem tuam mundam propera, quia satis prope est. Cui Agnus : Hæc Capra mihi bona mater est, et securius quam mater propria, et melius amo cum tali morari quam cum matre propria a te devorari.

Nil melius certo monitu, nil pejus iniquo;
Consilium sequitur certa ruina malum.

XXIV. — DE CANE SENE.

Quidam habuit Canem optimum, cui non poterat evadere præda, dum fuit juvenis. Cum senuisset, caruit levitate pedum

et dentibus, nec poterat prædam capere. Cum ob hoc verberaret eum Dominus suus, ait : O quot bona in juventute mea feci, quæ nunc data sunt oblivioni! Dixitque Domino :

Nullus amor datur (*sic*), nisi fructus servet amorem;
Quilibet est tanti, munera quanta facit.

XXV. — DE LUPO ET [H]ÆDO MONITO A MATRE.

Insita natorum cordi, doctrina parentum
Cum pariat fructum, spreta nocere solet.

Exemplum de[H]ædo quem monuit mater ne vagaret. Cum veniret Lupus fingeretque vocem matris et eum ad se vocaret, recolens moniti matris, evasit periculum.

XXVI. — DE OVE QUÆ TIMORE LUPI FECIT SE DEBITRICEM CERVO.

Ovis metu Lupi præsentis concessit Cervo quod deberet ei modium tritici.

Cum timor in pacto sedit, promissa timoris
Arent : nil fidei verba timentis habent.

XXVII. — DE VULPE ET CICONIA IRRIDENTIBUS SE.

Vulpes, ostendens cibum Ciconiæ, irridebat eam. Sed postea Ciconia, ponens avem in vase vitreo et ostendens Vulpi, melius irrisit ei.

Quod tibi non faceres, aliis fecisse cavebis :
Vulnera ne facias, quæ potes ipse pati.

XXVIII. — DE MALITIA MULIERUM.

Mulier, privata viro suo, per mortem viri cœpit flere, capillos detrahere, in tantum dolere, ut nec prece, nec minis, vellet a tumulo defuncti recedere nec de die, nec de nocte. Miles igitur, custodiens latronem de novo suspensum, sitiens venit ad illam, petens aquam. Qui cum inquireret causam mœroris, et illa ei diceret, cœpit eam consolari, dicens se similem dolorem incurrisse. Cumque ille frequentaret et aliquando rediret

ad patibulum et rediret per eam, tantum fecit quod ipsum Mulier adamavit, et ipsum sumere in maritum promisit. Accidit autem ut latro sibi furaretur. Quo cooperto, venit ad prædictam Mulierem, dampnum suum et periculum narrans. Quæ dedit consilium, ut maritus suus a terra extraheretur et loco furis suspenderetur, ut Miles evaderet, et, cum diceret Miles quod bene perciperetur, quia latro amiserat dentes anteriores, Mulier, accepto lapide, confregit dentes mariti sui, et fecit suspendi.

Sola premit vivosque metu pœnaque sepultos
Femina; femineum nil bene finit opus.

XXIX. — [DE CERVO AD FONTEM.]

Contra superbos.

Cervus, existens in fonte et aspiciens capud et cornua, in tantum gratulabatur, ut, intrans magis ac magis aquam, quassaret sibi tibiam, et ecce canes veniunt sequentes eum. Cum timeret et fugere vellet, non potuit, et sic captus propter cornua sua interiit.

Spernere quod prosit, et amare quod obsit, ineptum est;
Prodest quod fugimus (fol. 33 *a*) et quod amamus obest.

ROMULEÆ FABULÆ,

EX SOLUTA ORATIONE IN RHYTHMICUM SERMONEM MEDIO ÆVO TRANSLATÆ, ET SECUNDUM MUSEI BRITANNICI CODICEM MS. ADDIT. 11619, CUM CANTABRIGIENSIS CORPORIS CHRISTI COLLEGII CODICIS MS. 177 VARIIS LECTIONIBUS, NUNC PRIMUM IN LUCEM PROLATÆ.

(Fol. 189 *a*.)

INCIPIUNT FABULÆ ÆSOPI.

Attendentes insulæ, de longe venite,
Et Æsopi (1) fabulas vigiles audite,
Quæ sunt per metaphoram recitatæ rite.
Vos qui sermones nostros non vultis, abite.

Hic inductus bestias voluit monstrare,
Fraudes mundi varias cœpit explicare,
Quot et quas versutias oportet vitare
Hi(i) qui proponunt directo calle meare.

PROŒMIUM.

Jam te cuncti pos(s)[c]imus (2), Pater pacis dator,
Sic et te, Paraclite (*sic*) pie consolator;
Trinitatis medie Jhesu legislator,
Hujus sis operis finis, caput (3) et mediator.

[INCIPIT LIBER PRIMUS.]

I. — DE GALLINACIO (4).

Quidam Gallinacius victum quæritavit.
Pretiosus interim lapis latitavit
In luto. Quem proferens, mœrens suspiravit,
Quod victu caruit, quem sic reperire putavit.

(1) Ysopi.—(2) poscimus.—(3) caput, finis.—(4) De Gallo et margarita.

Escam mihi petii; sed cum te jacere
In luto perspiciam, nil michi præbere
Potes. Si te cupido (1) velles exhibere,
Tunc poteris fieri præclarus eique placere.

Moralitas.

Hæc notat historia stolidos amantes (2),
Qui, cum sint virtutibus affatim fulgentes,
Ignorantes gratiam nec grati sistentes,
Dum de sensatis mox fiunt insipientes.

II. — DE AGNO ET LUPO.

Agnus Lupo socius ad flume(m)[n] migrabat (3),
(Fol. 189 *b*) Et uterque sitiens potum postulabat (4) :
Agno stanti deorsum (5) Lupus sursum stabat.
Tunc Lupus (6) ore minax Agno fera verba tonabat.

Tuis, inquit, pedibus flumen perturbatur.
Et respondit innocens : Sed nunquam probatur,
A te mihi defluens unda cum feratur.
Mox Lupus ipse fremit (7) et talia verba profatur :

Maledicis, proditor, jam michi bibenti,
Patri tuo similis sic michi nocenti.
Et Agnus : Non noceo sic tibi loquenti (8).
Sicque Lupo simplex Agnus fuit esurienti.

Moralitas.

Hæc notat historia principes potentes,
Qui furunt (9) in pauperes, humiles, egentes,
Et conculcant inopes, cum sint inpotentes,
Mortibus afficiunt et si quid habent rapientes (10).

(1) cupide. — (2) stultos diligentes. — (3) migravit. — (4) postulavit. — (5) desuper. — (6) Tunc cum. — (7) ore minax. — (8) nocenti. — (9) fremunt. — (10) cupientes.

III. — DE MURE ET RANA.

Mus transire flumen quondam proponebat :
A Rana simpliciter juvamen petebat.
Rana dolo calida (1) Muri respondebat.
Æstimo, quod mersum Murem prandare (*sic*) (2) volebat.

Affer, inquit, ocius filum. Mus ferebat;
Muris collum proprio pedi (3) connectebat.
Flumen petunt protinus, et (4) Rana volebat
Inmergi (5) fundo; sed Mus sua dampna canebat (6).

Ut Mus Ranæ fraudibus res(s)istens (7) natavit,
Mil(l)vus (8), prædam cupiens, ambos visitavit,
(Fol. 190 *a*) Utrumque pecusculum ferens asportavit,
Et fraus unius sic sic utrumque necavit.

Moralitas.

Ista probat (9) fabula miserum mendosum,
Qui ponit insidias contra virtuosum,
Quod (10) ruit in laqueum mox perniciosum :
Lex est æqua dolum referire dolore dolosum.

IV. — DE CANE ET OVE.

Canis coram judice cœpit vendicare
Ab Ove depositum panem, quem ne(c)garo
Instabat. Ille (11) testibus promit rem probare,
Atque Lupum Milvo testem facit (12) associare.

Tunc a falsis testibus falso dejeratur (13)
Quod ejus hoc debitum dare teneatur.
Nil habens quod reddere[t] (14), lana spoliatur.
Vellere deposito, caro testibus esca paratur.

(1) callida. — (2) miserum Muremfraudare. — (3) Collum Muris proprio pede. — (4) sed. — (5) Submergi. — (6) cavebat. — (7) resistens. — (8) Milvus. — (9) notat. — (10) Et. — (11) Hic. — (12) Lupo Milvum testem vult. — (13) false judicatur. — (14) redderet.

Moralitas.

Hæc signat præfatio legum subversores,
Qui misellos opprimunt imbecilliores,
Nec parcunt pauperibus pauperum raptores,
Sed rapidis rapidi (1) tigribus sunt deteriores.

V. — DE CANE FLUMEN TRANSEUNTE (2).

Canis carnis avidus (3) trans flumen meavit,
Et frustum (4) cadaveris in ore portavit;
Unde carnis speciem mox repræsentavit.
Carnis ymago fuit frustum quod inesse (5) putavit.

Ille fame tenuis os aperiebat,
Ut umbram (com)prehenderet quam carnem credebat.
Qui dum (6) fauces aperit, frustum (7) decidebat :
(Fol. 190 *b*) Perdidit utrumque, quod (8) sic utrumque petebat.

Moralitas.

Sic fraudantur cupidi totum cupientes;
Cum magis sunt divites, magis sunt egentes,
Nec sibi nec aliis sunt sufficientes :
Dum totum cupiunt, toto (9) sunt jure carentes.

VI. — DE LEONE, BUBALO ET LUPO.

Leo rex quadrupedum, qui dudum ven(er)ari (10),
In silvis proposuit (11), cœpit meditari
Quales sibi socios vellet sciscitari (12).
Tunc Bubalumque Lupum sibi jusserat associari.

Hi(i) tres strenuissimi silvas adierunt;
Miræ magnitudinis cervum prendiderunt;
Tunc Lupus et Bubalus mutuo dixerunt
Qualiter hunc cervum partiri proposuerunt.

(1) rapidi rapidis. — (2) De Cane appetente carnem. — (3) cupidus. — (4) morsum. — (5) morsum quod in ore. — (6) cum. — (7) morsus. — (8) quia. — (9) totum. — (10) venari. — (11) apposuit. — (12) sociari.

Tunc respondit Bubalus totum jus constare
Leonis judicio (1), qui prædam frustrare
Deberet, ad libitum partem cuique dare.
Tunc Leo judicium sic est orsus recitare :

Michi prima portio debet venerari (2),
Quia rex sum pecorum; secunda donari,
Quia cervum prendidi; si quis asportari
Partem vult reliquam, sibi me sciat ille minari.

Tunc Lupus et Bubalus timidi steterunt :
Duro de (3) judicio, quod sic audierunt,
Illi contradicere non ausi fuerunt,
Sed cunctas cervi partes sibi contribuerunt (4).

Moralitas.

Hanc, fratres, historiam sic intelligatis,
(Fol. 191 *a*) Ut cum fortioribus sortem non mittatis,
Qui vos prement juribus (5), dum non habeatis
Qui nos (6) defendant, et sic sine spe pereatis.

VII. — DE VACCA ET LEONE (7).

Vacca, Caper et Ovis dudum sociari
Cum Leone cœperant et simul venari :
Leo cervum prendidit, quem jussit frustrari
Quatuor in partes et partem cuique parari.

Sed dum (8) feræ debiles non possint (9) parare
Partes sibi traditas, Leo sullevare (10)
Cœpit omnes pariter, et sic vendicare
Particulam primam, reliquas tres sic recitare :

(1) arbitrio. — (2) conservari. — (3) De duro. — (4) Sed cunctas illi cervi partes tribuerunt. — (5) Qui vos premant viribus. — (6) vos. — (7) De Vacca, Capro et Ove sociatis cum Leone. — (8) cum. — (9) possent. — (10) sublevare.

Michi jure virium secunda donetur;
Quia plus cucurreram tertia debetur;
Si quis ad particulam quartam judicetur,
Hic michi mortalis inimicus semper habetur.

Moralitas.

Tunc trementes bestiæ totas (1) dimiserunt
Leoni particulas, et sic erraverunt,
Quando fortiori se socios fecerunt (2).
Temporibus nostris plures hac fraude ruerunt.

VIII. — DE FURIBUS ET EORUM NUPTIIS (3).

Institerunt nuptias Fures celebrare;
Ad quos quidam sapiens cœpit propinquare;
Quos ut vidit fertiles ciphis exultare,
Cœpit adulari simul et problema notare :

Auscultate gaudia nobis (4) nuntiari :
Sol uxorem ducere, volens procreari
Filios, proposuit; sed hinc indignari
(Fol. 191 *b*) Machina cœlestis cœpit simul (5) atque minari.

Sed, cum Sol propositum vellet (6) declinare,
Tota cœli machina cœpit acclamare
Et Jovem conviciis multis incrust(r)are (7).
Jupiter (8) iratus causam cœpit rogitare.

Cui Solis propositum mox exposuerunt
Et se contradicere pariter promiserunt.
Inquisivit Jupiter (9) cur motæ fuerunt.
Quæ sibi responsum tali sermone dederunt :

(1) cunctas. — (2) dederunt. — (3) Quomodo Fures celebrarunt nuptias. — (4) vobis. — (5) simul cœpit. — (6) nollet. — (7) incusare. — (8) Jubiter. — (9) Jubiter.

Si Sol æstu nimis cuncta nunc cremabit,
Quid fiet cum filios ex se procreabit (1)?

Moralitas.

Hoc tibi proverbium vetus couprobabit (2),
Quod genitor pravus prolem nequam generabit.

Hæc monet historia non (3) communicari
Inpiis (4) hominibus, sed ab(h)ominari
Illorum consortium; nam vult insectari
Livor virtutes harumque bonus cruciari.

IX. — DE LUPO OSSA CORRODENTE (5).

Quondam Lupus inprobus ossa corrodebat;
Unum suis dentibus transversum figebat.
De gnaris (6) sollicite medelam quærebat;
Sed qui solamen ferret non inveniebat.

Tandem Grus exquiritur ut extraheretur
Os per longitudinem rostri; quod expletur.
Grus deberi præmium sibi tunc fatetur,
Cum Lupus immensum post morbum sanus habetur.

Cui (7) Lupus : Ingratus es, Grus, si quid petisti.
Non[ne] meis (8) faucibus capud extulisti?
(Fol. 192 *a*) Et Grus : Heus! injuria, qua me decepisti!
Et Lupus : Hoc habeas (9), quia nil aliud meruisti.

Moralitas.

Hic nobis innuitur fidei colonis,
Ne di(c)[t]etis impios nostris (i)[u]nquam bonis (10).
Nam cernis per regulam rectæ rationis,
Quod perdis quicquid infracto nase (*sic*) (11) reponis.

(1) procreavit. — (2) comprobavit. — (3) nunc. — (4) Impiis. — (5) CO-MEDENTE OSSA. — (6) Qui girans. — (7) Tunc. — (8) Num in meis. — (9) Et hoc nunc habeas. — (10) Ne ditemus impios nostris unquam bonis. — (11) vase.

X. — DE CANE FŒTU GRAVIDA (1).

Canis fœtu gravida locum requirebat
A quadam Canicula quæ fœtu carebat.
Quæ, devicta precibus, locum concedebat.
Ingreditur prægnans et grates læta ferebat.

Sed cum fœtu gravida fœtus emittebat,
Illam carens fœtibus exire jubebat.
Hæc (2) petit inducias; illa concedebat,
Donec lactantis (3) proles ætate vigebat (4).

Sed cum fœta tertia jubetur exire,
Respondit ingra[t]ius (5) : Cur me jubes ire?
Si tu meis canibus coram (6) vis venire,
Nec foveam repetes, sed te continget ob(ed)ire (7).

Moralitas.

Hæc declarat fabula(m) verua (*sic*) (8) veritatis,
Quod semper admittitur opus pietatis,
Ut, si quisquis gratiam tribuit (9) ingratis,
Quod pietatis opus merces erit impietatis.

XI. — QUOMODO DUO MURES OBVIABANT (10).

Bini quondam bivio Mures obviabant.
Ambo tantum vario victitabant ritu (11),
Et ad domos proprias mutuo vocabant.
Agrestis cellam prius tantum (12) ire volebant.

Mus Agrestis Villicum Murem perducebat
(Fol. 192 *b*) Ad domum; qui vilia prandia ponebat.
Mus Urbanus propriam domum requirebat;
Agrestem Murem secum socium (13) capiebat.

(1) De canicula fœtu plena. — (2) Hic. — (3) lactentis. — (4) jubebat. — (5) hæc ingratius. — (6) Coram meis, assero, si tu. — (7) obire. — (8) fabula verba. — (9) tribuat gratiam. — (10) De Mure campestri et villana. — (11) Ambo tum vario ritu victitabant. — (12) attamen. — (13) socium secum.

Urbani cellarium mox introierunt,
Et cibos appositos læti comederunt.
Sed, ut Celerarium (1) venire viderunt,
Ambo fugam capiunt, quia mortem pertimuerunt.

Mus Urbanus cognita loca (2) requirebat;
Agrestis incognita devius (3) pergebat,
Ac, cum Celerarius (4) inde recedebat,
Prandia dimissa fugitivus uterque petebat.

Urbanus Agresticum cœpit hilarare (5) :
Nichil est quod valeat hic te perturbare;
Vescamur appositis et nil (6) vereare.
Ast alter pavidus cœpit responsa parare :

Bonis tuis fruere tibi præparatis;
Ego fruar tutius rebus paupertatis.
Tu times sollicitus hostibus armatis;
Tutus ego vescor hi(i)s quæ michi sunt data gratis.

Moralitas.

Ista nos historia docet honestatem,
Quod paupertas ducitur in securitatem
Et opes efficiunt curiositatem.
Ergo cavebis opes quæ tollunt prosperitatem.

XII. — DE AQUILA ET VULPECULA.

Catulos Vulpeculæ fertur rapuisse
Ingens nuper Aquila, pullisque tulisse,
Et dicunt Vulpeculam secutam fuisse,
(Fol. 193 *a*) Et sibi pro catulis tristem nimis ingemuisse.

Vulpes petit catulos sibi restaurari;
Sed, ut vidit penitus ipsos denegari,
Ignem ferens ocius facit inflammari,
Et cœpit pullis Aquilæ fera fata minari.

(1) Cellarium. — (2) cognitum locum. — (3) incognitus domum. — (4) Et cum Cellarius. — (5) hillarare. — (6) nichil.

Expavescens Aquila sup[p]lex postulavit
Ut flammas extingueret, et mox restauravit.
Catulos Vulpeculæ quos prius (de)negavit.
Quos Vulpes sumens ad propria tecta meavit.

Moralitas.

Hic Prælatos admonet ne sint effrenati
Erga subditos suos, cum sint cathedrati;
Nam potest contingere, quod modo substrati
Post modicum sedeant in summa sede locati.

XIII. — DE AQUILA ET TESTUDINE.

Aquila, rex avium, nuper avolavit
Trans marina flumina; qui prædam captavit
Et maris Testudinem ferox asportavit.
Sed Tes(ti)tudo tremens infra concham latitavit.

Aquila Testudinem vorare volebat.
Sed concham nullatenus frangere valebat.
De prope famelica Cornix accedebat,
Dicens quod prædam pretiosam valde gerebat.

Et respondit Aquila : Nil apretiatur
Præda quam sic prædicas; nam concha vallatur.
Respondit Cornicula : Si pars michi datur,
Consilium capies, quo statim c(h)oncha teratur.

Totis, inquit, viribus nitere volare,
(Fol. 193 *b*) Et quo locum poteris petrosum spectare,
C(h)oncham terræ pro[j]ice, quam (c)[t]um mox crepare
Videris. Insiste prædam pro velle vorare.

Moralitas.

Hic consiliarios notat pravitatis,
Qui pervertunt animos plenos pietatis.
Sæpe bona facere boni vellent gratis,
Nec permittuntur pro consiliis sceleratis.

XIV. — DE CORVO ET CASEO.

Quidam Corvus caseum nuper capiebat,
Quo vesci desiderans locum requirebat
Celsum; sed Vulpecula cominus sistebat,
Et, Corvum fraudare volens, hæc verba ferebat :

O Corve pulcher[r]ime, tibi quis æquetur
In pennarum specie? Si sola daretur
Vocis medullatio, qua mens demulcetur,
Inter aves nullus similis tibi comperietur.

Corvus volens inclitam vocem jactitare,
Mox oblitus casei, cœpit cantilare.
Instat Vulpes caseum vigil explorare :
Apprehendens lapsum se gliscit eo satiare.

Ut se Corvus caseo vidit defraudatum,
Querulus ingemuit se ludificatum.

Moralitas.

Istud signat fatuos, qui per adulatum
Falluntur facile nolendo cavere reatum.

Sed postquam substantiam totam perdidisti,
Dic quis tibi proderit luctus quem luxisti?
Si prudens extiteris, dolum præcavisti,
Nec Vulpes, inquam, captus qua fraude ruisti.

XV. — DE LEONE MO[R]BO LANGUESCENTE.

Leo ductus senio morbo languescebat;
(Fol. 194 *a*) Ad quem choors (*sic*) pecorum magna veniebat,
Protestans quod morbido medelam ferebat;
Sed tamen immensa fraus in præmissa latebat.

Spes Leonem decipit, cum res non sequatur :
Mox ut Aper advenit, dentibus minatur,
Taurus ferit cornibus, simul adversatur
Omnis ei turba; sic sic miser excruciatur.

Tunc Ovi miseriam status deplorabat,
Dicens quod, cum viribus ingens ambulabat,
Omnis ei timide fera ministrabat.
Nunc jacet ille tremens, alios qui ter[r]ificabat (1).

Moralitas.

Ista monet humiles esse principatus,
Quia diu nequeunt stare magistratus;
Nam, cum status temporis fuerit mutatus,
En hodie minimus cras est ad summa (2) vocatus.

XVI. — DE ASINO ET CATULO.

In unius Domini domo commanebat
Asinus et Catulus, sed Canem fovebat
Cariorem Dominus. Inde (3) livescebat
Infelix Asinus, quod (4) par non esse valebat :

Vilis, inquam (5), Catulus tam carus tenetur.
Cum paterfamilias blandus aduletur,
Quod si mea bonitas suæ comparetur,
Forsan vilis erit qui nunc tam carus habetur.

Inde cœpit Asinus animo versari
Et quo modo fieret carus meditari :
More (6) Canis nititur rudis adulari,
Ut posset (7), veluti Canis idem, carus amari.

Quadam die Domini capud amplexatur;
(Fol. 194 *b*) Cujus lambens faciem blandiri conatur;
Pedes nectit humeris. Vir vociferatur;
Accurrunt famuli; capitur miser et cruciatur.

(1) timens, alios qui mortificabat. — (2) veniens cras est ad yma. — (3) Unde. — (4) quia. — (5) inquit. — (6) Modis. — (7) possit.

Moralitas.

Hic docet honoribus nullum (1) venustari,
Quem cernis virtutibus omnino (2) privari.
Dum stultus in c(h)at[h]edra prima vult (3) locari,
Imus ad yma ruit, quasi (4) dignus ad yma locari.

XVII. — DE LEONE DORMIENTE.

Leo latens latebris quondam dormiebat,
Quem casu fortuito quidam Mus tangebat.
Expergefactus (5) saliens quid esset quærebat,
Et timidum (6) Murem fugientem mox capiebat.

Fremit Mus et veniam cœpit postulare.
Leo sibi scandalum putat generare,
Talem si(bi) (7) bestiolam credatur necare.
Tunc miserum jussit ad propria tecta meare.

Post Leonem contigit prædam postulare,
Et lapsus in puteum cogitur clamare (8)
Si quis illum (9) poterit lapsum sullevare.
Quod Mus ut scivit, mox cœpit eo properare.

Mus suum beneficum cum vidit substratum (10),
Magnum, vocans comites, dedit ejulatum;
Qui concurrunt ocius machinas paratum,
Ut Leo de fovea se sentiat esse levatum.

Currunt (11) ad suburbia fila deportare,
Ut nectant funiculos, quibus sublevare
Leonem prævaleant et terram fossare.
Extrahitur domitus, se cuncta putans superare.

(Fol. 195 *a*) Sic Leo, dum miserum Murem non necavit,
De futuris casibus forte cogitavit;
Sic Mus parvus strenuum Leonem salvavit,
Consilio pollens, cui vim natura negavit.

(1) non illum. — (2) penitus. — (3) Dum stultus vult in cathedra ipsa. — (4) quia. — (5) Vigilans et. — (6) Et tandem. — (7) Si talem. — (8) cœpit proclamare. — (9) ipsum. — (10) præstatum. - - (11) Concurrunt.

Moralitas.

Sensus hujus fabulæ monet, ne potentes
Suis pressos (1) viribus lædant innocentes;
Nam, cum jacent (2) pristino primatu carentes,
Tunc sunt a minimis solatia plura petentes.

XVIII. — DE AVIBUS (3).

Nuper erat Avium turma (4) congregata,
Quæ viderunt semina lini seminata.
Parvipendent (5) talia cohors insensata,
In lino proprium dampnum censere (6) parata.

Tunc Hyrundo ca[l]lida (7) cœpit has monere,
Ut vellent insidias lini præcavere;
Ornatur (*sic*) (8), inquiens linum nam (9) nocere
Multum, post quippe (10) et nobis dampna monere (11).

Tunc Avis Harundinem (*sic*) (12) quæque deribebat,
Nec ejus consilium ratum decernebat.
Illa doli præ[s]cia dampnum præcaveba(n)t (13),
Et statim tecta, fugiens, humana petebat.

Instat piis precibus homines rogare,
Ut suis in domibus posset (14) habitare,
Dicens quod insidias fugit declinare.
Illi concedunt quo vellet nidificare.

Moralitas.

Hæc notat historia quod turba stultorum
Contempnunt scientiam jurisperitorum (15),
Qui, cum capti fuerint pedica dolorum,
(Fol. 195 *b*) Lugent consilia jam contempsisse bonorum.

EXPLICIT LIBER PRIMUS HABENS CAPITULA XVIII.

(1) Pressos suis. — (2) latent. — (3) De Avibus et Limo (*sic*). — (4) turba. — (5) Perinpendunt. — (6) sensere. — (7) Yrundo callida. — (8) Et conatur. — (9) non. — (10) quippe post. — (11) movere. — (12) Yrundinem. — (13) prescia dampnum præcavebat. — (14) possit. — (15) peritiam legis peritorum.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. — DE RANIS IN PALUDE MANENTIBUS (1).

In palude lutea Ranæ conmanebant;
Quæ de situ fertili felices gaudebant.
Sed, ut se pro libito quocumque ferebant,
A Jove rectorem jugi clamore petebant.

Ranis hoc petentibus cœpit hic ridere
Parcens innocentibus; quem magis movere
Suis instant (2) precibus, ut vellet favere
Quo possent proprias (3) leges sub lege tenere.

Harum victus precibus, illis (4) alludebat,
Et pa(l)ludi veterem truncum demittebat (5);
Quo cadente turbida turba fugiebat,
Quæ tantum sonuit (6) quasi mortis tela timebat.

Una tamen strenua cominus meavit,
Ut truncum conspiceret, quem regem putavit.
Fugitivas socias ad se convocavit,
Atque salutare regem se turba paravit.

Set (7), ut truncum mortuum jacere viderunt,
Suis illum pedibus Ranæ calcaverunt.
Regem petunt alium, sicut petierunt.
Qui concedit eis regem (8) qualem meruerunt.

Ranis regem turpiter colubrum signavit.
Ille ferox miseras Ranas devoravit.
Quæ turba mox lacrimis Jovem concitavit,
Ut parcat miseris; quibus hæc responsa paravit :

(1) De Ranis petentibus regem. — (2) Instant suis. — (3) precibus. — (4) eis. — (5) dimittebat. — (6) sonitum. — (7) Sed. — (8) eis talem.

Prius a me principem querulum (1) petistis,
Et negavi; precibus lacrimas junxistis :
(Fol. 196 *a*) Dedi vobis humilem quem vos despexistis.
Hac ratione datur vobis rex, ut meruistis (2).

Moralitas.

Ista potest fabula stultos denotare
Qui magistri(s) nutibus (3) volunt obviare.
Quos ut cernit Dominus elatos meare,
Mittit eis rigidum qui possit eos superare.

II. — DE COLUMBIS ELEGENTIBUS (*sic*) SIBI REGEM (4).

Columbæ mitissimæ nuper elegerunt
Milvum sibi principem, quem prius fugerunt
Hostem crudelissimum; sed pœnituerunt.
Nam collis propriis stolide juga dura dederunt.

Qui, cum super simplices vidit se regnare,
Instat multo sævius illas devorare.
Nitens (5) pene nomine leges simulare,
Proponit cunctas sub tali fraude necare.

Ex hi(i)s una judicat melius fuisse
Eas Milvi rabiem priscam pertulisse,
Quam sub ejus legibus sic occubuisse,
Lugentes tali se sub pastore stetisse.

Moralitas.

Hic explanat principum rabiem (6) pravorum,
Qui premunt malitia colla subditorum;
Nam, dum subsunt simplices legi (7) tyrannorum,
Lex ruit, ordo perit, virtus decrescit eorum.

(1) querulæ. — (2) vobis, qualem meruistis. — (3) magistris mitibus. — (4) ELIGENTIBUS MILVUM IN REGEM. — (5) Lucens. — (6) rabiem principum. — (7) lege.

III. — DE FURE ET CANE.

Fur cujusdam divitis opes exploravit;
Qui per Canem divitis prodi dubitavit.
Hic fraudem (1) qua falleret Canem cogitavit :
Buccellam panis secum portare paravit.

Mox ad domum divitis ut Fur (2) veniebat,
Ei statim Catulus vigil occurrebat.
(Fol. 196 *b*) Latro, dolum machinans, panem porrigebat.
Sed Canis, exosus Furem, panem (3) renuebat :

Michi gratis, inquiens, panem porrexisti;
An, ut meum dominum prodi potuisti,
Sic sic meas claudere fauces voluisti?
Non me decipies, sed ab(b)ibis sic (4) adisti.

Quid (5), si, quem tu porrigis, panem comedissem
Et sic (6) meum Dominum tibi pro[di]dissem (7),
Forte non me pateres (8), egens cum venissem,
Et sic deterior omni latrone fuissem.

Moralitas.

Ista nos historia monet (9) præcavere
Dolasa (*sic*) consilia (10) nec eis favere;
Noli fictis fraudibus consensum præbere;
Cur? Quia sæpe solet multis fraus ficta nocere.

IV. — DE SCROFA ET LUPO.

Scrofa fœtu gravida parere debebat.
Ad quam dolo callidus Lupus veniebat;
Ut fœtus effunderet, Scropham commonebat,
Dicens quod fungi nutricis more volebat.

(1) Et fraude. — (2) Postquam Fur ad divitis domum. — (3) Furis panem. — (4) sicut. — (5) Quod. — (6) sic *deest*. — (7) prodidissem. — (8) pasceres. — (9) docet. — (10) Dolos et consilia.

Lupo Scropha gravida fertur respondisse
Talibus in casibus morem non fuisse
Mares inter feminas vernas extitisse,
Jurans se penitus maris obsequium renuisse.

Tunc Lupum recedere sup[p]lex requirebat,
Interesse partui quia non decebat.
Qui devicti (*sic*) precibus tandem recedebat.
(Fol. 197 *a*) Hæc juxta ritum naturæ mox pariebat.

Moralitas.

(H)ista nos historia monet declinare
Hostium versu(s)tias, qui nos defraudare
Nituntur vi, caveas dolis obviare,
Et quasi Scropha Lupo prudens responsa parare.

V. — DE VIRO PRÆGNANTE.

Casus mirabilis jam nuper ferebatur,
Quod Vir more feminæ prægnans habebatur.
Tota tremit patria, vulgus opinatur
Quod tantum monstrum mortis sibi signa minatur.

Tempus partus propiat; miser cruciatur,
Fremit; timet patria; populus miratur,
Demum rei dubiæ casum præstolatur.
Tandem ridiculus mus a prægnante creatur.

Rident, ludunt, garriunt, vulgus adunatur.
Tandem inter cetera plebs congratulatur,
Quod tumultus populi tam cito sedatur,
Et res tam grandis tantilla pace locatur.

Moralitas.

Ista nos historia monet non mirari
Magnis de rumoribus, per quos perturbari
Corda solent hominum, quia terminari
Sæpe solent facile quæ cernis magna putari.

VI. — DE AGNO ET CANE.

Inter capras extitit Agnus educatus
A matris uberibus ibi collocatus;
Quem Canis aggrediens sic sic est affatus :
Quid sine matre tua facis hic capris sociatus?

Agnus ait : Propria mater me portavit
In suis visceribus et mundo donavit;
Sed suis uberibus Capra me lactavit,
Et mihi carior est bona quæ mihi tanta patravit.

(Fol. 197 *b*) Canis ait : Attamen vere comprobaris
Ovis esse filius per quem (*sic*) nascebaris,
Licet inter hispidas capras nutriaris.
Agnus ait : Sic est ut dicis, non verearis.

Mater me concipiens naturæ complebat
Legem, cum me peperit; sed hinc nesciebat
Utrum mas vel femina foret quod ferebat;
Quæ nec notitiam venturæ sortis habebat.

Moralitas.

Ista nos historia dat intelligentes,
Quod alumpni carnis amant nutrientes;
Mirum, cum despiciunt proprios parentes,
Æstimo; naturam transcendunt sic facientes.

VII. — DE SYNODO LEPORUM.

Nuper sunt ad synodum Lepores vocati,
Inter se firmissimi fide (1) conjurati,
Quod, si sint de cetero quoquam perturbati,
Ad pelagi rupes fugerent mox præcipitati.

(1) firmissimo jure.

Mox ut terror ingruit, Lepores fugerunt
Ad flumen, quo trigidæ (*sic*) (1) Ranæ latuerunt.
Ranæ fugientium sonos audierunt,
Et se sub fluvio, cogente timore, tulerunt.

Submersas Lepusculi Ranas ut videbant,
Nimio pe[r]ter[r]iti stupore timebant.
Unius consilio cuncti mox favebant,
Quo mox audito(s) propriis repedare (2) studebant.

En, inquit, ne (3) cernitis omne quod creatur
Sub timoris legibus firme religatur;
Jam noster ad patriam redditus (4) ducatur,
Ut quisquis nostrum sua fata libens patiatur.

(Fol. 198 *a*.) — *Moralitas.*

Hic nos æquanimiter monet tol(l)erare (5)
Pœnas et angustias, quas mundus vult dare;.
Nam firmo proposito si stabiliare,
Nil puto perversum te firmum posse gravare.

VIII. — DE LEONE CLAUDICANTE (6).

Nuper Leo nemora trux (7) perambulabat
Venandi cupidine, sed currens calcabat
Spinam pedi transfigens; unde claudicabat,
Et morbo medicos ex omni parte vocabat.

Quem cum nullus hominum timens attendebat,
Hic ductus angustia gressus dirigebat
Ad Pastorem pecorum, quem procul videbat;
Quem tremens Pastor terrore timens (8) fugiebat.

(1) miseræ. — (2) remeare. — (3) nunc. — (4) Jam nostram ad propriam reditus. — (5) tolerare. — (6) De Leone cum læso pede. — (7) nemore jam. — (8) Quem Pastor fugiens terrore nimis,

Leo linquens pecora sequitur Pastorem:
Cauda sibi blandiens et signans amorem,
Claudi pedis indicat vulnus et languorem.
Condoluit Pastor, et cernit (1) inesse dolorem.

Qui tandem novaculam morbo procuravit;
Spinam secans extrahit et pedem sanavit;
Omnem tergens maculam, saniem purgavit,
Et Leo sanatus ad propria tecta meavit.

Accidit (2) ut postea Leo caperetur
Et in amphitriatro (*sic*) (3) captus clauderetur (4),
Ut coram principibus ludens videretur
Et dampnandorum mortis vindex (5) gereretur.

Non multum post talia Pastor, deprensatus (6)
Et convictus crimine, vinclis religatur.
Bestiarum dentibus præda præparatur.
Et Leo prædictus mox ad sibi missa paratur.

(Fol. 198 *b*) Leo, noscens medicum Pastorem terreri,
Cœpit ei protinus parcens misereri;
Huic abegit bestias, volens hunc tueri,
Nec permisit eum quoquam (7) læsore moveri.

Custos carcerarius audit (8) rugientis
Rugitum Lenuculi Pastorem tuentis;
Pastor narrat meriti casum præcedentis
Atque Leonis ope se salvatum miserentis.

Moralitas.

Rationis regula sic recte (9) comprobatur:
Utriusque miserens uterque salvatur,
Quod suo benefico quisquis obligatur,
Ut benefactori per nos merces tribuatur.

(1) quia cernit. — (2) Contigit. — (3) amphiteatro. — (4) poneretur. — (5) Et dampnatorum morte judex. — (6) deprehensatur. — (7) eum postquam. — (8) vidit. — (9) Catonis regula recte.

IX. — DE LEONE ET EQUO.

Equus nuper pascuis suis incedebat;
Ad quem dolum simulans Leo veniebat,
Qui se fore medicum prudentem promebat.
Hæc ideo dixit quod Equum mactare volebat.

Equus, ut insidias Leonis videbat,
Falsi curam medici cautus capiebat,
Dum medelam sumeret, cogitans studebat
Qualiter insidias mortis vitare valebat.

Nimis, inquit, gaudeo te talem tenere
Medicum, qui valeas morbos amovere.
Succurrens quam totius (*sic*), rogo, miserere
Atque mei morbi causas accede videre.

Me currentem contigit spinam percalcare,
Quæ, dum pedem trans(s)iit, cœpi claudicare.
Veni tanto vulneri medelam donare,
Ut possim sanus tibi præmia multa parare.

Leo cu(p)[b]ans pedibus Equi residebat;
Huc illuc inspiciens caput submittebat.
Equus ei capiti pedes fer(r)iebat,
(Fol. 199 *a*) Et totum pectus cum vertice conquatiebat.

Fugit Equus saliens, cum Leo jaceret
Gravi pressus vulnere, dicens : Plus valeret
Quod apertus afforet hostis quam lateret
Insidiis plenus, nec pignus amoris haberet.

Moralitas.

Hic amicum prohibet fictum simulari
Et cum vultu placido cor fidum servari,
Ne, dum ridet oculus, velit machinari
Insidias animus nullaque fide solidari.

X. — DE BELLO ANIMALIUM.

Inter Animalia bellum movebatur,
In quo strages maxima mortis habebatur.
Tutis Vespertilio locis morabatur,
Et cui se parti potius societ meditatur,

Cernens cuncta Animalia præliari.
Sed ut Quadrupedia vidit dominari,
Illis Vespertilio vult associari,
Contemptis Avibus quas vidit subpeditari.

Post ut ingens Aquila ferox præliatur,
Ut de Quadrupedibus palma consequatur,
Redit Vespertilio quibus sociatur,
Et sic utrumque pro belli sorte locatur.

Sed tandem cum nimius tumultus sedatur,
Fallax Vespertilio jure condempnatur :
Visus carens lumine pennis spoliatur,
Et, quasi luci(s)vagus exul, de nocte vagatur.

Moralitas.

Hic fallaces arguit, semper incedentes
Casibus in prosperis, et mox abcedentes,
Adversis temporibus suos deserentes;
Demum succumbunt pœnas pro fraude luentes.

XI. — DE ANCIP(R)ITRE ET LU[S]CINIA.

(Fol. 199 *b*) Ad silvas Ancipiter nuper veniebat
Et nido Lu[s]ciniæ rapax accedebat,
In quo mater parvulos pullos relinquebat,
Quod ferus Ancipiter prædam sibi ferre volebat.

Institit Luscinia fletu supplicare
Ne vellet Ancipiter pullos asportare ;
Qui dixit Ancipiter : Si vis cantitare,
Ecce tuos pullos forsan desisto necare,

Tunc timens Luscinia notas exaltavit;
Quam tamen Ancipiter cantantem culpavit;
Dicens quod defecerit nec bene cantavit,
Unum de pullis rostro scindente necavit.

Post hæc Auceps cal[l]idus pedicas ponebat
Litis fisco (*sic*) virgulis, et, dum veniebat,
Inprudens Ancipiter virgis inhærebat;
Defraudans alios, propria sic fraude ruebat.

Moralitas.

Hæc nos vult historia sic humiliari
Et minus potentibus ita conformari,
Ut de nostris valeant actibus juvari,
Ut [quoque] eos nostro contingat posse gravari.

XII. — DE CERVO S(C)ITIENTE.

Sitiens ad flumina Cervus properavit.
Videns umbram cornuum, multum se jactavit
Et crura gracilia nimium culpavit.
Attamen extollens multum se magnificavit.

In(n)ter hæc latrantium voces audiebat;
Cervus mortem metuens fugam capiebat;
Magnitudo cornuum quem propediebat
Currere ne posset. Querula tunc voce gemebat :

Miser, inquam, fatuus, magis extollebam
(Fol. 200 *a*) Digna vituperio, sic insolescebam :
Dum laudavi cornua, crura contempnebam,
Amplius illa nocent mihi quæ plus cara tenebam.

Moralitas.

Stultorum stultitiam vult hic increpare,
Qui commendant vitia, prompti reprobare
Virtutis insignia, docti depravare
Quæ laudanda manent, quæ depravanda probare.

XIII. — DE VIRO MORTUO ET EJUS UXORE.

Ad sepulchrum mortui viri residebat
Ejus quondam Femina, quæ multum plangebat
Viduam fieri; maritum lugebat
Ex quo nullius hominis solamen habebat.

Postea contingerat ut fur caperetur,
Et convictus crimine ligno penderetur,
Et ad corpus mortui Miles poneretur
Custos, ne corpus pendentis abhinc raperetur.

En, cum corpus mortui Miles custodiret,
Ut labore nimio siccatus sitiret
Et ad dictam Feminam potandi veniret,
Cum rediit, corpus suspensi non reperiret.

Qui pergens ad Feminam suspirans gemebat,
Sublatum corpusculum juvamen petebat;
Quæ mox viri proprii corpus subrigebat
Atque loco furis illud pendere jubebat.

O quanta miseria! Res quam detestanda!
Viri corpus proprii Mulier culpanda
Pro latrone tradidit. Et sic execranda
Hac in parte fuit et in omni lege nefanda.

Moralitas.

Hoc exemplum poterit cunctos edocere
Quot mala perpendimus vivos præterire.
(Fol. 200 *b*) Tamen, cum fuerimus mortui, timere
Possumus et misera sub conditione dolere.

XIV. — DE MERETRICE.

Inpudica Meretrix nuper exardebat
In amorem Juvenum quos despiciebat;
Sed unum præ ceteris plus alliciebat;
Quem verbis fœdis et litibus afficiebat.

O quantis injuriis ipsum fatigavit,
Et plena perfidia pactum non servavit,
Ore fidem mentiens quam corde negavit,
Et fictæ ficta signum pacis simulavit!

Quam memor injuriæ Juvenis affatur,
Et eam karissimam sibi protestatur,
Non quod fides mutua firme teneatur,
Sed simulatus amor fallax utrimque (*sic*) probatur.

Moralitas.

Hæc probat historia, notas simultatis
Quod doli sub specie latent pietatis;
In dilectis defecit lex securitatis;
Nusquam tuta fides, nusquam loca prosperitatis.

XV. — DE LUPIS ET GREGE OVIUM.

Cum Lupis grex Ovium dudum confligebat
Et secum grex Ovium Canes perducebat.
Sæve pugnans acies utrimque manebat;
Sed tandem pacem sibi turba Lupina petebat.

Tunc miserunt nuntios pacem requirentes,
Obsides ab Ovibus Canes exposcentes
Et catellos Ovibus suos offerentes,
Ut sint pacificum fœdus sine fraude tenentes.

Tunc Oves in obsides Canes tradiderunt,
Et Luporum catulos sibi receperunt.
Lupi suos obsides mox interemerunt,
Credentes quod Oves horum catulos necuerunt.

(Fol. 201 *a*) Videres mox undique Lupos accur[r]isse
Dicentes ab Ovibus pacem defexisse (*sic*),
Et dum Lupos cernercs Oves discerpsisse,
Illico lugeres miseras sic occubuisse.

Moralitas.

Hic mortales prohibet suos amovere
Tutores, ne valeant hostes inminere,
Qui, cum nos perspexerint viribus carere,
Instant belligeri nobis sine pace nocere.

XVI. — DE RUSTICO.

Cum nuper ad nemora Rusticus meavit,
Carentem manubrio securim portavit.
Qui mox pro manubrio cunctis supplicavit
Arboribus silvæ. Tribuunt quodcunque rogavit.

Rusticus manubrium securi figebat.
Mox illuc trans(s)iens Arbores scindebat :
Taxos, Quercus, Fraxinos, omnes succidebat.
Quod cernens Quercus lacrimosa voce ferebat :

Merito jam patimur hanc improbitatem,
Rustico quæ dedimus tantam potestatem,
Ut nos in perpetuum tollat vastitatem
Et pietatis opus convertat in inpietatem.

Moralitas.

Hæc monet historia ne vestros mittatis
A vobis exteri(t)us, per quod sentiatis
Vires vestras debiles, et sic corruatis
Pressi, vobiscum vestros dum non habeatis.

XVII. — DE LUPO ET CANE.

Lupus in itinere Cani copulatur.
Quem devotis vocibus salutans affatur ;
De Canis pinguedine Lupus sciscitatur.
Cui Canis eximia responsum voce refatur :

Scias meum dominum mihi ministrantem
Ubertim cibaria; nam me famulantem
(Fol. 201 *b*) Tota domus diligit, quia me latrantem
Latrones metuunt et semper habent vigilantem.

Tunc Lupus suspiriis plenus ingemebat,
Et Canem feliciter vivere dicebat;
Cujus se consocium fieri poscebat.
Quem Canis absque mora secum migrare jubebat.

Canis ait : Venies mecum moraturus.
Nichil est quod timeas. Vivendo securus,
Mecum simul dormies, mecum refrecturus (*sic*),
Absque timore manens sine fraude cibos habiturus.

Mox Lupus consentiens cum Cane pergebat,
Et in Canis vertice patere videbat
Catenæ vestigium. Qui mox inquirebat
Quid foret hoc signum. Canis illi mox referebat :

Mea me ferocitas facit sic ligari
Per dies, sed noctibus liberum vagari.
Lupus ad hæc tumidus cœpit contristari;
Vincla pati metuens, orsus mox talia fari :

Infelix conditio, qua quis sic ar[c]tatur,
Ut impleto stomacho vinclis subigatur.
Utere tu libito; michi concedatur
Libertas vitæ, sub qua michi nemo minatur.

Moralitas.

Hæc docet historia quantum libertatis
Valet privilegium, quod nec potestatis
Patitur dominium, sed in voluntatis
Sistitur arbitrio, qua se vult ducere gratis.

XVIII. — DE ST(H)OMAC[H]O OTIOSO.

Fysicæ scientia satis protestatur,
Quod sine cibario nullum sustentatur
Mundo vigens animo, quia vegetatur
Per victum sanguis, animæ quo vita locatur.

(Fol. 202 *a*) Otioso Stomac[h]o nuper indignati,
Erant Manus et Pedes negare parati
Cibos Ventri solito(s) otiositati;
Nam totus tribuit nulli datus utilitati.

Demum cum se St(h)omac[h]us sentit jejunare,
Cibum sup[p]lex postulat. At illi negare
Instant. Qui deficiens cœpit ægrotare,
Omnia membra simul acri morbo cruciare.

Tandem membra st(h)omacho cibos prorexerunt (*sic*);
Sumere non valuit; hoc obstupuerunt.
Hic jejunus interit; illa defecerunt :
Dum Ventrem macerant, pariter cum Ventre ruerunt.

Moralitas.

Hic monet non spernere nostros adjutores,
Quamvis inpotentes sint et nos fortiores;
Nam potest contingere, quod utiliores
Hi(i) sunt quandoque quos credimus esse minores.

XIX. — DE SIMIA ET VULPE.

Turpis quondam Symia Vulpi supplicavit
Pro caudæ particula, dicens quod optavit
Nates nudas tegere, quas pudens portavit;
Sed Vulpes miseræ poscenti cuncta negavit.

Ait Vulpi Symia : Multum prægravaris
Caudæ lo[n]gitudine, dum currens vagaris;
Obsecro particulam michi largiaris,
Ut velox factus currens (s)citius movearis.

Cui Vulpes : Hoc utinam tanto longaretur,
Ut præ magnitudine vix sublevaretur,
Et tam grossa fieret quod vix portaretur!
Quamvis sic esset, tibi pars hinc nulla daretur.

Moralitas.

Hic avaros increpat multa possidentes,
Ditatos superfluis, nihil largientes;
(Fol. 202 *b*) Nec gazarum copia fovent indigentes;
Sed, cum plus habeant, tanto sunt plus cupientes.

XX. — DE ANIMALIBUS REGEM CUPIENTIBUS.

Nuper animalia cuncta convenere,
Regem cupientia sibi præsidere.
Hinc Jovem sollicitant et preces fudere.
Jupiter annuit hi(i)s cupiens ad vota favere.

Dum tractant de principe, Leo postulatur
Rex illis constitui, si fides præstatur
Quod ferox non imperet; ille protestatur
Se cunctis humilem fieri. Sic regna lucratur.

En, ut rex statuitur, cœpit effrenari
Et mox suis subditis dolos machinari.
Cœpit eos abditis locis sciscitari,
Carnibus innocuis cupiens semper satiari.

Singillatim singulis dolos opponebat,
Quis morbus, quæ gravitas illos extorquebat,
Ægros et incolumes omnes occidebat;
Trux, nulli parcens, omnes jugulare volebat.

Sic demum cum bestias plurimas necavit,
E locis absconditis Simiam vocavit.
Statum quærens corporis, ille nimis pavit :
Fraude dolum simulans, caute responsa paravit.

Tuus, inquit, [h]alitus, o Leo, discessit,
Velut nardus piscua cum fragrans olescit.
Blandis Leo laudibus linitus nutescit
Ad modicum, sed post ejus pro carne macrescit.

Leo morbum simulat : medici vocantur;
(Fol. 203 *a*) Morbum non reperiunt, cum nervos scrutantur;
Insuetos sumere cibos hunc hortantur,
Quales posse suum morbum sanare putantur.

Ait Leo : Simiæ carnibus sanari
Æstimo; sed vereor crudelis vocari.
Illi dicunt licite talia patrari.
Simia cum reliquis profertur jussa necari.

Moralitas.

Hic subjectos innuit multas sustinere
Pœnas et injurias loqui nec audere;
Sed oppressi nequeunt quandoque silere;
Nam laquei pœna tormenta nequit reticere.

XXI. — DE VENATORE ET LUPO (1).

Venator cum canibus quondam (2) sequebatur
Lupum (3), qui perter[r]itus in fugam versatur.
Ad Bubulcum fugiens juvamen precatur,
Adjurans illum ne per eum (4) decipiatur.

Cui Bubulcus inquiens : Nolito timere;
Perge qua volueris caverna latere.
Si Venator cœperit gressus huc movere,
Dicam te procul hinc deserti vasta tenere.

Tunc Bubulco veniens Venator dicebat :
Lupusne comperuit (5)? Qui sic respondebat :
In desertum trans[i]s iit. Venator vertebat
Gressus (6), atque Lupus ad Pastorem veniebat.

(1) De Lupo venienti ad Bubulcum. — (2) Lupum. — (3) Quondam. — (4) per eum ne. — (5) comparuit. — (6). Plaudens.

Cui Pastor : Quid facies hanc (*sic*) pro bonitate?
Manus, inquit, et lingua sint semper beatæ!
Sed tui sint oculi pleni cæcitate!
Cur? Quia quo latui statim sum cognitus a te.

(Fol. 203 *b*.) — *Moralitas.*

Hæc explodit fabula mores perfidorum
Corde sic et oculis, quamvis labiorum
Verba foris mulceant; sed fides cunctorum
Sic est laudanda, veluti probat actus eorum.

XXII. — DE PAVONE.

Pavo suam Dominam nuper est affatus :
O Juno piissima, multa sum turbatus;
Nam cantus lusciniæ dulcis est et gratus,
Me meliusque canit. Heu! sic sum vilificatus.

Cui Juno : Ne doleas, Pavo, tam formosus,
Super omnes alites forma generosus;
Decor tuus inditus pennis est jacosus (*sic*),
Et, quasi gemma, micas satis inter aves speciosus.

Cui Pavo : Quid proderit species pennarum,
Cum mea sit dulcior vox lu[s]ciniarum?
Et Juno : Si species cerne[re]s earum,
Multum gauderes hoc munus sumere carum.

Sed et Juno protinus addidit effari :
Vis tu mores sapientium imitari?
Tene rem quam possides et noli scrutari
Quæ retinere nequis; tali potes arte juvari.

Moralitas.

Hic nos monet sedulo contentos haberi
Fortunæ muneribus, nec multum moveri
Ad opes difficiles, in quibus torqueri
Mens humana potest, quia non dignantur haberi.

XXIII. — DE LEONE ET OVIBUS.

Contigit in pascuas fertiles morari
Oves et Arietes nec quoquam turbari.
Leo venit, iterum volens quid prædari.
(Fol. 204 *a*) Mox rapiebat Ovem, cupiens illa satiari.

Hoc ut omnes pariter Bidentes viderunt,
Pro ruina sociæ non condoluerunt;
Sed morantur fatue, nec fugam ceperunt,
Dicentes : Non nos tangit Leo, nec timuerunt.

Quod ut Leo viderat, ferox effrenatur :
Quod nulla(m) de sociæ morte contristatur,
Singillatim singulas Oves populatur,
Inter quas Aries (n)ullus sine morte moratur.

Moralitas.

Mox ut vidit Aries se periclitari,
Ausus est sævitiam Leonis affari :
Merito jam patimur sic excruciari,
Consociæ nostræ quia nolumus miserari.

Proverbium.

Hic docet quod nequiter nobis sociantur,
Si nostris miseriis non compatiantur.
Infideles potius quam fidi vocantur,
Qui, cum dampna vident, nobis non auxiliantur.

XXIV. — ITEM DE AVIBUS.

Aves verno tempore dudum convenerunt
Et sonoris vocibus cantus ediderunt;
Quæ Virum cum virgulis viscatis viderunt;
Sed fatue nullam penitus fraudem timuerunt.

Tunc una mitissima cœpit proclamare :
Virum pium video nobis præparare
Vias, nostri miserens, et luget amare,
Nobis compatiens. Sic nos se monstrat amare.

Sed una præ ceteris prudens habebatur :
Dicens quod insidias hic vir machinatur,
(Fol. 204 *b*) Fugam monet; sed ejus vox non acceptatur.
Denique quæque ruunt; indempnis sola moratur.

Moralitas.

Hic docti consilium monet acceptare,
Per quod vitæ valeas dampna devitare.
Si prudentis dogmata non vis auscultare,
Rem stultam facies et eris stultissimus a re.

XXV. — DE PATRIA SIMIARUM.

Simiarum patria forte devulgatur;
In qua manent Simiæ, quibus principatur
Quidam princeps Simia, qui rex vocitatur,
Nimirum quoniam (bene) ruf(f)o crati (*sic*) dominatur.

Duo viri fuerant, quorum retulere
Nomen uni Subdolus, alter Verax vere;
Simiarum patriam simul adiere,
Pergentes pariter, sed dispariter rediere.

Mox unus e Simiis, viros ut videbat
Coram rege positos, astare jubebat.
Quid de rege dicerent ex hi(i)s inquirebat.
Subdolus ille quidem prima sic voce ferebat.

Tu rex, inquit, nobilis jure collocaris
Et stipatus militum turba gloriaris.
Ait rex : De curia mea quid testaris?
Nobilis est, inquit, et tu tantis dominaris.

Tunc rex Subdolo dona multa conferebat,
Et alter Veridicus intra se dicebat :
Mea michi veritas semper succurrebat;
Munera plura feram quam mendax ille ferebat.

Tunc princeps Veridicum taliter affatur
Quid de se, quid de suis sibi videatur.
Omnes esse Simias Verax protestatur.
(Fol. 205 *a*) Quapropter morte multatus mox cruciatur.

En vides veridicum pœnis flagellari
Et virum falsidicum præmiis donari.
Plures in hoc sæculo sunt, qui modo pari
Pro modico lucro cupiunt mendacia fari.

Moralitas.

Hic fallaces indicat fore gloriatos
Sermone mendacii mundo sublevatos.
Facit tamen veritas mendaces fugatos
Veracesque suos in finem glorificatos.

XXVI. — DE LEONE ET ASINO.

Quondam rudis Asinus Leonem precatur
Fore sibi socium, cum quo gradiatur;
Ambos montem scandere pariter [h]ortatur,
Ut Leo discernat quæ laus Asino tribuatur.

Asinus ab omnibus bestiis jactavit
Se timeri, quia sic Leonem putavit
Terrere non domitum; sed stultus erravit,
Quod tantæ laudis titulo se glorificavit.

Ut uterque verticem montis conscendebat,
Asinus horribili voce perstrepebat;
Cujus sonum bestia quæque sic timebat,
Quod tanto trepida terrore fugam capiebat.

Tunc Leo : Num niteris unquam me terrere?
Vox tua nil poterit contra me valere.
Heus! insontes bestiæ, quæ te sic fugere,
Quas vox, non virtus, fecit te sola timere.

Proverbium.

Hic verbosos exprimit qui sic extolluntur,
(Fol. 205 *b*) Qui vanis sermonibus vane potiuntur.

Moralitas.

Dum se melioribus præferre nituntur,
Stultitia propria reprobi mox efficiuntur.

XXVII. — DE LEONE ÆGROTO.

Olim Leo, simulans ægrotum se fore :
Quis, inquit, compatitur nobis in languore?
Huic accurrunt bestiæ, major cum minore,
Incautas rapido passim quas doverat (1) ore.

Sed ejus versutia Vulpem non lædebat,
Qui cunctis astutior eminus sedebat;
Quem (*sic*) [Leo] prospiciens sic plangens ferebat :
Cur nos contempnit qui propri(m)us esse solebat?

Vulpem loqui calido sic ferunt exorsum :
Ducunt hæc vestigia quæ videmus corsum (*sic*);
Me terrent pergentium calces atque dorsum,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Moralitas.

Sic ne credas cupido cui nemo carus.
Cum tendit insidias ejus, recte rarus
Est homo qui transeat imprudens et gnarus.
Semper cogit opes, nunquam satiandus, avarus.

(1) *Sic pro* devorat.

XXVIII. — DE VIRO ET LEONE.

Vir et Leo steterant in conflictu gravi
De sua potentia atque de sua vi.
Rationes partium sedulo notavi;
Scire rei seriem totam mentem comodavi.

Mox in testem protulit vir quandam picturam,
Leonis et Hominis habentem figuram,
In qua Vir subdiderat Leonis naturam.
Ars ita fingebat; sed rem dubito fore puram.

(Fol. 206 *a*) En probat ad oculum, Vir dicebat ei,
Pictura quæ subjacet. Et eventus rĕi,
Quod prostratus vinculis dominaris mei;
Clarius ista patent cujusvis luce diei.

Quis picturam fecerit Leo perscrutatur?
Manu, refert, Hominis illa fabricatur.
Ergo, cum hæc gratia nobis concedatur,
Pingemus veluti Leo vincit, Homo superatur.

Veni nu[n]c ad theatrum, et ostendam tibi
Virorum cadavera, quæ sunt nobis cibi.
Licet sint innumera quæ videbis ibi,
Sunt multo plura; non possunt omnia scribi.

Moralitas.

Hac docemur igitur altercatione :
Virtus in operibus est, non in sermone.
Palmam parit veritas omni in agone;
In vacuis verbis est gloria vana coronæ.

XXIX. — DE CAMELO.

Rem jam vobis referam sermone fideli :
Pridem Pulex insilit in dorso Cameli.
Ad augmentum sarcinæ pilis hæret veli;
Corde tumet misero vectus quasi culmine cœli.

Lucis [h]orologio deorsum tendente,
Ad Camelum loquitur fastuosa mente :
Laborasti nimium, me te comprimente.
Liber eas, ne tu careas virtute repente.

Opulenta bestia : Cui nocuisti?
Te non sensi penitus, quando ascendisti,
Neque fero levius, quod me reliquisti.
(Fol. 206 *b*) Credo nocere michi velles, tu, si valuisti.

Moralitas.

Ostendit hæc fabula hos insipientes,
Qui sese magnificant, nihilque valentes.
Hos ducunt pro nichilo quique sapientes,
Cum mala nec valeant, bona nec sunt inpedientes.

XXX. — [DE FORMICA ET CICADA.]

Contigit in hyeme quando nix algescit,
Rosa jacens marcida redolere nescit.
Cicadam pen[n]uria famesque compressit.
Gaudet eo provida Formica quod annua gessit.

Ad Formicæ januam resedit mendica,
Panem sibi postulans. Cui refert Formica :
Quid æstivo tempore fecisti, amica?
Cantasti? Salta modo; gloria sit tibi si qua.

[*Moralitas.*]

Monet nos hæc fabula ut sic laboremus,
Operemur sedule, dum tempus habemus,
Quia, quod hic serimus, tunc plane metemus,
Hæc lux cum finit, operari nilque valemus.

XXXI. — [DE OVE ET CORVO.]

Corvus carnem sitiens, stans super Bidentem,
Eam rostro laniat nil contradicentem.
Voce cum humili tetigit sic mentem :
Num canis hoc sineret? Quid laudis adire tacentem?

Senem doces, retulit, et edoctum satis.
Semper innocentiæ ingero me gratis.
Pugna non indigeo; parco sed armatis,
Et canibus parco cunctisque nocere paratis.

[*Moralitas.*]

(Fol. 207 *a*) Corvo quædam similis gens est [s]celerata;
Solum non nocentibus nocere parata,
Resistentes affugit, ut Lupus ad prata;
Militis arma tamen gerit hæc gens heu! simulata

XXXII. — [DE HIRCO, LUPO ET VULPE.]

Hircus altis cornibus, statura procera,
Villosus et hippidus (*sic*), deformisque fera,
Perrexit ad nundinas, non cum merce mera,
Portans Caprarum pelles baculo sine perâ.

Cumque diu contigit illum processisse,
Tunc vidit in obviam Lupum occurrisse.
Hircum ferunt fugere Lupum voluisse;
Sed quia magnus erat illum credo puduisse.

Illis concurrentibus, Lupus salutare
Cœpit Hircum taliter : Salveris, mi care;
Videro sub pondere te nunc laborare.
Si me permittis, possum te, spero, juvare.

Illis jam pergentibus [venit] finis diei.
Lupus Hirco dixerat : Ecce noti mei
Domus; pro me comite carus eris ei.
Ergo pergamus illic causa requiei.

Descenderunt pariter, Lupus in cavernam.
Fit Hircus : Jam non sequor doctrinam paternam.
Puto quod decipiar vel quid novum cernam;
Namque domo rufi monuit quod non mihi sternam.

Cui Vulpis egrediens conatur blandire.
(Fol. 207 *b*) Pretium conradii vultis, inquid, scire.
Hircus : Quod appreciat nolo præterire.
Innuit atque Lupo, ne vel hunc permittat abire.

Illis consedentibus Vulpis ministravit,
Vulpis mensam posuit, Vulpis ordinavit.
Ubi tamen exiit, illic non intravit;
Quod Caper aspiciens interno corde notavit.

Tandem ad pitanciam moros asportavit,
De quibus avidius Caper manducavit.
Hædos cibum reliquum duos æstimavit,
Sed moros denos, et non minus appreciavit.

Vulpis ait : Recole, frater, quid dixisti;
Legem libens patere quam sponte subisti :
Quod noto fit pretium cibi, sic aisti.
Per spes juro meas, reddes quodcunque vovisti.

Sic Hædos duodecim coactus est dare,
Et noctis conradium satis emit care.

[*Moralitas.*]

Monet nos hæc fabula rufos evitare,
Quos color et fama notat illis sociare.

XXXIII. — [DE LUPO ROMAM PETENTE ET NAUTA.]

Fuit quondam Presbiter senex et sensatus
Armentis et Ovibus (h)[ab]unde ditatus.
Cujus diu copia Lupus inpinguatus
Incidit in pedicas tandem misere laqueatus.

Quem, cum captum tenuit, cœpit fustigare.
Coactus est veniam Lupus postulare :
(Fol. 208 *a*) Deo, refert, voveo me non plus peccare
Et tibi confiteor pro me, pater alme, precare.

Ne conte[m]pnas lacrimas mentis tam devotæ;
Michi pœnitentiam conjunge, rogo te.
Nudis, inquid, pedibus ibo Romam pro te;
Atque mei meriti jam participem facio te.

Post ictus et ferulas passionis diræ,
Sacer ille Presbiter pietatis miræ
Lupo parcit rabido, nolens hunc perire,
Ut commissa luat Romam quo jussit adire.

Spreta Lupus patria paternoque Lare,
Romam petens illico, pervenit ad mare.
Ad navem se contulit, volens tran[s]fretare.
Frater, ait Nauta, transibis non sine qua re.

Hic preces multiplicat illeque negavit.
Lupus ait : Genitor meus prophetavit;
Tria quondam monita michi commendavit :
Hæc monstrabo, licet fieri secreta rogavit.

Conducto navigio receptus est navi.
Afflictus jejunio sed et fame gravi,
Descendebat protinus navis in conclavi,
Tractus odore cibi simul illectusque suavi.

Quicquid illic reperit, devoravit totum,
Nil relinquens penitus nec pastum, nec potum.
Tamen habens labium ad orandum motum,
(Fol. 208 *b*) Sic jacuit, reddens quasi flexo poplite votum.

Coram Nauta reddere promissum citatus,
Semel, bis et tertio est associatus.
Tandem post multiplices minas sic est fatus :
Qui bona dat justo, bonus est de jure vocatus.

Mauta (*sic*) refert : Verum est, sed quid docuisti?
Ante totum scivimus quicquid nunc dixisti;
Forma reddes alia quid tu promisisti.
Non evades; sic prosit mihi passio Christi.

Post longum letigium (*sic*) rixæque furoris
Replicat op[p]ositum sermonis prioris.
Hinc magis accenditur animus Rectoris.
Nos deridet, ait; nihil inde sequetur honoris.

Coram Nauta denique Lupus accercitus (*sic*),
Super rebus graviter promissis quæsitus :
Cautos, ait, faciam vos, licet invitus.
Qui pravo servit, arat ille nichil nisi li[t]tus.

[*Moralitas.*]

Tangit hæc parabola modum perversorum,
Qui mala retribuunt pro factis bonorum;
Sanctitatem simulant, vanum cor eorum.
Hi(i)s bona si confers, sunt præmia nulla laborum.

XXXIV. — [DE CERVO, HERINACEO ET APRO.]

Cervus et Hericius (*sic*) agrum consevere,
Quem, cum seges creverat, vastaverunt feræ.
Super hoc consilium simul iniere,
(Fol. 209 *a*) Quis custodiret agrum, sortemque dedere.

Cervus, custos segetis primo deputatus,
Hanc cum feris reliquis est depopulatus;
Quod, cum su(u)us socius fuit perscrutatus,
Rem tulit indigne, dampnum portare gravatus.

Cerno, frater, retulit, tu nos ambos prodis.
Ego te solertior omnibus sum modis.
En minus sol[l]icite rem nostram custodis,
Irasci dum tu vicinis pluribus odis.

Si placet, custodia michi deputetur,
Ne pars hæc quæ remanet feris devoretur.
Si mihi vis credere, cum fructu metetur.
Hoc tibi, Cervus ait, pacto non cura negetur.

Custos agri pervigil circuit attente,
Perterrendo bestias buccina clangente.
Hinc maturæ tempore messis im[m]inente,
Campum partiri studuit, Cervoque monente.

Tota die pertica illum metientes,
Non secum conveniunt, sed sunt dissidentes.
Conflictu non impari mane concurrentes,
Partibus imparibus sibi non sunt convenientes.

Aprum die tertio Cervus secum duxit;
Formam litis initæ prudenter instruxit;
Ut litem dirimeret, judicem conduxit;
(Fol. 209 *b*) Nam nimis ecce diu litis discordia fluxit.

Aper, sagax arbiter, partes convocavit.
Stabitis judicio vos meo? rogavit.
Illis concedentibus, diem protelavit;
Nam nox instabat; sic ad sua quisque meavit.

Mane facto siquidem lis est renovata.
Ab Apro sententia fertur promulgata :
Hæc persona semper sit agri dominata,
Quæ citius sepis poterit percurrere prata.

Heu! me, fit Hericius, non est curæ
De Cervi longissimo deque modo (*sic*) crure.
Hoc est impossibile contra jus naturæ
Ut michi perveniat illo victoria jure.

In hunc modum quæritans, flens domum perrexit;
Quem ut sua Mulier dolentem conspexit,
Quærere quid hoc sit minime neglexit.
Ille rei seriem fido sermone retexit.

Tunc ait Hericia, veritate scita :
Notum tibi satis est, quod nos s(c)imus ita
Conformes et similes in hac ambo vita,
Ut mens descernat (*sic*) inter nos nulla perita.

Igitur consilium sanum tibi dabo :
Vobis simul stantibus, ego contra stabo;
Cum ad me cucurrerit, tunc ego clamabo :
Perveni citius; ex hoc tibi prata negabo.

(Fol. 210 *a*) Hoc idem tu facies, donec sit confusus
Et recedat penitus lassus et illusus.
Hoc artis ingenio Cervus est conclusus;
Contra spem misero fructus conceditur usus.

[*Moralitas.*]

Igitur a simili Deus, rector poli,
Superbos humiliat, mites jubet coli,
Et, quia non omnia præstat uni soli,
Corporis exigui vires contempnere noli.

Hoc designat fabula, quam modo narravit,
Uni quod Omnipotens cuncta non donavit,
Sed ex parte erigit quos ex parte stravit :
Consilio pollet cui vim natura negavit.

EXPLICIT.

In Musei Britannici eodem codice Addit. 11619, legitur quoque fol. 205 *b* in calce :

Est res enormis, cum fuerit Hircus endormys,

et fol. 206 *a* :

Cum sit deformis, bene debuit esse dehor mys.

PARS SECUNDA

FABULÆ

TAM PROSAICÆ QUAM RHYTHMICÆ,
EX PRISCIS ROMULI FABULIS
SIMUL ATQUE ALIIS ORTÆ.

FABULÆ,

DICTÆ

ROMULUS MARIÆ GALLICÆ,

EX GALLICÆ NATIONIS BIBLIOTHECÆ CODICE
MS. LATINO 347 C,
CUM EJUSDEM BIBLIOTHECÆ CODICIS MS. LATINI 347 B
VARIIS LECTIONIBUS, EDITÆ.

(Fol. 159 *b*, col. 2.) — I. — [DE DUOBUS HOMINIBUS, VERACI ET FALLACI, ET SIMIIS.]

Duo homines, unus Verax, alter Fallax, venerunt in provincia[m] Simiorum. (Fol. 160 *a*, col. 1) Tunc Simius (1) qui ceteris præerat, sedens in cathedra veluti imperator, astantibus aliis circumquaque, dixit illis hominibus : Quis sum ego, et qui sunt isti qui me circumstant? Fallax vero ait : Tu es Imperator et isti sunt comites tui, primicerii, milites et cetera officia. Ille ergo laudatus est in mendacio et munerari jussus, quia adulatus est et fefellit omnes. Interrogatus et Verax ab illo : Quid tibi de me videatur et de mihi astantibus? respondit : Tu Simius et hii omnes Simii similes sunt tibi. Continuo jubetur dentibus lacerari et unguibus, eo quod dixerat (dixerat) veritatem.

Sic solet a malis hominibus falsitas commendari et veritas acerari.

II. — [DE VULPE.]

Vulpes fame coacta uvam sursum pendentem conspexit, et in altum se erigens conatus est eam contingere. Sed nequivit. Tunc irata ait : Nolo te unam (*sic*) immaturam, insipidam et acervam, et sic, quasi eam contempnens, recessit.

Sic quidam illa, quæ facere nequaquam (2) possunt, verbis tamen se posse, sed nolle ostendunt.

(1) 347 B : Simius *deest*. — (2) 347 B : nequidquam.

III. — [DE ASINO ET LEONE.]

Asinus e diverso Leoni occurrit et ait : Ascendamus in montis cacumine et ostendam tibi quia multi me timent. Cum autem venissent ad lous (*sic pro* locum) petitum, cœpit Asinus rugitum emittere horribile[m] et clamare; quod audientes Vulpes et Lepores cœperunt currere contra montem. Cui Leo ait : Poterat et me terrere vox tua, si non te scirem quis (1) esses.

Sic quidam nichil virtute valentes, alios tamen inanibus verbis terrent.

IV. — [DE LEONE ET VULPE.]

Leo, senectute deficiens, simulabat languorem, et per hanc fraudem, cum ceteræ bestiæ ad ipsum visitandum intrarent, ipsas mox interficiens comedebat. Vulpes autem, ante speluncam ejus veniens, stetit et ipsum a longe salutavit. Interrogata a Leone cur nollet intrare, respondit : Quia introeuntium vestigia diversa conspicio, exeuntium vero (2) nulla.

V. — [DE BOVE ET LUPO.]

Bos, in valle quadam gramina pastum quærens, vidit Lupum de prope venientem, et, cum fugere non valeret, timidus expectavit. Cui Lupus : Quid, inquit, hu(n)c venisti? Te, inquit Bos, diu fugiens huc veni (3). Et ego, ait Lupus, te (col. 2) per totum annum istum quæsivi, tuis cupiens carnibus satiari. Ecce, inquit Bos, me ad tua vota paratum. Tantum unam peto a te gratiam, ut scilicet liceat mihi in hunc montem ascendere et ibidem pro anima mea et tua salute Dominum precari. Quo facto, statim ad te descendam. Vade, inquit, et ora breviter et succincte, caveasque ne traxeris ibi moram. Ascendit itaque in montis vertice[m] et boatu tam terribili exclamavit, ut ex ipso mugitu ostenderet Lupum gregibus inminere. Quod audientes pastores et rustici, qui ex parte alia montis erant, accurrerunt cum canibus qui Lupum diris morsibus discerp[s]erunt. At ille

(1) 347 B : scire quid. — (2) 347 B : non. — (3) 347 B : perveni.

ululans ait Bovi : O frater, male pro me orasti. Satis apparuit ex clamore, quod oratio tua non erat mihi benivola, sed hostilis. Ego, inquit Bos, pro te oravi juxta id quod mihi facere voluisti. Sciens enim me nullam a te inpetra(r)turum misericordiam, oportuit me esse sollicitum de me ipso.

Sic falluntur quamplures, animam suam aliis committentes, qui de propria utilitate magis cogitant verborum negotiis derelictis.

VI. — [DE CATO ET VULPE.]

Consociati Catus et Volpes, per quoddam planum pariter transeuntes, ad quamdam albam spinam venerunt, sub qua pausantes, simul confabulari cœperunt. Tunc ait Catus Vulpi : Quomodo te de(f)fenderes, si venatores cum canibus ex improviso adessent? Respondit : Artes et ingenia multa novi. Insuper et plenum cautelis specialibus saccidum (*sic pro* sacculum) mecum porto, quibus me tuar in adversis. Non expedit, inquit Catus, tibi ulterius sociari qui unam solummodo artem novi : ascendere videlicet in excelsa quo ascendere non valeant hostes mei. Ipsis itaque colloquentibus, ecce subito venatores cum canibus affuerunt. Cato autem in spinam celeriter ascendente, canes insequ[u]ti Renardum cœperunt ejus pelliciam (1) morsibus lacerari (*sic*). Solve, inquit, solve sacculum cautelarum, et tantis astutiis te de(f)fende. Cui Renardus : Unicam (fol. 160 *b*, col. 1) artem tuam omnibus meis astutiis nunc præferrem.

Sic contigit frequenter, quod plus prodest in placito verbum unicum probi hominis (2) et veracis, quam multæ falsorum fallaciæ tortuosæ.

VII. — [DE SCRABONE SUPERBO.]

Scrabo (*sic*) quidam, de fimario exiens saturatus, vidit Aquilam in alto volantem et magnum (3) aeris spatium in modico temporis spatio transeuntem. Tunc, propriam dedignans naturam, sociis suis dixit : Ecce Aquila, rostro ferox et unguibus,

(1) 347 B : pelliceam. — (2) 347 B : unius probri hominis. — (3) 347 B : multum.

fortis corpore, velox al(l)is, cum volt (*sic*), usque ad nubes ascendit et ad libitum suum velociter ima petit. Nos vero, misera naturæ conditione depressi, nec cum vermibus nec cum avibus computamur. Verumptamen Aquila nec voce suavior, nec colore nitidior me existit; fimarium de cetero non intrabo. Quin imo, volucribus me conjungens, cum ipsis ubicumque volitans conversabor. Tunc in altum se tollens canere cœpit murmure satis turpi, et, dum sequi Aquilam in sublimibus niteretur, auram asperiorem non sustinens cecidit, concussus et attonitus, longe extra terminos assuetos, ubi fame periclitans ait tristis : Animo non curarem utrum vermis aut volucris reputarer, dum tamen ad antiquum possem fimarium pervenire.

Sic superbi, dum se præsumptuose eliciant, eliduntur. Ambitis quoque frustrati commodis, etiam consuetis privantur.

VIII. — [DE DIVITE QUI SANGUINEM MINUIT.]

Medicus quidam, Divitis curam gerens, ipsum de brachio minuere sibi fecit, ut post modum per inspectionem sanguinis de statu ipsius certior reddere[tur]. Porro Dives cruorem illum custodiendum filiæ suæ dedit, qui, minus caute custoditus, in terram totaliter est effusus. Timens itaque puella patris offensam, de brachio proprio sanguinem fecit extrahi et infrigidatum Medico inspiciendum optulit. Quo inspecto Medicus Diviti intimavit quod esset puero masculo (1) imprægnatus. Super quo portento Dives nimis admirans et tristis, vocata ad se filia, nunc blandius nunc rigidius ei loquens, tandem ab ea totius rei di- (col. 2) dicit veritatem, sciens jam filiam suam, quam virginem putaverat, imprægnatam.

Sic mendacibus frequenter evenit et dolosis, ut ex ipsis, quibus latitare putant, fallaciis se doleant apertius deprehensos.

IX. — [DE MULIERE ET PROCO SUO.]

Cum quidam Rusticus videret Uxorem suam versus nemus cum suo incedere leccatore, cucurrit illac, ira vehementer accen-

(1) 347 B : masculo puero.

sus. Porro, adultero fugiente et per nemoris latebras evadente, Rusticus Uxorem suam durius increpabat. Quæ, quasi admirans, causam tantæ increpationis ab ipso quæsivit. Quo respondente se vidisse adulterum secum ire, exclamavit Mulier voce magna : Heu ! me, inquit, miseram ! Nunc certissime scio infra triduum morituram, quia tam matri meæ quam aviæ sic evenit ut, paululum antequam morirentur, quidam juvenis ipsas comitabatur, cum tamen hoc penitus ignorarent. Non audeo in statu seculari remanere ulterius. Oro ergo ut omnia bona nostra inter nos æqualiter dividamus, quia, cum omnibus qui me contingunt, volo statim aliquam religionem intrare. Quod audiens avarus Rusticus dixit ei : Noli, inquit, amica mea, noli hoc facere. Certissime dico tibi quod nullum hominem vidi tecum. Non audeo, inquit Mulier, remanere ; quin imo cogitare debeo de animæ meæ salute. Attendo insuper quod semper improperares mihi crimen impositum. Nequaquam, inquit Rusticus, improper(i)um aliquod tibi dicam, nec enim aliquod malum in te vidi. Sed verba, quæ protuli, ludens finxi. Jura ergo mihi, inquit Mulier, coram parentibus tuis, quod nullum vidisti et quod nunquam quocumque iero me sequeris, nec mihi improper(i)um ullum dices. Libenter, ait Rusticus, faciam quicquid petis. Tunc iverunt ad quoddam monasterium, ubi, tactis sanctorum reliquiis, omnia quæ promiserat adimplevit.

Hic dicitur, quod mulier habet omnes artes Dyaboli et adhuc ulterius artem unam. De visis enim decipit veluti de non visis.

X. — [DE VOLUCRIBUS ET REGE EORUM.]

Volucribus quondam pro rege sibi eligendo ad consilium congregatis, audita est vox Cuculi a longe concinentis. Omnes vocem (1) tam sonoram et claram laudabant. Sed avem quæ vocem emiserat ignorabant. Dicebant avem tantæ facundiæ et tam claræ populi regimine dignam esse, (fol. 161 *a*, col. 1) dum tamen actus et animum cantibus adæquaret. Miserunt ergo Mesangam ad

(1) 347 B : nocere.

contemplandum ejus continentiam et staturam. Quæ veniens sedit (1) in arbore juxta eam, viditque Cuculum quasi tristi vultu (2) et demisso capite nulla nobilitatis indicia, sed in(h)ertiam potius et desidiam cordis prætendentem. Volens adhuc Mesenga Cuculi conditiones ulterius experiri ascendit in arborem supra eum, et super dorsum ejus fœditates (3) egessit, nec propter hoc Cuculus in aliquo se commovit. Tunc Mesenga, rediens moresque Cuculi reprobans et detestans, ipsius inhertiam ceteris avibus nuntiavit et qualiter ulcisci (4) dedecus quod sibi intulerat non est ausus. Quomodo, inquit, contra avem magnam se de(f)fenderet, qui mihi avium minimæ resistere non audebat? Absit ut talem nobis in principem eligamus, sed potius aliquem sapientem, fortem viribus et audacem. Assensu ergo omnium fecerunt Aquilam sibi regem, quam dignam imperio judicabant tanquam statura procerum, rostro armatum (5) et unguibus, probum contra incursus hostium defensorem, justitiariumque fortem et rigidum, ac victu aliunde, parsimonia temperatum, nec superfluis rapinis proprio sibi subjecto infestum. Simul etenim saturatus, pluribus diebus jejunat, sciens dignitatem regiam non decere continuis populum vexationibus conculcare.

Hoc exemplo docetur plebs, quemlibet dominum vel judicem electura, ne (6) miserum quemvislibet verbi pomposum præficiant, immo talem, qui virtute valeat iniquitates irrumpere (7) et hostium insultibus obviare.

XI. — [DE EQUO VENDITO.]

Rusticus, Equum quemdam quem nutrierat venditurus, ipsum ad pretium viginti solidorum taxavit. Quidam vero Vicinus ejus Equum volebat emere. Sed de pretio aliquid minuere cupiebat. Convenerunt tandem in hoc, quod de pretio Equi starent arbitrio primi hominis, qui eis (8) ad forum venientibus

(1) 347 B : seditque. — (2) 347 B : voltu. — (3) 347 B : feconditates. — (4) 347 B : ulscici. — (5) 347 B : armatum *deest*. — (6) 347 B : nec. — (7) 347 B : errumpere. — (8) 347 B : *Verba* qui eis *desunt*.

obviaret. Contigit autem ipsos cuidam monoculo obviare. Qui, de Equi valore seu justo pretio requisitus, asseruit decem solidos justum pretium ejus esse. Placuit verbum Emptori qui dicebat sibi ex pacto Equum pro tanto deberi. Sed Venditore ei acriter resistente, statuta (1) est lis coram judicibus terminanda. Cumque Emptor pro se pactum, quod inter se fecerant, allegaret, ipsumque (col. 2) appretiatorem eis ignotum non debere haberi suspectum, respondit Venditor se ejus taxatione non debere teneri; cum enim esset (2) monoculus, partem alteram sive tantum dimidium Equi vidit (3) et ideo dimidium justi pretii prætermisit. Quo audito, riserunt judices et litem converterunt in jocum (4), et Rusticus cum Equo suo domum rediit a Vicini calumpnia (5) liberatus.

Sic sapiens in periculo nonnunquam se adjuvat (6), dum verba sua, quamvis ponderis realis minus habentia, similitudini rationis prudenter adaptat.

XII. — [DE ACCIPITRE ET BUBONE.]

Accipiter in nemore quodam tantam cum Bubone contraxerat amicitiam, ut ova Bubonis cum suis in proprio nido foveret. Cum autem eduxisset pullos e testis, et pro cibo eis acquirendo in nemus volasset, pulli Bubonis fœdaverunt turpiter nidum ejus. Quod cum rediens comperisset, pullos suos graviter increpavit, dicens se in illo nemore nidificasse per decennium et nunquam ante tantam in pullis suis inhonestatem vidisse. Cui pulli Accipitris responderunt : Non ex nohis est hæc fœditas, sed ex hiis fratribus nostris, quorum capita miramur nostris capitibus grossiora. Tunc ait Accipiter : Ova Bubonis fovere et pullos possum educere, sed eorum naturam mutare non possum; maledicta, inquit, sit nutritura, quorum tam vilis et tam fetida est natura.

Idcirco dicitur quod, licet id quod naturaliter inest occultari possit ad tempus, in fine tamen, prodiens quale fuerit, se ostendet.

(1) 347 B: statua. — (2) 347 B: esset *decst*. — (3) 347 B: dixit. — (4) 347 B: jocus. — (5) 347 B : callumpnia. — (6) 347 B : adivat.

XIII. — [DE AQUILA ET ACCIPITRE.]

Aquila quondam in Accipitrem excanduit ira gravi. Ipsumque persequitur, avibus ceteris comitata. Sed Accipiter fugiens cavernam cujusdam rupis ad sui tuitionem intravit. Aquila vero exterius cum suis tractabat baronibus quis eorum ad ipsum extrahendum aptior videretur. Tandem Gruem, quæ collo longo posset (1) ad ipsum perstringere, ad hoc officium elegerunt. Cum igitur Grus appropinquans protenso (2) collo caput mitteret in cavernam, Accipiter, absque mora caput ejus utriusque pedis unguibus apprehendens, fortiter illud strinxit. Grus vero, tam subita irreptione perterrita unguiumque pu[n]cturas (3) non sustinens, ejectis a parte posteriori fecibus, Aquilam et aves ceteras prope stantes fœdavit. Cum autem ab Accipitris unguibus evasisset, nimio confusa pudore super eo quod acciderat, (fol. 191 *b*, col. 1) e patria fugiens, in ignota regione disposuit conversari. Arrepto igitur itinere, cum ad maris medium pervolasset, Moetæ cuidam obviavit, quæ suæ migrationis causam quæsivit. Cumque Grux (*sic*) quod sibi acciderat enarrasset, quæsivit Moeta an post se anum suum reliquisset. Quæ respondit quod non, immo illum ubique secum portaret. Consulo (4) igitur, inquit Moeta, ut rediens in propria patria converseris (*sic*). Eadem sive consimilis inhonestas tibi contingere posset in alia regione. Cui Grus assentiens est reversa.

Sic plerisque contingit, quod, postquam in patria sua dereliquerint (5), infames effecti, in terram alienam fugiunt, ubi post modum consimile vel pejus delictum incurrunt. Non enim patria, sed animus mutandus.

XIV. — [DE LUPO ET MULTONE.]

Lupus quondam, de malefactis suis pœnitere disponens, vovit se non comesturum carnes a Septuagesima usque Pas-

(1) 347 B : post se. — (2) 347 B : extenso. — (3) 347 B : punctura. — (4) 347 B : Cum. — (5) 347 B : derelinquerint.

ca (1). Post modum vero videns quemdam (2) pingem Multonem solum in (h)ora nemoris gradientem, dicebat : O quam libenter de hoc Multone comederem, nisi essem voto ad contrarium obligatus! Verumptamen ex quo solus est, nisi ego de eo curaverim (3), aliquis forte hac parte transiens eum tollet. Expedit igitur ut loco unius salmonis eum comedam, cum salmo sit cibus delicatior et hoc quadragesimali tempore carius vendi possit. Multonem itaque rapuit et comedit.

Sic est de quibusdam, qui malorum assuetudine animum habent ita perversum, ut contra suarum illecebrarum desiderium neque juramentum valeat, neque votum, quin imo, nacta qualibet occasiuncula, protinus recidivant.

XV. — [DE HIRUNDINE ET PASSERIBUS.]

Cum Rusticus quidam frumentum quod collegerat in suo granario posuisse[t], Hyrundo, ibidem nidificans subter trabem, Passeres illuc vocavit, qui per fenestras intrabant et frumentum Rustici consumebant. Quod cum Rusticus advertisset (4), laqueos et retiacula capiendis Passeribus adaptavit. Sed ipsi, ab Hyrundine præmoniti, illuc venire per aliquantulum temporis cessaverunt. Comperiens tandem Rusticus propositum suum per Hyrundinem revelatum, ablatis [H]yrundinis retibus, cœpit asserere alta voce, quod nulli avium de cetero esset infestus nec aliquam capere niteretur. Quo dicto, granarium suum exiens (5), laqueos et diversa ingenia teten-(col. 2)dit Passeribus in occulto. Hyrundo autem, dicto (6) Rustici præstans fidem, Passeres ut ad frumentum redirent commonuit, et quod hoc secure possent facere nuntiavit. Illis ergo redeuntibus et comedentibus de frumento, laxavit Rusticus ingenia, quæ contra fenestras tetenderat in occulto, et, includens eos in granario, cepit omnes, et, dum eos occideret, unus eorum sic Hyrundini

(1) 347 B : ad Pascha. — (2) 347 B : quemdem. — (3) 347 B : cura verum. — (4) 317 B : avertisset. — (5) 347 B : granarium exiens. — (6) 347 B : dicti.

loquebatur : O falsam securitatem nobis a te promissam et letale convivium ad quod nostrum collegium invitasti! Cui Hyrundo respondit : Sic Rusticus mihi mentitus est (1). Et ego vobis similiter sum mentita. Sed nunc perpendo non esse credendum omnibus quæ dicuntur.

Sic plerique, facile credentes quæ audiunt, aliis frequenter nuntiant multa falsa.

XVI. — [DE APE ET MUSCA.]

Musca et Api[s] de valore sui contendentibus, ait (2) Musca : In multis quiescere valeo et sedere ubi nullus tuam præsentiam toleraret. Super caput regis et reginæ sedeo et de eorum scutella manduco. Quitquid autem tibi paraveris in æstate, auferetur tibi in hyeme, te insuper interfecta vel turpiter e domo tua ejecta. Te autem pereunte præ inopia, ego et socii mei (3) de melle tuo in mensa regia comedemus. Respondit Apis, et ait : Vera jam aliqua tetigisti, sed quod vilior me (4) reputari debeas facile est (5) videre. Sedeas ubi sedeas. Vadas quo vadas. Nunquam eris, propter aliquid quod feceris, honorata, quia ubique importuna et gravis omnibus es exosa. Ego autem, propter opera quæ facio, quamplurimum sum dilecta et custodior cum honore.

Sic quidam inutiles et in(h)ertes, cum fortuna eis ad tempus blanditur, proprios non attendunt defectus, sed se melioribus comparare præsumunt.

XVII. — [DE CORVO ET VULPE.]

Corvus, de fenestra quadam frust(r)um casei (6) recentis rapiens, asportavit, et, ad nemus veniens, in quercu resedit, caseum rostro tenens. Quem cum Vulpis stans sub arbore aspexisset, moliebatur insidias, quibus ipsum caseo defraudaret. Tunc ipsum collaudans ait : O miram pulc[h]ritudinem avis hujus! Decenti statura corporis et nitore pennarum non esset

(1) 347 B : mentitus mihi est. — (2) 347 B : ut *pro* ait. — (3) 347 B : me *pro* mei. — (4) 347 B : me vilior. — (5) 347 B : est *deest*. — (6) 347 B : cassi.

ei comparabilis ulla avis, si vocis venustas responderet decori. Hoc audiens Corvus, et laudis gloriam cupiens (fol. 162 *a*, col. 1) ampliorem, canere gestiebat. Sed, dum aperto rostro (1) inciperet crocitare, caseus in terra[m] cecidit juxta Vulpem, qui (*sic*), illum cum gaudio (2) suscipiens, dixit Corvo : Mihi cantasti optime, sed non tibi; habeo quod optabam; animo non curo utrum cantes (3) an plores.

Sic evenit frequenter gloriæ inanis cupidis, qui bona sua imprudenter dilapidant et amittunt, fictis adulantium laudibus delectati (4).

XVIII. — [DE RUSTICO ET BOVE.]

Rusticus quidam extraxit cum Bobus suis de stabulo suo fumum, quem ibidem fecerant iidem Boves. Illi autem improperaverunt Rustico frumentum et [h]ordeum ipsorum laboribus acquisitum, quibus ipse et domus sua sustentationem a multis annis habuerant satis amplam, nec decere eos tam vilibus operibus deputari. Quibus ille : Nonne, inquit, quod nunc extrahitis, vos ipsi fecistis? Hii inquiunt : Negare non possumus. Justum est ergo, ait Rusticus, ut domum meam, quam quiescentes fœdastis, vestris laboribus emundetis.

Sic est de servientibus, discolis et superbis, quod, si quid (5) bene fecerint, illud improperare non cessant, bonorum immemores receptorum. Defectus vero suos vellent semper sub silentio pertransiri.

XIX. — [DE LEPORE ET CERVO.]

Lepus quidam, Cervum conspiciens ramosis cornibus decoratum, conquestus est Jovi se debile pecus et mutilum nulli aliorum (6) formidatum. Petiit ergo tam ad sui tuitionem quam ad decorem cornua sibi dari qualia Cervus habebat. Dicente autem Jove quod non posset ea præ ponderositate nimia sustinere, respondit se optime cornua talia portaturum. Tunc, ju-

(1) 347 B : rostrus. — (2) 347 B : illum gaudio. — (3) 347 B : quod tu cantas. — (4) 347 B : delercati. — (5) 347 B : superbis, quid. — (6) 347 B : aliorum nulli.

bente Jove, creverunt ei cornua in capite ingentia et ramosa. Sed cum, nimis oneratus eisdem, currere non valeret, captus [est] a pastoribus et occisus.

Sic multi multa cupiunt, quibus, honorari credentes, confusionem incurrunt et mortem.

XX. — [DE LUPO ET SCRABONE.]

Lupo quondam (1) in sua cavea dormiente, intravit (2) Scrabro quidam in posteriora ipsius, qui evigilans non modico torquebatur dolore; cumque per augustia se (3) super terram hac illac diutius volutasset, Scrabro ex parte exiit qua intrarat. Quem Lupus conspiciens indignabatur se a tam modica et vili bestia tanta passum, et ait : O miser, quomodo ausus es meliorem te et valentiorem viribus infestare? Sed nunc, si alicujus valoris te reputes, congrega genus (4) tuum, proximos et amicos, ut cras, contra me et meos bellaturus, (col. 2) venias in campo. Quod cum ex utraque parte esset firmatum, venerunt in crastino parati ad pugnam, Lupus cum bestiis saltus et silvæ, Scrabro cum Scrabronibus et cum communi muscarum genere ac vesparum. Consilio autem Lupi obturaverunt bestiæ posteriora et vinculis desuper ligaverunt. Congressu autem inito, Cervum in yliis (*sic*) ictu pupugit (5) amarissimo quædam Vespa. Qui, acerbitatem puncturæ non sustinens, saliendo pepedit (6), et in posterioribus vincula rupit. Quod cum Lupus vidisset, fortiter exclamavit : Fugiamus, o socii, fugiamus, vincula jam rumpuntur. Quod si aliquandiu moram traxerimus, non est aliquis nostrum qui Scrabrones ac Vespas, unam vel duas, non habeat subter caudam. Quo audito omnes fugerunt.

Sic multis contingit frequenter, quod, imminente necessitatis tempore, a minoribus se, quos ante habuerunt despectui, cum confusione sui non modica superantur.

(1) 347 B : quodam. — (2) 347 B : interimit. — (3) 347 B : angustiasse. — (4) 347 B : cum genus. — (5) 347 B : pupugit et. — (6) 347 B : pedit.

XXI. — [DE LEONE INFIRMO.]

Ægrotante quondam Leone, ceteræ visitantes bestiæ dicebant perito ei medico opus esse. Consultæ super hoc ulterius ubi talis posset medicus reperiri, dixerunt se nullum scire peritiorem Renardo, qui tam bestiis quam volucribus loqui novit et diversa frequenter tractabat negotia cum utrisque. Citatus ergo Renardus ut ad regem veniret, per dies aliquos se subtraxit. Quadam vero nocte clam de caverna sua exiens, in scrobe quadam prope regis cavernam se abscondit. Inde auscultans, audivit regem de moræ suæ causa circumstantes bestias alloquentem. Responsa quoque ipsarum diligentius annotabat. Cumque diversa a diversis in regis audientiam dicerentur, venit Ysengrinus et ait : Nichil impedit Renardus venire ad curandum dominum nostrum regem, nisi sola protervitas animi sui nequam; propter quod ipsum, tanquam salutis regiæ contemptorem, pronuntio morte dignum. Tunc Renardus, vultu (1) gravis et incessu maturus, cameram regis intravit, ipsumque ex parte magistrorum in urbe Salernitana commorantium salutavit. Cumque rex sibi mortem comminaretur pro mora quam fecerat, ait regi : Quid facerem apud te, Domine mi rex, antequam certum salutis tuæ remedium mecum ferrem? Postquam autem tuum audivi mandatum, terras diversas peragrans Salernæ medicos adii consulendos, qui, cognito sintomate (2) morbi tui, hoc unum pro recuperanda salute tibi denuntiant remedium singulare, ut pelle lupina de corpore Lupi recenter extracta, ex ipso adhuc sangui-(fol. 162 *b*, col. 1)ne (3) calida et fumante, pectus tuum involvas. Hæc medicina te infra triduum (4) reddet sanum. Quo audito, jussu regis captus est Lupus et vivus excoriatus, ac pellis cum sanguine pectori regis applicata. Dimissus tandem a regis satellitibus, Ysengrinus cum in silvas fugeret sine pelle, sequens eum Renardus a longe clamitabat : O beati

(1) 347 B : voltu. — (2) 347 B : sinemate. — (3) 347 B : saguinem. — (4) 347 B : infra triduum te.

regis consiliarii, qui sic purpuram induunt et scarletam. Sed, quia absentem proximum linguæ aculeo pupugisti, patere nunc culicum stimulos et vesparum.

Sic evenit frequenter invidis et iniquis, quod, dum aliis mala fabricant, propriis laqueis innectuntur.

XXII. — [DE LEONE VOLENTE REGNUM SUUM DIMITTERE LUPO.]

Cum Leo quondam disponeret in terram longinquam peregre proficisci, convocatis bestiis, monuit ut regem eligerent loco sui. Quæ Lupum communi consilio elegerunt, quem contra adversarios fortem esse dicebant, asperum et audacem. Quibus Leo : Valens, inquit, animal elegistis, dum tamen animum adaptet justitiæ et mansuetudini, prout decet. Ut autem sub ipso vitam securam ducere valeatis, jurejurando se vobis astringat, quod nullum vestrum lædat injuste, et quod nunquam de cetero carnes edat. Quæ cum a Lupo requirerent, hæc et alia multa eis sub juramento concessit. Cum autem post recessum Leonis se securum et in dominio firmatum vidisset, cogitabat quo ingenio ab ipsis bestiis optineret (*sic*), ut ipsum debere carnes comedere judicarent. Tunc petiit a quodam Capreolo, ut sibi an fetidum haberet an[h]elitum judicaret. Qui respondit tantum ejus esse fetorem, quod eum tolerare non posset. Quo audito, Lupus bestias ad judicium convocavit, quærens ab eis quid deberet fieri de illo, qui in regis irreverentiam verba probrosa et ipsum deshonestantia protulisset. Responderunt quod talis, tanquam reus læsæ majestatis, mori deberet. Tunc per illud judicium interfecit Capreolum, intimans quid dixisset, et ad suæ palliationem nequitiæ sectum in frust(r)a suis distribuit baronibus, partem sibi ipsi retinens pinguiorem. Alias, cum esuriret, quæsivit a Dannula quid sibi de ejus an[h]e-(col. 2)litu videretur. Quæ, magis eligens mentiri quam mori, dixit se nunquam odorem sensisse in aliquo ita dulcem. Tunc, convocatis baronibus, quæsivit quid de illo esset agendum, qui, a rege requisitus dicere veritatem, mentitur eidem et loqui-

tur fraudulenter. At illi decreverunt hujus modi morte dignum. Dammulam (1) ergo occidit et nullo increpante comedit. Post modum videns quamdam Simiam teneram atque pinguem quæsivit ab ea de anhelitus sui odore. Quæ dixit quod nec multum gravis erat, nec multum suavis, sed medio modo se habens (2). Videns itaque Lupus se adversus eam accusationem rationabilem non habere, lecto decumbens se finxit infirmum. Visitantes ergo eum, bestiæ secum pariter et medicos adduxerunt, qui dixerunt nullum in eo vitæ periclum imminere, dum tamen aliquid comederet quod ejus appetitui (3) complaceret. Ille autem dicebat nullum cibum nisi carnes Simiæ sibi placere, sed citius vellet mori quam Simiæ nocens infringeret jusjurandum, nisi forsitan talem ad hoc causam haberem quod barones mei (4) hoc decernerent rationabiliter faciendum. Tunc dixerunt communiter quod hoc facere posset secure nec aliquod esse sacramentum contra salutem sui corporis observandum. Quo audito interfecit Simiam (5) et comedit. Istud autem judicium in capita ipsorum judicantium post modum redundavit, quia ex tunc nulli fidem aut juramentum servavit.

Hinc monet sapiens hominem nequam nullatenus ad dominandum debere admitti : talis enim, promissiones quaslibet parvipendens, suam tantummodo conabitur assequi voluntatem (6).

Iste liber constat Karolo duci Aurelianensi, xl. KAROLUS. 70.

(1) 347 B : Dannulam. — (2) 347 B : *Verba sequentia* erat *omissa sunt.* — (3) 347 B. : apetitui. — (4) 347 B : mei *deest.* — (5) 347 B : Symiam. — (6) 347 B : EXPLICIT, EXPLICEAT; LUDERE SCRIPTOR EAT.

FABULÆ,

EX MARIÆ GALLICÆ ROMULO ET ALIIS QUOQUE FONTIBUS EXORTÆ ET SECUNDUM BIBLIOTHECÆ BURGUNDICÆ CODICIS MS. 536 LECTIONES NUNC PRIMUM OMNINO EDITÆ.

(Fol. 1 recto, col. 1.)

INCIPIT PROLOGUS ÆSOPI IN LIBRUM FABULARUM.

Græcia, disciplinarum mater et artium, inter ceteros quos mundo tulit sapientes, unum edidit memoria dignum, Æsopum nomine. Erat enim ingenio clarus, studio sedulus et placidus facundia. Qui, inter cetera quæ scripsit utilia, fabularum exempla, utili[tati]bus plena, etiam litteris commisit, et in unum redigit opusculum, in quo et parvuli diligentes instruantur, et jocundi reddantur adulti. Liber igitur iste primo græce conscriptus est ab Æsopo; post hæc a Romulo imperatore romano, ad instruendum Tyberium filium suum, in latinum venit. Deinde rex Angliæ Affrus in anglicam linguam eum transferri præcepit. Æsopus itaque, de fabulis agens, res inanimatas introducit loquentes, arbores videlicet, et bestias et volucres. Et fabulose quidem de eis scripsit; sed de singulis moraliter concludit.

INCIPIT LIBER FABULARUM,

QUOS (*sic*) ÆSOPUS, GRÆCUS HOMO, INGENIOSUS, STUDIOSE COLLEGIT ET LITTERIS EAS COMMENDARI PULCHRUM JUDICAVIT ET UTILE.

I. — DE GALLO ET JASPIDE.

Gallus, dum escas suas quæreret, invenit margaritam in minus digno loco latentem. Quam ut vidit, sic ait : Quare in sterquilino jaces? Si homo gemmarum cupidus te invenisset, per eum ad splendorem tuum redires, et decores vultus tui

reciperes. Ego vero qui te inveni, potius escam quam te quæsivi, nec tibi honorem (col. 2) faciam, quia te michi non video necessariam.

Moralitas. Sic stultos arguit Æsopus, qui sapientiam invenire non curant, quia eam sibi necessariam forte non cognoscunt.

II. — DE LUPO ET AGNO.

Lupus et Agnus simul de rivo biberunt; sed Lupus erat in parte superiori et Agnus in inferiori. Lupus itaque, cum haustum fecerat, erexit se et dixit ad Agnum : Tu qui lanam in deceptione portas, semper meis offensis insistis. Agnus vero, ad hanc vocem trepidus, timide respondit et humiliter : Domine potens et tremende, quare tam aspere michi loqueris innocenti? Quas enim offensas possem parvulus ego tibi inferre? Et Lupus ait : Tu turbas aquam, quod inde gustare non possum. Responditque Agnus : Mira sunt quæ dicis; quia, cum tu sis superius et ego inferius, quomodo possum tibi aquam turbare? Sed occasionem adversum me quæris, sicut qui vult ab amico recedere. Tunc ergo exasperatus Lupus ait iterum : Tu minis (*sic pro* nimis) es garrulus et jurgia mecum multiplicare præsumis, sicut pater tuus, qui, nondum transactis sex mensibus, de eodem in hoc loco michi servivit, quod in te merito redundabit. Et ait miser Agnus : Cur sic in me illas patris culpas refundis, qui nondum natus eram? Tunc raptor ait : Sic michi respondes in omnibus, et reclamare non cessas? Irruensque in eum, guttur ejus crudeliter apprehendit et finem fecit verborum.

[*Moralitas.*] Sic tyranni faciunt : cum innocentum (verso, col. 1) res vel mortem cupiunt, sive juste sive injuste eos spoliant et opprimunt.

III. — DE MURE ET RANA.

Mure in ostio molendini super limen residente, supervenit Rana de gurgite progressa, et Mure salutato cujus illa

domus esset eum interrogavit. Quam suam esse respondit. Rogavit ergo illum ut ipsam nocte illa hospitio suo colligeret. Cui Mus respondit : Benigne, et eam intrare jussit, et adduxit eam superius ad ortanum, factaque hora cœnæ apposuit ei grossam farinam, et minutam, et rogavit illam diligenter, ut comederet ea quæ haberet, dicens quod, si meliora essent in domo (mea), libenter apponeret ea. Et placuit Ranæ locus et cibus. Sed cum potus diu exspectatus non venit, Rana, potibus assueta et sicca farina repleta, tristis resedit et potum deesse minus æque tulit, et dixit quod mallet esse sub molendino absque tali cibo quam supra ortanum sine potu. Cui Mus dixit molestum sibi esse quod oblata minus placerent, et juravit se nunquam una nocte tam bene procuratam fuisse et de inpensa illa se velle reconpens[at]ionem habere dixit. Talibus igitur auditis, Rana respondit, quod, si secum vellet ad sua transire, ipsa sibi vicem reddere vellet, cibum cum potu amministrans in copia; favitque Mus dictis ejus, et se promittit iturum. Mane igitur facto, agressi sunt iter, et Rana per pratum se rexit ad fluvium, Mure comitante. Erat autem rore plenum, et via Muri difficilis, volebatque desistere; sed ipsum Rana (col. 2) confortavit et in vicino esse domum suam dixit. Tandem itaque, prato vix a Mure superato, venerunt ad fluvium, et ait Rana : Hic transeunda est nobis aqua, ut ulterior ripa nos recipiat, in qua est domus mea ad quam tendimus. Fessus igitur Mus, et longiori via tædiatus, ad Ranam sic inquit : Amicitiam vestram invitus perdo; sed hospitium vestrum adire nequeo, quia, rore prati adhuc gravis, aquis istis me committere non audeo. Ait ergo Rana : Turpe est modo desistere et viam brevem non perficere; quod si fessus es et debilis, ego fortior juvabo te ne in aqua deficias. Sic ergo faciemus : filum nobis alligabimus, tu in collo, et ego in pede meo, et te trahendo relevabo. Sic Rana dixit, et Mus rem verbis aptavit. Ipsis itaque in medio flumine jam positis, Rana loquax exclamavit : Ego, confisa meis nimis viribus, jam deficio, et ad fundum ducor peritura; sponteque se mergens Muri machinata est naufragium. Mus autem, Rana

trahente jam secundo submersus, sursum tamen rediens, rem male geri intellexit, et lit[t]us relictum respiciens, illuc redire voluit. Ortumque est ibi litigium illis in partes trahentibus : Rana namque ad fundum tendebat, et Mus ad lit[t]us trahebat. Dum enim sic distrahunt illi, Aquila, quæ forte spectatrix aderat, miserum diremit duellum, Murem unguibus arripiens, et annexam Ranam similiter trahens. Quæ, cum se ad mortem trahi videret, sic fertur locuta (fol. 2 recto, col. 1) fuisse : Qui socio suo parat obprobrium, non inmerito cadit in laqueum.

Moralitas. Hæc malis et fallacibus dicta sint, ut minus decipiant, ne et ipsi decipiantur, quia qui proximo tendit insidias, ipse quandoque incidit in eas.

IV. — DE CANE ET OVE.

Canis traxit Ovem in causam pro pane, quem se dixit illi concessisse. Sed Ovis hoc factum negavit, dicens se nunquam panem a Cane mutuasse. Judex ergo si testes haberet hujus rei vel fidejussores Canem interrogavit. Qui duos testes nominavit : Lupum scilicet et Milvum. Et judex ab illis veritatem requirit. At illi testimonium veritatis Cani dederunt, quia partem habere sperabant in Ove, si dampnaretur. Judex ergo præcepit Ovi quatinus de debito suo Cani satisfaceret, ex quo ydoneis testibus convicta esset. Sed illa misera nichil præter lanam habuit, quod dare posset; et hyemps erat, et Canis fortiter instabat. Ovis ergo, lanam exuens, Cani eam præsentavit, et nuda remansit. Canis autem, hac satisfactione non contentus, in pellem ipsius a[g]it, et irruens super eam cum falsis testibus suis, Lupo et Milvo, miseram illam miseriorem reddit.

Moralitas. Sic perversi et fallaces faciunt, quando res aliorum appetunt : cum suis complicibus tractant et agunt qualiter judiciis suis eos subvertere possint.

V. — DE CANE QUI CASEUM TULIT.

Canis per pontem transivit perspicui et puri fluminis et caseum in ore tulit. Cujus dum umbram in (col. 2) aqua perspexit, alium esse caseum existimavit. Saltu igitur rapido se in flumen præcipitans, dum illum apprehendere voluit, ipsum quem tenebat amisit. Sic ergo ille, voracitatis suæ causa, quod habebat amisit, et quod cupivit non apprehendit.

Moralitas. Sic homines avidi sua sæpius amittunt et aliena optinere nequeunt.

VI. — DE LEONE.

Leonem omnibus bestiis dominari dicunt; Bubalus vero est ejus justi[ti]arius, et Lupus præpositus. Leo igitur, cum duobus hiis sociis venationem ingressus, cervum cepit; de cujus partibus cum Lupus Bubalum interrogaret, in Domini voluntate eam pendere respondit. Tunc ergo Dominus : Prima pars primum decet; secundam quoque tollere volo, quia sum socius. Sic itaque quasi ex jure duas sibi partes asscripsit. Adjecit etiam et ait : Qui in tertiam partem loqui voluerit, regis iram suscitabit. Tunc neuter ausus fuit istis obviare decretis. Et Leo, quia primus erat, primam tulit partem; quia socius fuerat, accepit secundam; tertiam quoque habuit, quia offendi noluit. Sic igitur illi, recedentes vacui, caudam et caput Leoni dimiserunt.

Moralitas. Cavendum est homini summopere ne potentiori se velit sociari, quia dominus semper ad primatum contendit; et, si qua forte eis cedant communia sive joco, sive serio, dominus majorem partem suo subscribet tytulo.

VII. — DE LEONE.

Alio etiam tempore Leo, in venationem iturus, alios habere voluit socios. Assumpsit ergo (verso, col. 1) Vaccam et Capram et Arietem. Ceperunt et ipsi bestiam, et de partibus

egerunt, quatuor volentes facere partes, quia tot fuerant in venatione socii. Sed Leo ait : Pati satis volo, quot quatuor fiant partes ; sed quia rex sum ego, prima pars erit mea ; secundam vendico, quia vobis sum fortior ; tertia velocitati meæ debetur ; quartam quoque qui rapere velit, non remanebit amicus Cæsaris, et, nisi in manu valida, poterit fieri rapina talis. Hiis ergo auditis, socii dederunt terga, et Leo solus remansit ad partes.

Moralitas. Ut prius habuimus, dominus non potest esse socius, quia primam vult habere partem, quia primus secundam ut socius, tertiam ut dominus.

VIII. — DE SOLE.

Soli placuit ut uxorem duceret, et de legitima conformes sibi liberos procrearet. Cujus rei fama statim per orbem divulgata est, et doluit universa creatura, grave periculum inde prævidens futurum, et altius sapientes ad invicem dixerunt : Vix ejus dominium tolerare potest mundus, æstate cum fervet et ignibus suis accensis ardorem nobis ministrat. Quid igitur erit, cum sponsa sua et proles futura multiplicatis arboribus (*sic pro* ardoribus) dominari incipient? Et clamantes in cœlum, Jovem et Superos querulis vocibus pulsabant, et omnes una voce rogabant cœlicolas, quatinus hoc incommodum vellent avertere, et orbem suum defensare. Jupiter ergo, suis vocibus et istis commotus, dixisse fertur Superorum consilio : Si igitur tam nociva fieri possunt Solis connubia, volumus eum sicut (col. 2) ante sine conjuge remanere et liberis.

Moralitas. Ista fabula docet melius esse habere unum dominum quam plures, quia, si plures fuerint, quilibet sibi vendicat honorem et servitium; cui sufficere nequeunt subditi, et illis pro honore disceptantibus nescit populus cui adhæreat vel sub [quo] tutius vivat. Hinc oriuntur rapinæ, vastationes, homicidiæ (*sic pro* homicidia), timores et cetera.

IX. — DE LUPO [ET GRUE].

Dum Lupus, assumptis carnibus, os avide roderet, ossis particula gutturi ejus forte adhæsit, et magnum illi dolorem fecit. Lupus ergo, potens in curia Leonis utpote summus præpositus, bestias adesse jussit, cupiens ab aliqua laboris sui et periculi audire consilium. Quæsivit ergo si aliqua(m) artem medendi novisset, qua sibi subvenire posset. Et quædam discreta Vulpecula esse potuit et eloquens Lupo respondit : Inter nos nec bestiam scimus nec avem, ydoneam in hoc articulo medicam, quæ scilicet sciat vel possit in hoc periculo subvenire tibi, præter solam Gruem, cui colli longitudo rostrique durities hujus rei aptitudinem præstant. Grus ergo ad periclitantis Lupi vocatur præsentiam, et super hac consulitur necessitate. Quæ salutem illi promittit et medicinam, si merces eam reddat benivolam. Lupus itaque, hiis verbis consolatus, se in tanta necessitate divitiis nolle parcere dicit, et magna promittit, dum solummodo curam accelerare vellet. Illa igitur, rostro suo gutturi ejus inmisso, (fol. 3 recto. col. 1) materiam et causam de collo laborantis sapienter evexit, et optatam præstitit illi salutem, et promissa exegit ab eo munera. Cui respondisse dicitur ille : Numquid magna pietatis meæ munera recepisti, cum de gutture meo caput tibi sanum dimisi? Si esses ergo sapiens, hoc munere contenta fores, cum tu manifeste scias gruinas carnes [me] maxime desiderare in ista infirmitate.

Moralitas. Sic divites, superbi et inmites de pauperibus faciunt, qui sub eis sunt et sub eis serviunt : ipsis videtur, quod satis mercedis laborum suorum recipiant, in eo quot sub illis victitant et manu teneri ducuntur (*sic pro* dicuntur) ab ipsis.

X. — DE CANICULA VOLENTI PARERE.

Canicula fœta, volens catulos edere, cum locum aptum non inveniret, vicinam rogavit Caniculam, ut eam in hospitio suo colligeret, donec partus suos in lucem protulisset. Vicina itaque

benivola, videns illam in angustiis positam, exaudivit eam et audacter intrare præcepit. Partu vero facto, statim jussit ut illa sibi aliud inveniret hospitium, quia eam præ angustia domus pati non potuit. Illa autem, recenti partu adhuc languida, instat, et rogat eam ut patiatur usque dum catuli sui ludere possint et saltare, et hospit(i)a, victa precibus, concessit ei quod optavit. Post hæc vero, dum catulos ludere videret et saltare, iterum eam monuit ut exiret domum suam et aliam acquireret; et yemps erat media. Mater ergo catulorum rursus ait ad illam : Quo animo potes talia loqui, et (col. 2) ita nos urgere, cum jam gelidus Boreas nives volvat et glacialis bruma omnem bestiam constringat? Sed age misericorditer nobiscum et humane, tol(l)erando nos usque ad amœna æstatis tempora, cum exire poterimus et discurrere. Hospita igitur, iterum placata, usque ad æstatem eos toleravit. Facta ergo æstate, jussit illam sine omni contradictione domum suam vacuare, quia nec prece nec pretio ipsam de cetero pati vellet. Videns ergo illa quod prece nichil amplius faceret, ivit ad minas et ait : Debilis est satis vestra potestas, et mirum est si putetis quod sola nos omnes expellere possitis. Meo ergo consilio verbis vestris parcatis, quia fortes sunt modo catuli mei et feroces. Quot si minari volueritis, væ vobis, væ pellibus vestris! et domus quam vestram dicitis, in nostros veniet usus.

Moralitas. Sic callidi simplices quosque decipiunt, et blandis adulationibus primo eos supplantant. Post hæc a bonis suis et domibus eos violenter eliminavit (*sic pro* eliminant).

XI. — DE MURE URBANO ET SILVESTRE.

Mus quidam de villa sua, in qua natus et educatus fuit, ad aliam villam transire voluit. Movit ergo iter facili pede; sed, longa via fessus, ad nemus forte pervenit, et, dum procedere non posset, sub arbore resedit anxius, quia nec ire potuit, (verso, col. 1) nec quorsum ire deberet scivit. Dum ergo sic sederet sollicitus, viso forte parvo foramine in arboris radice,

illuc subintravit, securam cupiens ibi noctem ducere. Erat autem in illo Mus silvestris, habitator et hospes. Qui Murem peregrinum statim salutavit et benigne eum suscepit. Ille ergo, de generis socio gavisus, cum eo resedit, et de substantia sua et vita eum interrogare cœpit, et si quid boni ei possit fatere (*sic pro* facere) inquisivit. Cui Mus nemoris respondit, omnibus se habundare dicens, quæ Muribus possunt esse necessaria, et libenter eum velle tenere secum, quamdiu vellet, et, si hyemare vellet, ibi tota familia sua sibi præberet obsequium, et dixit se tria sextaria cont[r]axisse ad yemem : unum bonum [h]ordei, alium nucis, tertium glandis, et aquæ copiam. Placuit ergo fesso Muri inventa humanitas. Placuit etiam sibi oblata societas, et oblatum commodum acceptavit. Contigit autem ut ipse uno die de foraminis angustia querulosus fieret, et cibaria illa minus saporosa fierent, et hoc esse dicent (*sic pro* diceret). Cui cum sic loqueretur, alter Mus benigne respondit et ait : Iste cibus michi bonus videtur et sapidus; sed hoc facit usus. Et ait Mus urbanus : Si villam mecum adire velles, et mea gustare cibaria, nisi fallor, nunquam amplius ad ista redire curabis. Et Mus nemoris dixit : Placet utique ut vobiscum vadam, et videam bona vestra; quæ si talia sunt ut dicitis, ad ista redire non curabo. Summo igitur diluculo viam aggressi sunt, et in meridie ad villam vene-(col. 2)runt. Mus ergo villæ præcursor introducit hunc ad horrea, ad molendina, ad cellaria et ad granaria, et ait : Hæc omnia ad me spectant, et nostræ aperta sunt voluntati. Et quærit ab eo quid sibi de istis videatur, et qualiter placeant sibi respectu illorum quæ sunt in nemore. Et ille respondit nullam esse conparationem ad illa istorum. Hiis itaque facto (*sic pro* factis), in granario hospitium locaverunt, et pinguia fecerunt convivia. Mus ergo ruris in ferculis delectatur. Per cœlum juravit et Superos se nolle plus redire ad nemus et ad macram nemoris dietam. Itaque, dum sic epulantur et gaudent, contigit domin(i)um domus adesse, et reserato granario intrare. Cujus ad introitum facta est confusio labiorum, et Mures fugere videt. Mus vero extraneus, angulorum

ignarus, quo fugeret vel ubi latitaret non invenit. Novissime vero, tota domo pererrata, in rimulam se contraxit. Post moram autem viro regresso, Mures ad epulas redeunt et ad fabulas (*sic*). Sed hospes adhuc trepidus et tristis sedit et sine verbo. Cui Mus domus ait : Care sodalis, cur ita sedes ad prandia tristis et turbatus? Et ille respondit : Quid michi cum cibis et gaudio, cum jam mors sit in (h)ostio? Et alter dixit : Quomodo ergo tam cito tibi immutatus est animus, qui prius bona villæ tantum commendasti? Et ille respondit : Vos bona vestra michi monstrastis et mala insinuare noluistis; unde et ego secure vivere putavi vobiscum. Sed modo video pericula vestra et multiplices malorum causas; homines enim et laqueos timere debetis, et mustelam hostem habetis; catti quoque præcipue cavendi (fol. 4 recto, col. 1) sunt insidiæ, quia væ vobis, si in manus catti incideritis. Sint ergo bona vestra vobis simul et mala; habete quæ natura concessit. Michi autem nec commoda multa dedit natura, nec magna mala contulit. Unde, si michi foramen meum reddatur, vestra vobis granaria in perpetuum relinquo.

Moralitas. Melior est quieta paupertas et libera, quam periculosæ divitiæ et inanis gloria.

XII. — DE VULPE ET AQUILA.

Vulpes erat in caverna sua et parvuli sui foris discurrebant. Quos cum videret Aquila, diligenter eos observavit, donec unum apprehenderet. Quem tandem apprehensum cum illa ungulis male premeret, ad clamorem mater ejus egressa est, et pro eo, ut dimitteret, Aquilam rogavit. Sed illa respondit, dicens hoc nequaquam posse fieri, quia pullos in nido multum esurientes haberet, quibus ille necessarius foret, et hoc dicto nidum petiit Aquila, Vulpecula post eam clamante sed frustra, et usque ad nidum parvulum suum prosequente. Cum ergo videret illa quod precibus nil faceret et clamoribus, ad solitas se vertit artes. Arripit igitur ignitam fa(c)culam, et aridis lignis

collectis arborem, in qua sedit Aquila cum pullis, circumdedit igni subposito. Ad Aquilam dixit : Fac modo vale pullis tuis, et ipsam te salvans, si potes, meis ignibus eos com[m]it[t]e, quia matris in eos redundabit iniquitas. Hiis ergo auditis, materna pietate super pullos mota, pro eis Vulpem rogat, ut ignibus parcere velit et ardorem (*sic pro* arborem) non conburat, sed suum (col. 2) vulpeolum sanum recipiat.

Moralitas. Aquilæ figuram tenent divites elati et contumaces, quia inferiores se premunt et spoliant, nec eos ad se clamantes exaudiunt; sed, cum venerit ignis in ultionem, vellent utique Vulpi parvulum suum reddidisse.

XIII. — DE AQUILA ET TESTUDINE ET CORNICE.

Aquila secus mare deambulavit piscationis studio; sed, nullo pisce invento, in concham offendit, quæ Testudinem intus habuit. Hanc ergo unguibus arripiens, ad lit[t]us devexit, ut ibi prandia faceret et Testudinem suis usibus utilem redderet. Dum ergo ad hoc intendit ut illam consumere possit, concha quam induerat ab unguibus et rostro eam defendit. Sic itaque Aquila conatus suos diu in vanum consumpsit, quia nulla vi vel arte Testudinem habere potuit. Cornix ergo qui aderat forte, videns Aquilam in irritum laborare et jam velle desistere, accessit prop(r)ius, et ait : Regius ille cibus nequaquam erit abjiciendus. Cui dixit Aquila : Testa inexpugnabilis, ut vides, murus est limaci, et frustra labores meos expendo. Et ait Cornix : Si mecum dividere velis, sumendi tibi formam monstrabo. Dic ergo, ait Aquila, ut hæc prandia te comitem habeant. Et ait ei Cornix ingeniosa : Igitur tibi sublime volandum erit, et lit[t]us petrosum subtus habebis, testaque de superis auris, ab unguibus dimissa, in littore petroso allidetur et confracta Testudine[m] servare non poterit ; (verso, col. 1) sed sine sponte sua tuæ voluntati eam patebit. Aquila ergo Cornicis approbat consilium, et in sublimi, ut docuit, volitans, Testudinem ab unguibus suis dimisit, quam Cornix subtus

exspectans protinus rapuit, et Aquilam esurientem fraudavit.

Moralitas. Sic astuti simplices infatuant, et dolis peragunt quod viribus nequeunt.

XIV. — DE CORVO ET VULPE.

Corvus perfid(i)e pinguem caseum in villa furatus erat; et ad nemus reversus in summa quercu resedit, et lætas crocitationes iteravit. Contigit autem ut, eo audit(u)[o], Vulpes ad arborem in qua sedit accederet, visura quid tantis crocitationibus sibi vellet Corvus. Videns ergo illum super caseum exultantem, eum benivole salutavit, et ait illi : In tota vita mea non vidi avem tibi similem in decore, quia pennæ tuæ plus nitent quam cauda Pavonis. Et oculi tui radiant ut stellæ, et rostri tui gratiam quis posset describere? Si ergo vox tua dulcis esset et sonora, non video quomodo aliqua possit tibi similis inveniri, quæ scilicet tanto sit ornata decore. Hiis igitur Vulpedem (*sic pro* Vulpeculæ) laudibus Corvus deceptus, ut Vulpi placere possit et ampliores laudes promereri, cantare cœpit, oblitus casei quem rostro tenebat. Dum ergo rostrum a caseo solvit, ille male servatus ad yma decidit et in potestatem Vulpis venit.

Moralitas. Sic solet contingere levibus et minus providis hominibus, qui falsis adulationibus aures accommodant et vanis laudibus inhiant; dum minus respiciunt, in dampna sua seducti veniunt.

(Col. 2.) — XV. — DE LUPO [INFIRMO].

Lupus, plenus annorum, in lecto ægritudinis positus est. Quod cum bestiis suæ subjectionis innotuit, venientes visitaverunt eum. Dissimili autem studio et animo, aliæ enim venerun ut plangerent, aliæ ut eum irritarent. Videntes itaque illum evadere non posse, illæ, quæ ad irritandum venerant, convi(n)ciabantur ei, et inimicas se exhibuerunt. Aries namque cornibus eum trusit, et Asinus pede. Vulpes quoque in aure eum momordit. Hiis ergo molestiis æger ille fatigatus ait gemebundus :

Meminisse possum dierum qui tales non fuerunt. Cum enim animosa ætas in flore fuit et fervens, tunc eram bestiarum gloria, tunc honor exhibebatur michi et reverentia. Si sanus eram, congaudebant omnes, infirmo michi conpatiebantur. Hinc ergo est quod jam mortem voto (*sic pro* voco), quia mori desidero. Non enim tam gravis esset michi dolor iste, si tantum illæ bestiæ me persequerentur quibus rigidus fui et durus; sed modo indifferenter cruciant me, et illæ quas despexi et illæ quas protexi.

Moralitas. Nullus homo debet nimis efferri in prosperitate sua et gravis esse debilioribus eo, quia, si ceciderit et debilitatus fuerit, spernent eum et illi quibus nocuit, et illi quibus profuit. Cum enim deficiunt munera torpore, solet et amicitia tepere.

XVI. — DE DIVITE ET CANE ET ASINO.

Dives erat et Canis lasciv(i)us illi, in quo sibi multum conplacuit. Carus igitur erat Canis iste, et Domino et familiæ, et alludebant ei. Vidit itaque Asinus quæ fiebant cum Cane, et ait intra se : Stolidus plane sum ego, quod Domino meo non applaudo, non arrideo, nec (fol. 5 recto, col. 1) occurro ei, sicut Canis iste de more facit. Speravit ut quanto Cane major esset, tanto carior haberetur, et major sibi honor exhiberetur. Diligenter igitur cœpit observare Dominum et Canem colludentes, modum addiscere et formam ludi cupiens, quam suo in tempore imitare vellet. Vidit itaque Canem super Dominum saltitare (*sic*), discurrendo circa illum, motu caudæ lascivoque latratu illi se familiarem reddere. Uno ergo dierum cum in talibus essent Canis et Dominus, ut ipse interesset, rudens accurrit Asinus, et super Dominum saliens pedibus eum pulsavit, movensque auritum caput et caudam, quod in Cane didicerat, sic Domino suo placere se speravit. Sed Dominus perterritus clamare cœpit, et Asinum extra se factum existimavit. Servi igitur, clamore Domini concitati, Asinum rudentem fustibus inva-

dunt, et ludos quibus carus fieri voluit graviter confundunt, sic eum tractantes ut vix semivivus evaderet.

Moralitas. Sic multi, cupientes naturam suam fallere, intromittunt se de talibus quæ natura non concessit, et sibi inutiles inde redduntur et aliis viles.

XVII. — DE LEONE DORMIENTE ET MURE.

Leo obdormivit forte in nemore; ad quem Mures accedentes circa eum cursitabant. Contigit autem ut Mus, super eum saliens, sompnum ipsius turbaret. Leo igitur excitatus in ipsam versus est, se(pe)que excutiens Murem apprehendit. Cui Mus ait : Ut nobilitas tua michi parcat misero, paratus sum jusjurandum tibi facere, quod non ex studio meo hoc contigerit, sed per magnum infortunium meum. Petiitque misericordiam et vitam. Visum est ergo (col. 2) Leoni tenuem fore gloriam si Murem dampnaret, et misericordia motus dimisit eum illæsum. Factum [est] autem statim postea, ut Leo in foveam caderet, quæ ad capiendas feras parata erat. Impeditus ergo ibi, Leo rugitus dedit et strepitus. Quibus auditis, Mus, qui in vicino fuit, curiositatis causa illuc venit, vidensque Leonem in fovea trepidantem agnovit eum, et ait illi : Video quod desolatus sis et in magno periculo constitutus, moveorque super te pro eo, quod nuper benigne mecum egisti. Nunc ergo, cum vires non habeam, volo te juvare consilio. Sic ergo facies : terram ungulis tuis effossam in cumulum trahes, et de cumulo saliendo lacum superare poteris. Fecit itaque Leo sicut Mus docuit, et, adjutus cumulo, facili se saltu liberavit.

Moralitas. Sic dives et potens pauperis debet misereri et offensam suam illi dimittere, quia pauper poterit diviti necessarius esse.

XVIII. — DE HYRUNDINE.

Dum primo lina seminari videret Hyrundo, futurum inde Volucribus cognoscens periculum, ait illis : Agamus sine mora,

ut nova semina ista vastentur, quia si fecerint proventum, omnibus nobis parient dampnum. Volucres, nimis (*sic pro* minus) providæ futurorum, Hyrundinis contempserunt consilium. Quo viso, Hyrundo suum genus convocavit et pacem cum hominibus firmavit. Erat autem forma pacis hujus modi, scilicet quod neutra pars in dampna cogitaret alterius, et Hyrundines in familiaritatis argumentum (verso, col. 1) in domibus nidificarent. Tempore ergo messis, cum jam lina matura erant, collegerunt homines illa, et inde fila trahentes, ad retia pervenerunt. Et ecce periculum, quod prudens prævidit Hyrundo : per retia enim Volucres in captivitatem veniunt et mortem.

Moralitas. Bonum est acquiescere consilio : utilius est enim consilium sanum in castro quam fracta munitio.

XIX. — DE RANIS ET REGE EARUM.

Ranæ multæ, seditiose viventes in palude, dixerunt quod vellent habere regem qui eis jura daret. Rogaverunt ergo Jovem ut eis regem dare vellet, sub cujus imperio lites quiescerent et pax firmaretur æterna. Jupiter ergo, videns quia justa erat earum petitio et de ratione hoc facere deberet, misit eis regem cui obedire deberent, truncum videlicet magnum, qui, de Superorum arce præcipitatus, totam conquassavit paludem. Stupebant autem omnis Ranarum turba in adventum magni regis, et a conspectu ejus fugientes, in antris suis se subtraxerunt. Post hæc autem una majoris animi Rana, respiciens retro et quietam regis mansuetudinem intuens, socias vocavit et dedit eis animum ut regem salutarent. Quæ paulatim accedentes, magis et magis ausæ sunt venire. Appropiant ergo et circumdant eum et promittunt illi servitutem pressis cervicibus. Magnus igitur factus est strepitus, et magna, ut decuit, lætitia. Sed, cum de judiciis agendum erat, et ligneus inventus est dominus et legum regnandi ignarus, spreverunt illum, et sibi eum subjecerunt, super eum residentes et pedibus viliter ipsum conculcantes. Tunc iterum Ranæ Jovem pro rege pulsarunt, dicen-

tes illum quem miserat ligneum esse et nullum. Jupiter ergo secundo eas exaudit et mittit eis colubrum qui districte regat letigiosas. Co-(col. 2)luber ergo innata sibi feritate inmitius regem se exhibet, et solitos Ranarum tumultus solo nutu facile conpescit. Nulli enim parcit oculis (*sic pro* oculus) ejus; sed omnes quas regere deberet, breves et longas qualescumque, arripit, devorat et deglutit. Tunc nempe plangunt Ranæ, et a conspectu tyranni fugientes conparare non audent; sed occulte Jovi mala sua nuntiant, et talem ut auferat regem, omnes unanimiter rogant. Sed ait Jupiter : Rex iste ferendus est vobis, quia lites conpescere novit, et pacem dare paludi quam voluistis.

Moralitas. Sic homines, sub mansueto domino positi, nullum eum reputant pro eo quod mitis est, et alium desiderant; fugiunt ergo sub illo qui durus est; cujus tyrannidem cum grave ferunt, eo carere vellent, sed nequeunt.

XX. — DE COLUMB(A)[IS], QUÆ SIBI FALCONEM IN REGEM FECERUNT.

Columbæ, variis adversantium insidiis fatigatæ, regem habere decreverunt. Elegerunt ergo Falconem, sperantes quod subjectis sibi parcere vellet eis et debellare superbos hostes earum. Sed Falco, dum sceptra tenet, solita feritate persequitur illas, pellendo, rapiendo, et dissipando agmen earum trepidum. Hinc ergo desolatæ Columbæ ad invicem dixerunt: Gravia facit Dominus iste corda nostra, dum solitæ nescit tyrannidis oblivisci. Tunc ait una de senioribus : Merito hæc patimur, quia minus prudenter eum regem fecimus. Utilior etenim nobis esset ipse remotior socius quam hostis (*meo judicio legendum est :* hostis quam socius) vicinior. Modo namque potenter invadit nos et manifeste, quod (*sic pro* qui) prius latenter attemptavit et furtive.

Moralitas. Qui se tutandum perverso commiserit, perdet auxilium quod quæsivit.

XXI. — DE FURE ET CANE.

Fur, ad furandum de nocte egressus, (fol. 6 recto, col. 1) septa vir[i] subiit; quem pervigil Canis latratibus suis fatigavit. Fur ergo, ut Canis iram temperaret, panem ei obtulit. Cui Canis dixit : Panem tuum minime curo, quem te, non ad dandum, sed ad decipiendum, porrigere cognosco. Quis enim cupidis credat muneribus? Et ait Latro : Cur tibi præberem panem, si te vellem fallere? Et quid possem de te fraude mea acquirere, cum tibi non sint aliquæ quæ me cupidum reddant? Et Canis respondit : Scio, plane scio quæ cupias et quibus insidiaris. Novi etenim negotia tua et vias tuas quæ tenebras amant. Vis ergo ut dicam tibi quid cupias? Tu cupis ut vendam tibi pro pane domum et dominium; quod si fieret, ego quoque venditus in tuum venirem dominium, et tu, cognitam fraudem despiciens, tunc michi panem non porrigeres, sed reum misero laqueo me dampnares, vel alligato michi saxo mari me committeres, et sic male salvatus foret labor et inpensa domini mei, qui me diligenter a catulo nutrivit, [et] meæ custodiæ se et sua commisit. Justius est ergo michi servare fidem et salvare magistrum panesque quos consumpsi reddere sibi, quam eum pro solo pane vendere. State igitur et virum exspectate : tempus est enim ut veniat. Cœpitque Canis asperis latratibus urgere Latronem, voce qua potuit Dominum vocando.

Moralitas. Sic salvum est bonum, quod bono impenditur et fideli, qui accepti beneficii nescit oblivisci, sed ad hoc intendit ut vicem benefactori reddere possit.

XXII. — DE LUPO ET SCROFA.

Lupus supervenit forte, ubi Scrofa porcellos suos edere voluit, et coram ea residens sic ait : Audivi vos in partu laborare, et veni propere, (col. 2) cupiens assistere vobis et in tanta necessitate fidele obsequium præstare, teneros partus modeste et molliter suscipiendo. Cui Sus respondit : Si auxilium michi

ferre venisti, nunquam hoc melius facere potes quam si properanter procul hinc recedas, quia quanto remotior, tanto erit (*sic pro* eris) incarior (*sic pro* mihi carior) et utilior. Est etenim turpe virum velle talibus interesse; quod mater tua interrogata testabitur. Nam cum aliqua parit, etiam ipse pater excluditur, et abesse jubetur, nedum et alienus aliquis, qui torvis superciliis et parvulos recentes et timidam possit terrere parentem.

Moralitas. Perversis et fallacibus minime credatur qui malum bono palliant; blanda enim proferunt; sed venena trahunt, et pellibus agninis lupinos animos vestiunt.

XXIII. — DE OVE, QUÆ AGNUM SUUM CAPRÆ COMMISIT.

Ovis commisit olim Capræ Agniculum suum nutriendum. Ille ergo uberibus Capræ nutritis (*sic*) assuetus cum grege Caprarum silvas et pascua frequentabat. Quadam autem die Caprarum Canis eum observans, et [h]ædis suis dissimilem videns, talibus eum verbis invasisse dicitur : Quid tibi cum Capris meis et hædis, cum tu sis Agnus? Meo igitur consilio ad matrem redibis, et te tuo gregi sociabis. Et ait Agnus : Quia nutricem Capram matrem meam esse credebam, ei potius quam incognitæ matri adhærere volui.

Moralitas. Sunt multi, qui consuetudine, quæ secundaria est natura, ab origine sua deviantes, eos a quibus geniti sunt non recog-(verso, col. 1)noscunt, sed potius eos a quibus nutriti sunt; et inde est quod a natura recedunt et depravantur.

XXIV. — DE LEPORIBUS CONGREGATIS AD CONSILIUM.

Lepores, de summis negotiis tractaturi, in unum locum congregati sunt. Erat autem hujus causa, communi scilicet ordinare consilio qualiter innato timori resistere possent, nec sic præ omnibus bestiis timidi haberentur. Facto itaque conventu, unus eorum, ab eminenti loco silentium indicens, magnis vocibus exclamavit : Naturæ equidem obviandum est, et usu et viribus resistendum, ut fortis et audax consuetudo altera fiat

natura. Ad hujus ergo clamorem omne Leporum vulgus terrore concutitur, et se mal[l]e mori quam talem plus timorem pati omnes una voce dixerunt, et data fide juraverunt, quod, cum primo timor eos invaderet, lit[t]us adirent et de summis rupibus in mare se mitterent submergendos. Cum hæc ita tractarent, ecce homines in equis cum canibus adveniunt, venandi studia promittentes. Hii veniunt et isti fugiunt, jurata petentes æquora. Sed Ranarum palus interposita dum profugos istos suscipit, tota plebs Ranarum fugere cœpit, et vada festinatis saltibus resonabant. Hiis igitur visis, unus Leporum restitit, et ait : O celeres socii, frenate turpem fugam, et inhibete timorem, considerantes quod nichil vivat expers timoris. Ecce enim timor Ranarum nostrum timorem fugit. Omne igitur quod vivit suum habet judicem et dominum. Revertamur ergo nostræ naturæ consentientes, quæ nus-(col. 2)quam exui potest. Placuit itaque omnibus consilium, et ad agnita nemora revertuntur, et modo metuunt, modo secure vivunt.

Moralitas. Omnis homo sui soli et patriæ leges et consuetudines libenter ferre debet; quia vanum est loca mutare. Omnis enim regio servat quod fugias, et ubique invenies tuum superius.

XXV. — DE LEONE [ET PASTORE].

Leo venator, in spinis ambulans, pedem suum læsit graviter spina ibi insistente. Pes igitur læsus inflationem contraxit et ulcus. Quamobrem Leo anxius huc et illuc circuivit, remedium sibi quærens doloris. Dum itaque sic vadit desolatus et tristis, audet (*sic pro* videt) forte Pastorem pro cura gregis in vicino nemoris redeuntem. Spemque concipiens ab homine, ad ipsum, pedem trahens, accedit. Pastor autem, viso Leone, quid ageret ignoravit. Non enim erat securum ei litem offerre Leoni, nec tutum sibi videbatur fugam facere. Quapropter sedit metuens, et Leo sperans paulatim accessit, quia, jam vicinus ei factus, humili vultu pacem promisit, et pedem ei porrigens (et) mali levamen petiit. Et Pastor, cognita causa, dolori manum appo-

suit, et spinam cum sanie ejecit. Leo igitur, adjutus ope[re] ab illo, graces (*sic pro* grates), quas natura præstitit, submisso capite et blando verbere caudæ, medico suo persolvit, et suum vale faciens lætus recessit. Contigit autem postea Leonem capi et regi præsentari. Qui in lacum leonum, in quo rei trudebantur a leonibus devorandi, ad socios leones dimissus est. Post hæc autem contigit ut Pastor Leonis medicus coram rege accusaretur, et regis præcepto in lacum missus (fol. 7 recto, col. 1) est dampnatorum, a leonibus judicandus. Leo ergo, medicum suum protinus agnoscens, obsequio quo potest eum veneratur, et, dictu mirabile, socios Leones sævire volentes ambigit, et defensat reum qui reos dampnare solebat. Mirati sunt igitur qui videbant et regi visa referebant. Placuit igitur regi ut ipse rem spectaturus ad lacum veniret. Vidit et miratus est, et hominem extractum sibi præsentari jussit. Qui, de tanti miraculi causa interrogatus, causam refert ex ordine, qualiter scilicet apud Leonem promeruit, reddendo salutem pedis vulnerati. Rex igitur pius et justus utriusque facta commendat et merita remunerat, dimittendo Pastorem et decarcerando Leonem. Sic Pastor gregi et Leo redditus est nemori.

Moralitas. Bonum est benefacere et beneficii meminisse, quia mutuis beneficiis amicitia fovetur et mutuis malitiis crescit discordia.

XXVI. — DE EQUO [ET LEONE].

Equus stetit in pascuis, et ecce Leo, prædæ cupidus, ex inproviso supervenit; quem ut Quadrupes vidit, gravi percussus est metu, et ait intra se : Angustiæ michi sunt undique, et quid eligendum sit ignoro. Leoni enim resistere minus tutum est michi, et terga dare multum est periculosum. Scio ergo quid michi sit utilius : Leo nobilis est et misericors et pius, et ipse simulato languori subvenire non dubitabit. Cœpit igitur hinnire et terram calcibus pulsare et miserum statum simulare. Quod ut Leo vidit, paulatim accessit, et tanti laboris causam inquæsivit. Cui dixisse creditur Equus : Dum ego miser hic ad (col. 2)

pascua mea deambularem, grandis et præacuta spina posteriorem pedem meum transfixit, et adhuc in recenti vulnere consistit. Quæ, si ejecta non fuerit, vel michi mortem faciet vel pedis tollet officium. Leo ergo, solita pietate motus, Equo conpassus est, et eum consolari cœpit, et salutem ei promittere quam ipse præstare posset. Flexis itaque genibus ad pedem se inclinavit, ut causam laboris videat et curam adhibeat; sed fallax Equus ad salutem utriusque calci(bu)s pii Leonis frontem impie conquassavit, ipsoque prostrato aura velocius aufugit. Leo vero, in extasi factus, post longam moram caput erexit ad Equum circumspiciens; ipso non invento sic locutus est : Frons mea testatur me nimis fuisse pium, cum volui(t) juvare perversum.

Moralitas. Nullus ergo debet perversi misereri vel iniquum fovere, quia, quanto plus fovebitur, tanto adversior invenitur.

XXVII. — DE BESTIIS ET VOLUCRIBUS.

Discordiam habuerunt Bestiæ et Volucres de dignitate sua disceptantes. Tandem ergo decreverunt, ut belli discrimine dignior pars innotesceret et victrix honorem optineret. Leo igitur Bestiarum rex suum congregavit exercitum, et omnia Quadrupedia ad bellum convocavit. Aquila vero, inter Volucres primatum tenens, omnia Volatilia in campum adduxit, ubi pro honore agendum fuit. Hæc itaque videns Vespertilio jus in utraque parte habere voluit, pedibus consimilis bestiis et pennis volucribus æqualis; sub hac igitur ambiguitate in trunco resedit arenti (verso, col. 1) Vespertilio, revolvens in animo suo ancipites belli tumultus et casus. Tandem vero, cum magnum videret et validum Leonis exercitum, sub illius signis militare cœpit : Murium agm[i]ni se sociavit. Interea, annis (*sic pro* avis) prudens, Aquila cœlos adiit, Jovem et Superos, ut sibi faverent, rogavit, et prætiosa tulit munera, quibus eorum favorem compararet. Jupiter, ergo placatus muneribus Aquilæ, commendat militiam et promittit ei victoriam. Quibus promissis Aquila animata ad suos revertitur, et (ad) agmina disponens, unguibus

armata et rostris, hostem despicit et parvipendit, confortatque suum exercitum, referens eis favorem Superum. Talibus itaque visis et auditis, Vespertilio pennis confidens Mures despexit, et volucrem se dicens ad Volucrum transivit exercitum. Bello igitur feliciter peracto pro parte Volucrum, Vespertilionis astucia in curia est accusata, et judicibus causa commissa. Qui dederunt sententiam, ut, pennis suis abrasis, perpetuum fieret obprobrium, a consortio Bestiarum segregata et Volucrum, in vespere volatura, ut res vocabulo consentiret.

Moralitas. Hæc fabula tangit leves et incertos homines, qui, Vespertilioni similes, utramque partem sectantur.

XXVIII. — DE CERVO [AD FONTEM].

Cervus, dum puro biberet flumine, vidit umbram suam in aquis, et placuit sibi forma sua pro parte, partim quoque displicuit sibi. Cornua enim ramosa et alta multum laudavit; sed tybias graciles vituperavit. Igitur, dum sic bibit, et se miratur in undis, aure strepitum concipit et homines cum canibus adesse cernit. Territus ergo pedibus fugiendo insistit, donec optatum nemus eum recipit. Sed nemus spinis [h]irsutum et ra-(col. 2)mis fugam ejus impedit, cornibus apprehensis et retentis, donec canes instarent et jam a spinis captum invadere[n]t. Tunc igitur, in desperationem ductus, ait : Quod magis erat utile, hoc vituperavi, et quod penitus inutile fuit, hoc maxime laudavi.

Moralitas. Vulgo dicitur : Noli laudare, ne habeas quod vituperes.

XXIX. — DE HOMINE MORTUO.

Homo quidam, rebus humanis exutus, datus est sepulturæ. Cujus Uxor superstes sepulchrum ejus frequenter visitabat, lacrimas et gemitus extremis casibus debitos ibi fundens. Eodem autem tempore iniquus quidam, in furto deprehensus, dampnatus est suspendio. Erat autem dampnatorum custodia cuidam Militi commissa, qui observare debuit ne de patibulo tolleren-

tur, vel sepelirentur. Milite vero nimis (*sic pro* minus) sollicito, cognati furis et amici furem furtim sustulerunt, et sepelierunt eum contra leges patriæ et consuetudinis. Hinc ergo Miles anxius furis male custoditi culpam et pœnam in capud suum redundare timebat. Talibus igitur circumdatus angustiis, prædictam Mulierem sibi satis familiarem mœstus adivit, ejus consilium super hoc casu habiturus. Mulier ista, ut diximus, solebat viri sui tumulum lacrimis suis perfundere, et pia vota pro viro facere. Sed visum Militem benigne salutavit, et amice eum suscepit; qui statim illi pericula sua insinuat et consilium suum implorat, et illa protinus ait : Noli, Domine, timere periculum, quia prope est sanum consilium. Age ergo, et (*sic pro* ut) virum de tumul(a)[o] [sumas]; utilius est enim ut pendeat quam sic tumulatus jaceat, dum vivus possit mortuo juvare (*lege* juvari); quia quis dicere poterit vel cogitare virum meum pendentem non esse latronem, vel quis culpabit quod mortuus vivum juvabit?

(Fol. 8 recto, col. 1.) *Moralitas.* Hi(i)s instructus eris quam parva fide[s] mulieris flet misso satis, sed placet iste satis.

XXX. — DE MATRONA ET AMATORE EJUS.

Matrona quædam erat in civitate castitatis amica per tempus; sed postea mutata alios mores induit, et quæ prius erat castitatis [amatrix], facta est amatrix levitatis. Hæc igitur inter cetera Juvenem sibi junxit quem ardenter amabat. Cui sæpe inter gaudia dixit : Virorum optime, quanto me vulnerasti amore! quam dulcis est pectori meo tua dilectio! Et ait Juvenis : Me quoque tua Venus urit; sed non ideo quia credam me solum esse tuum, sed quia de te commoda colligo quibus carere nolo.

Moralitas. Sic monemur non facile verbis credere mulierum, quia, cum multos habeant amatores, uno se dicunt contentas.

XXXI. — DE OVE ET LUPO.

Ovis et Lupus discordiam habuerunt inter se magnam,

quam bello finire statuerunt. Congregaverunt ergo ex utraque parte suos auxiliarios, et venerunt in campum uterque cum exercitu magno et forti. Lupus enim omne genus Luporum secum habuit. Ovis quoque Arietum agmina cornibus bene munita et acies Canum rapacium secum adduxit in bello. Videns ergo Lupus inmensa Arietum agmina audaci fronte bella promittere et Canes morsibus asperos pro Ove velle pugnare, congressionem facere timuit. Misit igitur legatos suos ad partem adversam, pro firma pace acturos et bona concordia. Hanc igitur formam pacis Lupus optulit, et (*sic pro* ut) ipse suos et suorum liberos obsides daret, et Canes reciperet; et placuit verbum istud in (col. 2) conspectu Ovium, et pacem laudantes Canes suos obsides miserunt, et parvulos Luporum receperunt. Sed Lupi, ad sua reversi, statim pacis fœdera ruperunt, et super compeditos et ligatos obsides irruentes sine misericordia eos persequebantur et devorantes eos usque ad nullum. Oves vero, tantæ crudelitatis insciæ, obsides suos simpliciter et honeste eos tenuerunt, nullam eis molestiam inferentes. Quadam tamen die præ desiderio, ni fallor, parentum et patriæ, lupiculi ululare cœperunt. Quos ut unus patrum audivit, aliis nuntiare properavit. Irati igitur Lupi magno cursu et comitatu ad ovilia venerunt in spiritu superbo et frement(o)[e] Ovibus loquentes : Scimus modo et intelligimus fœdera statutæ pacis a vobis læsa et rupta; parvuli namque nostri, anxiati in fortitudine, ad nos clamaverunt, et ecce venientes venimus cum furore illorum injurias vindicare volentes. Et hoc dicto insultum fecerunt in Oviculas tam filii quam patres, et cecidit inermis et inbellis turba Bidentum.

Moralitas. Nullus debet inimico suo bonus esse, nec ei in bello parcere, ne postea fiat Ovis illo existente Lupo. Bonum est etiam homini defensorem suum nunquam dimittere, sub cujus tutela tutus esse poterit, ne sibi contingat ut Ovibus quæ Canes suos obsides dederunt.

XXXII. — DE FABRO.

Faber quidam, peritus in arte sua, securim fabricaverat; sed usum illius, manubrio deficiente, habere non poterat. Ille ergo, videns se ope ligni indigere, nemus sibi adeundum scivit. Venit (verso, col. 1) itaque ad silvam, et Arbores super hac necessitate consuluit. Cui respondentes, dixerunt Arbores quod consilium ei dare vellent et auxilium, cum in utrobique divites essent. Lignorum itaque vulgus, ut scripta ferunt, nemoris regimen dominatum arbæ (*sic pro* albæ) Spinæ commiserunt, cujus ergo habenda erat gratia, ut Faber quod petiit optineret. Rogata ergo domina nemoris et magistra benigne annuit, et Orno præcepit ut Fabro subveniret et cito eum expediret; quod dicto citius impletum est. Et Ornus dedit Fabro de se manubrium. Faber igitur, aptato manubrio sibi, securis industriam experiri in Alno cœpit. Quæ laudem meruit et incudi obediens fuisse commendatur. Post hæc quoque omne genus lignorum vulnerat Faber et detruncat. Tunc igitur ardua Quercus, gravi læsa vulnere, (et) molestias suas gracili Fraxino conqueritur. Quæ, socia cladis et vulnerum, flebili sic voce respondit : Merito venit super nos ista destructio, cum arma Fabri nostri sint muneris et consilii.

Moralitas. Sic sibi facit dampnum et cladem, qui hostem suum munit et armat.

XXXIII. — DE CANE ET LUPO.

Canis et Lupus obviaverunt sibi in campo. Et Lupus Canem salutavit et ait : Care frater, quam pulcher es et rotundus ! Cui respondit Canis : Causa est quare pulcher sim et pinguis, quia dieta bona et quies præstant michi formæ laudes. Quoniam, cum pluit et ningit, sub tecto manere possum nocte et die, et sompnos duco quietos et læta sompnia, et nullam duco sollicitudinem, quia cibus meus semper est paratus. Dominus enim suo me pascit pane, et tota familia

michi projicit (col. 2) ossa, et pinguia vasa coquinæ solus circuio (*sic*). Et Lupus ait : O quam melior est ista dieta quam mea ! Hinc etiam non est mirandum, si pellis tua nitida sit et plena, et quam beatus essem, si talem vitam saltem per annum ducere possem ! Et ait illi Canis : Talem vivere de facili invenire poteris, si libera colla tua servitio subdere velis. Sunt castra, sunt villæ, sunt urbes et op[p]ida, in quibus non parum eris acceptus. Et si dominum meum non contempnas, ipse de te gaudebit, et libenter te tenebit, si bonos mores et obsequium in pura fide promiseris. Ad quem Lupus : Optime frater, quam bona michi sunt verba tua ! Et dominus tuus præ omnibus michi placet. Rogo ergo te quatinus michi ductor esse velis ad eum, et michi apud eum bonus existas. Itaque villam adeunt Lupus et Canis, socia confabulatione iter adbreviantes. Dum autem mutuo se respiciunt, contigit Lupum Canis videre collatium (*sic*), et protinus ait : Quid sibi vult, socie, circulus ille in collo tuo ? Et Canis respondit : Solebam in juventute mea contumax esse et ferox, et mordebam tam notos quam ignotos. Tunc iratus dominus et magister meus verberibus me domuit et vinclis, dicendo et docendo ne aliquem præter furem et lupum amplius morderem. Hiis ergo auditis, Lupus, de proposito suo mutatus, Cani fertur dixisse : Quoniam quidem ita est, volo tibi gratiam domini tui et pacem cum vinculis relinquere. Ego vero pro nulla gratia et gloria vincula ferre possum. Sit ergo tibi tua servilis conditio, et michi maneat mea libertas. Sic Lupus ad silvam, et Canis reversus est ad villam.

Moralitas. Vere jocundum magis est miseriarum esse do- (fol. 9 recto, col. 1)min(i)um quam servum divitiarum, et pauperem in libertate vivere quam divitem sub alieno nutu atque contemptu.

XXXIV. — DE CONTENTIONE CORPORIS.

Contentio facta est aliquando inter partes Corporis, et dixerunt Pedes et Manus Ventri et Capiti : Nostræ debetur gratiæ

quod vos vivitis et valetis. Nos enim incessanter currimus, instanter agimus et contrahimus, unde vos gloriam habetis; sed sedeant lites, et nos labores nostros inhibere volumus, quia ad usum nostrum parvo labore indigemus. Sic ergo siluit rixa et inmensa lis illa quievit. Pes itaque stetit quietus, et Manus jacuit otiosa. Sed dum Ventrem invasit esuries, Frons dolere cœpit, et Cervix aitari (*sic pro* arctari); ipsa quoque fames, cerebri noverca, capiti gravamen intulit. Quod tandem ad Manus et Pedes se extendit, et ipsi cœperunt de Ventris penuria debilitari. Tunc igitur Dextra movit opus, et Pedes currere cœperunt, ut Ventrem revelarent (*sic pro* relevarent) et Caput. Sed ille, longa passus jejunia et jam oblitus ciborum, oblatam escam re(n)nuit, quia eam recipere non potuit; tædio enim laborabat; quem morbum physici appetui contrarium dicunt. Unde etiam Galienus necessarius erat, sed tarde venit. Sic igitur venit ad Pedes mortalis egestas Ventris, et Manus perierunt et Caput cecidit.

Moralitas. Nullus habet (*sic pro* debet) alium sic cruciare ut se perimat.

XXXV. — DE FURE ET SCABRONE.

Fur erat insignis, qui libenter nocturna silentia fefellit. Iste igitur, nocturno fatigatus circuitu, in pratum venit. Erat autem æstivum tempus. Cum hæc facta sunt, et pratum erat floribus et gramine vestitum, et rivus in prato dulce murmurans discurrebat. Hæc ergo Furem lassum ad (col. 2) quieta invitavit. Fur igitur, temporis amœnitate et loci delectatus, se deposuit in gramine et membra sua quieti dedit. Sed dum sompnus eum obruit, statim Scarabæus eum subintravit. Si autem Scabronis quæras ingressum, suæ non immemor sortis, per inferiorem regionem est ingressus. Fur ergo, hospitis sui inportunitatem sentiens, protinus evigilavit, et in partibus illis quas Scabro occupaverat graviter dolere cœpit. Venit ergo tandem ad medicos et eos super hoc casu consuluit. At illi gravidum eum esse dixerunt. Et homo credidit medicos laboris

causam tetigisse, quia sic sibi visum testabatur fuisse. Res igitur ista nova et stupenda per totam diffunditur viciniam, et audientes mirati sunt et timuerunt valde, quia malum portendere illud dixerunt. Observabant ergo Furem laborantem et gementem,. circa eum assidentes ut finem rei viderent et periculum quod portendere videbatur..Dum igitur ille gemit et clamat ut pariturus, ecce Scabro, longo luctamine fatigatus, per viam qua subiit regressus est, et ipse stimulator(um) equorum stimulator Furis inventus est et [re]pertus.

Moralitas. Talis est misera hominum consuetudo, ut semper novitatibus gaudeant, et nova, licet periculum afferant, desideranter exspectant.

XXXVI. — DE MULIERE ET PROCO SUO.

Domina quædam Mariti sui decepit absentiam, Procum ad amplexus suos intromittendo. Maritus autem, reversus et per rimulam ex industria introspiciens, vidit eos commisceri, et ait : O utinam foret quod sub umbra video! Ad hanc ergo vocem Mulier stupefacta (verso, col. 1) prosiliit, tunica distincta et sparsis sine lege capillis, et in occursum Marito data sic eum allocuta est : O rerum karissime, quid sibi voluit optativum illud, quod cum suspirio protulisti? Ille autem refert : Visum est michi qualiter Adolescens quidam, socius thori, amplexus tuos [et] læta basia carperet, et lasciva gaudia duceret. Ad hæc Mulier : Adhuc superest vobis de antiquo sale infatuato. Hæc enim est antiqua fatuitas tua, omni scilicet visioni credere et sompniis. Et ait Homo : Non refero tibi nocturna sompnia, sed diurnas visiones quas oculis vidi. Et Mulier respondit : Ergo omnia credis, ut cernis? Cui Vir inquit : Quis non credat oculis suis qui fallere nesciunt? Et ait Domina : Ergo adesto et re veritatem ibimus experiri. Erat igitur ibi dolium, cum aqua sub sole positum, et illuc trahi[t] illa Maritum. Et ait illi : Hic ergo inspicies et Juvenem de quo ais invenies. Vir itaque credidit uxori et inspexit, sed solum se in aqua

reperit, et dixit : Procum non invenio, sed Maritum video. Et Mulier dixit ad eum : Ergo vera sunt quæ vides. Et ait Maritus : Nequaquam sunt vera, sed veritatis umbra. Tunc ergo Mulier concludit dicens : Bene igitur credere potes oculis tuis, qui sic te judice fallunt? Vir itaque facilis fallitur; verba Mulieris laudavit, dicens : Tutius forte homini caræ conjugi[s] fidei credere quam fallentibus oculis.

Moralitas. Moralitas hujus fabulæ quærenda est in muliere.

XXXVII. — ITERUM DE MULIERE ET PROCO SUO.

Quidam procatus est Uxorem alterius, et, ut ad silvam eam duceret ad (col. 2) Veneris commercia, contigit Virum eos sequi. Amator ergo, respiciens retro, dum Virum sequentem vidit, Dominam deseruit et fugiendo nemus petiit. Mulier, vero a Proco derelicta, Virum venientem exspectavit. Vir ergo, cum ad eam pervenerat, statim de socio itineris inquisivit, et quare fugerit ipsam interrogavit. Mulier autem, mulierum fidem testando, negavit verba et facta, dicens se(d) nec juvenem vidisse nec juvenem novisse. Homo ergo inde iratus per Jovem et Superos visa confirmavit. Et ait Uxor : Credo tuis verbis, karissime, quia rem scio, figuram cognosco. Certa sum enim quod in signum michi facta sunt ista. Sic etenim matri meæ accidit, sic contigit avæ et a(r)tavæ meæ, anno quo missæ sunt ad inferos, fatis trahentibus illas. Me quoque fata vocant. Nunc ergo, dilecte mi, solum hoc superest ut amicos nostros convocemus et parentes, quorum consilio jura thori solvamus, et cum portione substantiæ quæ me contingit ad claustrum transeam, ubi, meliorato vivendi studio, breve spatium vitæ quod restat redimere possim in fletu et jejunio. Quo audito, Vir, timens ne substantiam perdat et Mulierem, rogat eam ne sic velit facere, et jurat se talia in joco dixisse. At illa respondit : Minime tibi credere volo, nisi coram amicis nostris et cognatis in reliquiis michi juraveris ea quæ locutus fueris falsa fuisse. Igitur Vir, victus a Muliere, coram cognatis eorum optatum illi juramen-

tum fecit. Quæ, post hæc animosa reddita, quæ prius clav[i]culo attemptavit, tunc in aperto perpetrare non erubuit, marito non contradicente, ne soror fieret, si cuncta sibi non licerent.

Moralitas. Moralitatem tibi collige quam fidem mulieris per-(fol. 10 recto, col. 1)fidia poterit præstare.

XXXVIII. — DE EQUO [VENDITO].

Equus exhibebatur in foro venalis et pro marca dare (*sic pro* dari) debuit. Venit ergo Licitator qui marcam pro illo dare re(n)nuit, sed in mediatore pretium ponere voluit; quod Venditori placuit. Statuerunt ergo, ut qui primo superveniret, pretio nomen poneret. Hac itaque firmata conditione, contigit Monoculum advenire, qui, de Equi pretio interrogatus, dixit eum dimidiam marcam valere, et placuit Emptori verbum; sed Venditori displicuit, et pactum negans pretium recusavit, et ait : Quia dimidium vidit Equum, dimidiavit et pretium. Si enim oculo non caruisset, marcam plene dixisset.

Moralitas. Stultum est homini res suas sub ignoræ (*sic pro* ignotæ) æstimationis judicio ponere, et præsumptor est monoculus, dum res, quas minime discernit, æstimare incipit.

XXXIX. — DE FURE ET SATHAN(E)[A].

Fur in spineto, dormiens sub alba spina, Sathanam adesse sompniavit, et excusso sopore, dum respicit, quem in sompnis viderat, præsentem habuit. Et dixit Sathan ad illum : Care sodalis et semper sine fine fidelis, satis cognosco quod tibi de jure propitius ero, et viæ tuæ et studia quæ geris meo sunt digna favore. Quibus si diligenter institeris, meum procul dubio senties auxilium, et invocato nomine meo securis (*sic pro* securus) intrabis ubique. Fur igitur, hiis monitis audacior factus, fit etiam sceleratior, et, memoriam sui rectoris servans, in viis suis prosperatur. Tandem tamen captivatus, judici tradit(ur)us et dampna-(col. 2)t(ur)us, ductus est etiam ad furtas (*sic pro* furcas) furtorum solvere pœnas. Dum ergo sic trahitur,

dum viliter tractatur, Sathanam in quo confidebat, invocat. Qui protinus astans ait : Ecce assum, ne dubites. Deinde cum ad locum tormenti venit, iterum Dominum suum vocat. Cui dampnatorum Dominus : Patiens esto, inquit, in omnibus, quia patientia omnia vincit. Tandem vero laqueo cervici inposito, tertio defensorem suum invocat, dicens : Necessitas verum amici præbet experimentum. Ergo si quid potes, adjuva quod tempus postulat aut res. Moneo te per albam spinam quæ nostri fœderis est testis et obses. Et Dyabolus ait : Hactenus secure militasti ope nostra; nunc autem pulchrum erit videre qualis miles velis esse per te.

Moralitas. Sæpe videmus fallaces a fallacibus decipi et artem arte deludi, et præcipue qui in Dyabolo credit, ille deceptus erit.

XL. — DE LUPO [ET ARIETE].

Lupus novit olim carnium abstinentiam. Cui ad mare piscationis studio properanti pinguis Aries occurrit in nemore. Aries ergo, viso Lupo, balare cœpit timidus, et Lupus sobrius incœpit suspirare, et, quamvis esurivit, tamen vota violare timuit. Tunc ait sibi : Gravis est uterque casus, videlicet vel votum frangere vel talem perdere. Sed scio quod sanguis ejus super me erit, si ipse sine custode hoc nemus pertranseat, et nimis stultum est munera fortunæ contempnere. Quis etiam dabitur michi sponsor, quod mare pisces offerat michi venienti? Sit igitur iste nobis pro salmone, quo null(o)[a] parte vilior est præter quod jejunare deberem.

Moralitas. Mores in hoc Lupo [non] invenio; hoc autem scio, quod Deus Lupi male potest vota tueri.

(Verso, col. 1.) — XLI. — DE SYMIA ET PROLE SUA.

Symia conplacuit sibi in prole sua, quod visum est ei, quod forma natorum suorum inconparabilis esset. Quod aliæ bestiæ considerantes, quæ magis jocosæ erant, simulata eos gratia venerabant[ur] matrem et liberos, de forma commendantes.

Mater igitur, de data sibi laude superba, Leonis faciem postulavit, ut egregios uteri sui fœtus sub ejus repræsentaret laudibus. Jussa est igitur in præsentiam regis adesse. Cui protinus natos suos ostentavit, rogans ut ipse facies eorum laudare vellet. Et Leo subridens ait : De vobis michi videtur quod sitis bestiæ mirabiles magis quam optabiles, nec tales nati, meo judicio, sunt laudandi; sed vulgo dicitur : quælibet Vulpes suæ caudæ refert laudes. Symia ergo, tristis reordens (*sic pro* recedens) et confusa, Ursum habuit obvium, qui matrem erubescentem fallaci laude jocundavit, filiorum genus et formam commendans, et interrogavit eam si illi essent filii quos omnes bestiæ sic laudassent. Cui laudis cupida mater respondens : Sunt vere, vere sunt, inquit, isti nati mei, quos merito laudastis. Et rogavit Ursus, ut eos tangeret in amplexibus suis, et oscularetur eos. Unde illa multum gavisa minorem ei porrexit ad osculandum. At ille per horam parvulum amplexans, dum mater ad oscula spectat, quem osculandum recepit in guttur suum trusit devorandum.

Moralitas. Omnis presbiter suas commendat reliquias, et quælibet Vulpes suam laudat caudam; et præcipue cavendum judico, ne fallax Ursus, id est adulator, illum devoret qui vana laude delectatur.

XLII. — DE DRACONE ET HOMINE.

(Col. 2.) Draco junxit cum Homine quoddam fœdus societatis et amicitiæ, et commorabantur simul. Factum est igitur post breve tempus, ut Draco thesauros suos illius fidei et custodiæ committeret, argentum scilicet et aurum, cujus non erat numerus. Et Draco, doctus gemmarum, fuit etiam dives earum. De veste vero pretiosa si curam habuerit ignoro. Hos igitur thesauros Viro commisit servandos. Post hæc autem Serpens callidus, fidem socii experiri cupiens, ovum in medium attulit, et ait : Alius quoque ad me spectat thesaurus, non multo minor isto quem videre debe(o)[s] et custodire. Tunc igitur de pura fide

hoc ovum custodito, quia in eo pendet vita et omnis salus mea. Hoc dicto Draco in viam ivit, Viro ad rerum custodiam derelicto. At ill(i)[e], auri cupidus, de thesauro sibi optinendo cogitavit, et ovum, in quo Draconis vitam consistere credidit, frangere secum deliberavit; quod sine mora opere complevit. Draco iste igitur, ad socium suum properando reversus, dum ovum fractum invènit, socii fidem aperte cognovit.

Moralitas. Bonum est homini amicum et socium experiri, ut fidei cognitæ tutius se credere possit et committere.

XLIII. — DE HEREMITA.

Item Heremita quidam, volens Servum suum perscrutari, ut fidem ejus cognosceret, murem sub vasculo occultavit, et ait Servo : Ire habeo ad confratres visitandos; tu vero ad custodiam cellæ et ret[ic]ularum remanebis, et, si quid forte opus est ut sumas, nil tibi sit prohibitum; solum autem vas illud ibi reversum ne tangas, ne removeas; nolo enim te scire quid subtus habeat. Itaque, abeunte domino, Servus (fol. 11 recto, col. 1) de re interdicta sibi quænam esset mirabatur, et, ut moris est, niti cœpit in veti(e)[t]um, et visum est ei quod satis posset rem scire, ita quod magister suus nesciret. Accedens igitur ad vasculum, scrutator ipse majestatis, dum vas removit, murem ibi absconditum incautus liberavit. Reversus ergo tandem Heremita statim de vasis secreto Servum interrogavit utrum illud vidisset an non. Et ait Servus : Vidi quidem; sed melius non vidissem.

Moralitas. Sic perscrutandi sunt servi : super pauca fideles, supra multa sunt constituendi.

XLIV. — DE AGRICOLA QUI HABUIT EQUUM UNUM.

Agricola quidam solum habuit Equum; videbatur sibi, si unum adhuc haberet, quod eo melius arare posset et agrum colere. Supplex ergo Deum rogavit et oblationes fecit et elemosinas, ut de muliere (*sic pro* munere) divino alium Equum acqui-

rere posset. Dum itaque in hiis votis frequens esset, et Deum orando fatigaret, contigit furem solum ejus Equum subtrahere. Equo igitur sic am(m)isso, Homo vota sua mutavit et orationes, dicens : Domine Deus, subtractum si reddas Equum, pro alio de cetero tua munia non pulsabo.

Moralitas. Sic stulti, non contenti bono quod habent, dum amplius optant et acquisita male conservant, pereunt illa vel furto vel rapina; quæ, si ad eos redirent, ipsis videretur quod (h)abundarent.

XLV. — DE HOMINE [QUI] TARDE VENIT AD ECCLESIAM.

Homo quidam solitus erat tarde venire ad ecclesiam, et, super genua prostratus, has semper orationes facere : Domine Deus, propitius esto michi et uxori meæ et filiis meis et amplius nulli. Quod cum alius forte audivit, oravit et ipse sic, illo audiente : Domine, Domine, Deus omnipo-(col. 2)tens, confunde istum et uxorem suam et filios suos et amplius nullum.

XLVI. — DE URBANO ET MONEDULA SUA.

Urbanus quidam domitam habuit Monedulam, quam crebra ammonitione ad humanas voces instruxerat. Illam vero iniquo casu Vicinus suus morti dedit. Dominus ergo, mortem Monedulæ grave ferens, querimoniam suam coram Judice deposuit. Cui Judex ait : Dampnosa parum est mors aviculæ, nisi aliqua speciali causa fuerit in laude. Tunc ait Urbanus : Humanum est visa sapere. Verba enim et voces nostras mirabiliter expressit, et inauditos modulos proferre consuevit. Judex : Si fuit ut dicis, gravem constat esse jacturam volucris tuæ. Citatur igitur Vicinus, dampni perpetrator, qui de reatu timidus, Judicem placare intendens, pellem arietis rubricatam sub clamide sua secum tulit. Cujus extremitatem Judex considerans significationem rei et sermonis et interpretationem cognovit. Actorem proinde interrogat : Quos cantus vel qualia verba habuit Monedula

nostra? Qui respondit : Nec cantus ejus scio, nec verba referre valeo. Tunc Judex, captus munere pellis, ait : Meo judicio, volucris data facis (*sic forsan pro* de qua faris), nec vita pretium dedit, nec morte sua grave dampnum contulit.

Moralitas. Sic multi sunt, qui loqui nesciunt, nec tamen reticere volunt.

XLVII. — DE VILLANO ET NANO.

Quidam Villanus cepit forte Nanum monticulum. Qui, ut dimitteretur, trium optionum potestatem homini dedit. Mulier, ut optaret, virum suum rogavit, affirmans se melius scire quid foret optandum. Vir ergo Mulieri duas optiones concessit. Illa autem, oportunum tempus exspectans, optare tardavit. Contigit itaque una die ipsam (verso, col. 1) rodere spinam dorsi arietini. Cujus medullam satis desideratam cum attingere non posset, os Viro porrexit et ait : Utinam haberes modo ferreum rostrum ad medullam hanc leviter extrahendam ! Statim post verba sedit Maritus ferro rostratus. Tunc ait Uxori : Utinam esset modo facies mea sine rostro, velud ante fuit ! Taliter optatis eorum nichil utilitatis affuit.

Moralitas. Opus est omni homini, qui alterius se subdit voluntati et regimini, ut ille qui debet eum regere ac ducere, doctus sit et discretus in utroque.

XLVIII. — DE VULPE [ET UMBRA LUNÆ].

Vulpes quædam de nocte ambulavit secus fluentum, viditque umbram Lunæ in aquis apparere, et caseum esse putavit. Cœpit igitur aquam lambere, sperans quod, exhausto flumine, fundus arefactus caseum sibi reservaret. Sic igitur non cessavit, donec se ipsum lambendo suffocavit.

Moralitas. Sic cupidus omnis tanto labore lucro insistit, quod seipsum ante tempus perdit.

XLIX. — DE LUPO ET CORVO.

Lupus vidit aliquando Corvum super Arietem sedentem, graviterque suspirans, talia locutus est : Corvus iste beatus est et felici hora natus, quia, ubicumque sedeat, quitquid dicat, quitquid faciat, non est qui ei male loquatur. Michi autem si talis daretur sedes, omnes qui viderent, magnis in me vocibus clamitarent, et quasi ad salutem Arietis fugare me properarent.

Moralitas. Sic iniquus quilibet alienæ semper invidet felicitati, et, licet propriæ conscius sit perversitatis, dolet tamen, quod aliis plus creditur quam sibi.

L. — DE GALLO ET VULPE.

Gallus in sterquilin[i]o (col. 2) conversabatur; quem Vulpes intuens accessit, et ante illum residens in hæc verba prorupit : Numquam vidi volucrem tibi similem in decore, nec cui plus laudis debetur pro vocis dulcedine, patre tuo tantum accepto, (*sic pro* excepto). Qui, cum altius cantare voluit, oculos claudere consuevit. Gallus igitur, amator laudis, sicut Vulpes docuit, lumina clausit, et alta voce cantare cœpit. Protinus Vulpes, in eum irruens, cantum in tristitiam vertit, raptumque cantorem ad nemus deferens properavit. Aderant forte pastores in campo, qui Vulpem profugam canibus et clamoribus insequebantur. Tunc Gallus ait Vulpi : Dicite quod vester sim et quod nichil ad eos spectet rapina ista. Vulpe igitur incipiente loqui, Gallus, elapsus ab ore ipsius, auxilio pennarum mox in arbore summa refugium invenit. Tunc Vulpes ait : Væ sibi qui loquitur, cum melius deberet tacere. Cui Gallus de sublimi respondit : Væ sibi qui claudit oculos, cum potius eos deberet aperire.

Moralitas. Non est exigua res suo tempore loqui, et suo tempore reticere; mors enim et vita in manibus linguæ sunt.

LI. — DE VULPE ET COLUMBA.

Vulpes, nivis tempore de caverna ad quærendam escam egressa, Columbam in crucis summitate sedentem vidit, et eam

optavit. Accessit ergo prop(r)ius, et, facta salutatione, solitæ calliditatis verba sic protulit : Miror satis, quod, flante Borea et aere nivibus et nimbis turbato, tam sublimes sedes eligatis. Meo igitur consilio, locus inferior et nobis vicinior placere vobis deberet, ut confabulando diem deduceremus. Columba respondit : Parvi cordis sumus et timidi, et inde pro securitate in eminenti libenter (fol. 12 recto, col. 1) sedemus. Procul sit, ait Vulpes, omnis timor et horror; recenter enim de curia venio, ubi lites prohibitæ sunt et rapinæ, et lectæ sunt cartæ perpetuæ pacis, nec auderem pro vita mea (vel) curve vos respicere. Tunc ait Columba : Si vera nuntia refertis, nobis scripta fides placet et pacis littera lecta; libenter quoque redimeremus tempus in tabulis vestris; sed ecce duo in equis canes trahentes per viam hanc insistunt, venandi studio, ut michi videtur, promittentes. Hiis ergo auditis, Vulpes territa si prope sint inquirit, et si latitando eos fallere possit interrogat. De canibus enim, utrum litteras pacis audierint vel non, se dubitare dicit. [Et ait Columba : Forte litteræ sunt scriptæ, sed non sigillatæ.]

Moralitas. Sic debet sapiens quisque adversarium suum alienare; nichil enim parit utilitatis familiaritas hostis.

LII. — DE AQUILA, [ACCIPITRE ET COLUMBIS].

Aquilam, regem omnium Avium, traditum habemus ab antiquis, quæ aliquando in summitate quercus resedit. Accipiter autem, qui judex Avium est vocatus, subtus Aquil(in)am consedit in ramo qui vicinior erat terræ. Super terram vero, levi alarum plausu, granis frumenti satiatæ, Columbæ coll(a)udebant. Quibus ita locutus est Accipiter : Quæ audacia sic lasciviendi vobis præstat fiduciam me præsente, qui judex vester vocor et dominus. Certissime noveritis quod, si Aquila, qui (*sic*) rex noster est, super me non assideret, aliis vos ludis citissime inplicarem.

Moralitas. Utile est judicem sublimiori subditum esse potestati, cujus formidine iram suam infra terminos suos constringat.

LIII. — DE EQUO [IN AGRO].

Equus esuriens vidit agrum segete lætum; sed spinas quæ viam claudebant non aspexit, donec viscerum gravia vulnera sensit.

Moralitas. (Col. 2.) Sic cupidi cupienda vident; sed, spinosos aditus minus considerantes, in lucra dum properant, pro lucris dampna reportant.

LIV. — DE HOMINE ET HIRCO ET EQUO.

Homo quidam optulit foro Hircum fe(d)[t]idum et pilosum et cum eo elegantis formæ Equum, ut utrumque venderet. Emptori æstimationem pretii talento proposuit. Institit ergo Emptor, cupiens Equum tantum (non) emere, Hircum venditori reliquere. Ren(n)uit ille, dicens ut vel utrumque teneret vel utroque careret.

Moralitas. Equus et Hircus virtutes sunt et vitia in malis et perversis hominibus, quæ cum eis inseparabiliter adhære(a)nt. Si pravis cohabitare volueris, si qua in eis sit virtus quamlibet rara, in omni actione sua vitium adesse necesse est, nec Equus poterit esse sine Hirco.

LV. — DE LUPO ET SCARABONE.

Æstivo tempore Lupus post nimiam voraginem dormire cœpit, et disjectis membris aditum posterioris orificii apertum habuit. Scarabo autem per posteriora, quæ aperta invenit, introivit, cœpitque titillare dormientem, donec evigilavit. Sic igitur Lupus, hostem intrinsecus sentiens, nec valens ejicere, gravi periculo se subjici debere timuit. Inter itaque anxietatem Scarabo per viam qua venerat egreditur. Quem Lupus, ut vidit, indignans quod vermiculus tam modicus sibi timorem incusserit, sic ait : Si te scivissem secreta ventris mei invasisse, non tantum timuissem. Scarabo respondit : Manifestum erit cujus vires prævaleant, quando ad certandum progressi fueri-

mus. Placuit itaque Lupo vires suas experiri in vermiculo, et utrobique certamen promittitur. Lupus vero bestias inmensas et feroces convocat, quæ omnes (verso, col. 1) Cervum, quia elegantis erat formæ, ducem exercitus eligunt. Processuri igitur ad pugnam in ordine constituto incedunt. Sed Lupus, antequam bellum committatur, hac voce suos ammonuit : O insignes bestiæ quæ advocatæ estis, vires vermiculorum quos cernitis ne timeatis; tantum posteriora nostra ne introeant, omni[bus] modis præcavete. Unde communi consilio actum est ut quælibet bestiarum asserem culo alligaret, qui hostes ne introirent prohiberet. Ex adversa parte omne genus muscarum convocatur : quæ et alas habent ad volandum et ad sæviendum acutissimis armantur aculeis. Assunt oestri, vespæ, apes, cymphes (*sic*), muscæ, et dominus ipse Scarabo, cum universo comitatu suo, quem contra vim tantarum bestiarum poterat convocare. Primo igitur conflictu Cervus signifer acies inpetit; quem oester et vespa velud acutissimis jaculis figunt in pectore, ceteris nondum pervenientibus ad certamen. Expertus itaque Cervus ferocissimi hostis jacula et toto confusus corpore, valido conamine retro ventum cum sonitu emisit, cujus inpulsu asser, quem pro clipeo ad posteriora suspenderat, fractus est, et sic dux primus hosti terga dedit, dirupto taliter assere, in quo totius exercitus robur erat fiduciæ. Lupus ceteros in fugam hortatur. Fugiamus, ait, instantissime, qu[i]a nulla spes esse poterit comitibus, ubi dux ipse, tanta virtute contritus, exspiravit.

Moralitas. Sic omnis exercitus de facili concutitur, cum viderit ducem suum vel succumbere, vel terga vertere.

LVI. — DE ACCIPITRE ET PHILOMENA.

(Col. 2.) Accipiter in arbore quadam consedit, et in vicino loco Philomena ad educandos pullos nidum locaverat. Intellexit igitur Philomena, ex pulsu alarum supervenientis Accipitris, quoniam ille venerat, qui sine misericordia sui similes persequi solebat, unguibus graviter comprimens et ab iniquo

rostro crudeliter discerpens; et misericordia mota super parvulos suos, anxia et supplex rogare cœpit ut illis parceret. Qui respondit : Facturus sum quod petis, si cantu, ut soles, dulces melodias dederis. Illa respondit : Si secura esse possum quod nec pullos meos nec me lædas, quantos volueris cantus te faciam audire. Quod ut michi constare facias, longius a me recede, et in remotioris arboris ramo consiste, ut timor omnis absit et libera voce lætitiam cordis valeam ostendere.

Moralitas. Sæpe fit, ut qui sapientia præditus est in corde, e præsentia illius quem reveretur eloquentia non possit haberi.

LVII. — DE PASTORIBUS ET LUPIS.

Consuetudo fuit ab initio, ut Pastores contra Lupos se defenderent. Ut igitur hujus inveterati odii malum certo fine decidatur, Homo mediator inter eos constituitur. Hic itaque ad utramque discurrit partem, ut pactum firmissimi fœderis inter partes tam diversas componat. Inito autem consilio, Lupi hoc a Pastoribus exigunt, ut ad tempus unius anni Canes suos obsides constituant, ut eo firmius pax et concordia constituta servetur. Conveniunt igitur in hoc Pastores, et, ut expetierant Lupi, Canes accipiunt obsides. Discedunt ab invicem. Sed [non] multo post tempore Lupi, videntes omne robur Pastorum (fol. 13 recto, col. 1) quod timebant suo mancipari dominio, consuetudinem, quæ quasi pro natura eis erat, iterum assuescunt, et eo ferocius in Pastores incursant, quanto Canum absentia hujus rei ministrat audaciam. Inferunt Pastoribus pro velle[re] suo dampna, quæ recuperare non possunt.

Moralitas. Sic est de domo vel castro bene munito et multis copiis pleno. Si defuerint domini, quorum consilio et prudentia domus ipsa regi possit, facile domus cum suis divitiis direptione patebit.

Ab antiquo habemus quod quilibet Lupus in eadem pelle moritur in qua nascitur. Lupus capiatur et sæpe per aurem trahatur ut tandem presbiter fiat, semper tamen griseus erit.

LVIII. — DE CORVO QUI INVENIT PENNAS PAVONIS.

Corvus quidam pennas Pavonis miræ pulchritudinis invenit. Versans igitur eas et circumspiciens, honestum putat si eis circumdatus incedere posset. Depositis itaque propriis pennis et penitus evulsis, oculatas illas Pavonis pennas artificio quo potuit sibi aptavit. Incedens ergo in hiis, tamquam regio contectus ornatu, gloriose inter Pavones discussione pennarum, se illis non solum conferre, sed præferre cœpit. Qui, ut viderunt eum sibi dissimilem, contemptui eum habuerunt, maxime quod gestus sui honoris pennis debito dissidere viderentur. Abiens ergo sic contemptus accommodati honoris faleras adjecit (*sic pro* abjecit), propriasque pennas reinduit, suisque similibus, ut ante solebat, se conjunxit. Viderant autem consocii Corvi eum sub pennis Pavonis gloriose incedentem, quomodo se a consortio suo despective subtrax-(col. 2)erat, et nunc ipsi, ab ipso ante despecti, deterius eum respicere cœperunt, et communicato inter se consilio penitus eum abjecerunt. Sicque actum est ut nec hiis nec illis posset associari.

Moralitas. Ista similitudo adaptetur illis, qui sui habitus formam, ut suum propositum, contempnentes, alieno decore et incedenti honore se induunt. Sed, cum hiis minime proficere possunt ad hoc quod indebite assumpserunt, ignominiose cadere merentur, et tunc etiam ad id quod contemptive abjecerunt assumi demerentur.

LIX. — DE LEONE INFIRMO.

Accidit aliquando ut Leo gravi infirmitate laboraret, et congregatæ sunt ad eum universæ bestiæ, ut sollicite de rege suo inter se disquirerent si qua illarum novisset aliquid medicinæ artis, cujus industria et consilio rex ipse liberari posset de imminenti ægritudine. Disquisitione igitur facta, conjiciunt de Vulpecula, quia ipsa, ex eo quod callida est et familiaris avibus, facile posset investigare et ab avibus et a bestiis quo

medicamine Leoni subveniendum esset. Suggerunt itaque Leoni ut consulat Vulpeculam. Cui mandavit Leo ut se conspectui ipsius præsentaret; quæ ad primam vocationem non venit. Secundam supersedit. Tertiam ergo vocationem Lupo commisit, utpote qui erat potentissimus in aula sua et cujus consilio rerum gerendarum summa disponebatur. Astitit igitur Lupus coram Leone et hujusmodi verbis Vulpeculam accusare cœpit : Domine mi rex, Vulpeculam contumacem tuo præcepto terrui, et meo consilio eam ad tuam vocationem venire persuasi, nunc nimis (*sic pro* minis), aliquando blanditiis eam flectere attemptans. (Verso, col. 1.) Illa autem in sua calliditate et contumacia perseverat, et, nisi tua in eam justa vindicta desæviat, omnes alias bestias ejus exemplo senties contumaces. Unde in æquitate tui judicii quid de ea facturus sis necessario pensare debes. Leo respondit : Quia ream esse læsæ majestatis nostræ Vulpeculam manifeste declaratum est, tu injuriarum nostrarum vindex existas. Dum ista agerentur, sedit Vulpecula foris ad parietem, a[u]scultans quid de ea Leoni sit suggestum. Egressis autem bestiis cum Lupo ut ad imperium Leoni[s] Vulpecula dampnaretur, ipsa, demisso capite et simulato cordis dolore, ad Leonem ingressa est. Quam ut vidit Leo : Quid, inquit, hic agis, o Vulpecula, quæ, aliis bestiis debita sollicitudine pro me agentibus, sola obsequium michi non præstitisti, insuper et me vocantem te contempnere ausa fuisti? Cui humiliter respondit : Ego quidem præ aliis de salute tua tractavi, et hac sollicitudine detenta usque adhuc moram feci, ut ad te dominum meum aliquid certi reportarem, per quod in integram sanitatem citissime restituaris. Satis tibi ignoscendum, inquit Leo, (s)[c]enseo, si adhuc peritiam artis tuæ in me efficaciter ostenderis. Et addidit Vulpecula : Domine mi rex, audi consilium meum, et fac comprehendi Lupum, et jube eum vivum decor[i]ari, et in pelle ipsius calida fac involvi pectus tuum, et subito omnis ægritudo quæ te molestat, a te elon-(col. 2)gabitur, et, licet tibi sit carus et necessarius, propter salutem tuam non parcas. Præcipiente igitur, secundum consilium Vulpeculæ

agitur, et Lupus a tybiis sursum usque ad aures decoriatur, et foras extra palatium ejicitur, Vulpecula manente ut ejus industria modus medicandi utiliter formetur. Ejectus autem Lupus inter muscas et cynifes et vespas multas ab illis patitur persecutiones. Affuit tunc Vulpecula, et in talem vocem erupit : Magni regis maximus consiliarius quam honeste in pil(l)eo castorino et in calceis lutrinis incedit! Qui tamen in posterum, si mei similes prave deprimere voluerit, cautius hoc agendum erit et stabiliori instantia insistendum.

Moralitas. Sic multi in laqueum incidunt quem proximo suo tetenderunt, et merito qui libenter struit insidias, aliquando non evadit muscipulas.

LX. — DE VULPE ET URSA.

Vulpi lascivienti occurrit Ursa; quæ illam rogavit ut se sibi subponeret ad coitum. Indigna autem Ursa, quod bestia tam modica indebito modo interpellaverit eam de stupro, et comminando, ei interdixit ne de cetero hujus modi rem expeteret, ne contra salutem suam agere videretur, dixitque illi : In quacumque hora te de hoc scelere me sollicitante[m] invenero, ego te avide comprehendam et avidius confringa(nt)[m]. Ille respondit : Non te molestet quod exigo; quia certissime scias, quia quod de te cogitavi, quantumcumque renitaris, explebo. Ad hæc verba Ursa vehementer irascitur, et, ut Vulpem comprehendat (fol. 14 recto, col. 1) fugientem, instanter insequitur. Sed Vulpes, Ursam effugere non valens, inter spinas acutissimas et vire(c)ta, cœpit hac et illac discurrere. Sed hostis, per omnes viarum difficultates, animus fractus est : ejus gradus insecuta, donec inter ipsas spinas et lenta numina implicita resedit. Vulpes igitur, videns quod in laqueum, quem illi tenderat, inciderit, per aliam circuit viam, et, voluntatis suæ conpos effecta, secundum id quod ei prædixerat, libidinem suam explere non distulit. Ursa vero Vulpis ammiratur audaciam, et quia se defendere non potuit, ei sub-

jecta est non volens. Cui Vulpes dixit : Nulla ex vobis, quæ magnæ estis bestiæ, contemptibiliter irrideat quod nos vobiscum agere decreverimus.

Moralitas. Sic sæpe hominis perversi astutia prævalet, et virtutem potentium malorum vincit potentia.

LXI. — DE LEONE ÆGROTANTE.

Accidit aliquando ut Leo graviter infirmaretur, et astiterunt ei universæ bestiæ; inter quas quæ artem medicinæ noverunt. Sic ei locutæ sunt : De infirmitate tua, o rex, jamdiu tractavimus multum sollicitæ, et libentissimæ tibi subveniremus, nec possumus, nisi cor Cervi habeamus. Apprehensus est igitur Cervus, et decoriatus ab hiis quibus id officii erat injunctum. Circumstabant autem singulæ bestiæ, et, eo eviscerato, cor evulsum est deportandum ad Leonem, ut, cum ex eo gustasset Leo, cito recuperata sanitate a lecto ægritudinis suæ ex[s]urgeret. Sed inter (col. 2) hæc Vulpecula cor Cervi, quod casu depositum erat, dolose furata est et comedit. Quod, inter omnes bestias quæsitum et diligentissime investigatum, apud nullam earum inventum est. Vulpeculam autem suspectam de hoc habuerunt, et incusabant eam quod cor Cervi domino suo tam utile devorasset. Quibus respondit Vulpecula : Plane injuriam sustineo, pro eo quod hoc nefas michi imponitis. Sunt etenim aliæ quam plurimæ bestiæ, quas justius incusare debetis quam me. An putatis me tam impie velle agere, ut voracitatem meam domini mei et regis saluti præponam? Sed, si Leoni fuero exhibita, coram ipso meam innocentiam declarabo, quod quidem coram vobis ostendere non valeo. Consentiunt itaque bestiæ, et dicunt : Apud nos innocens haberi poteris, si de innocentia tua Leoni constare feceris. Astitit agitur coram Leone. Cui et Leo dixit : Ubi est cor Cervi, quod medicinæ meæ fuit apponendum? Vulpecula cum ammiratione respondit : Putas, o rex, quod Cervus habuerit cor? Ipse procul dubio, cum deberet occidi, ut ipsa vidi in prima congregatione

cum eum comprehendere vellemus, vix elapsus est, et ad secundam venit, et vix manus nostras effugit. Si utique cor habuisset, ad tertiam congregationem, ubi occidebatur, non venisset. Verum est, ait Leo, et ex hoc mani-(verso, col. 1)festum est eum cor non habuisse. Et ita calliditate sua evasit Vulpecula.

Moralitas. Sic sæpe prudens aliquis, propter virtutem suam quæ singula facile credit, ab iniquo et doloso decipitur.

LXII. — DE LUPO ET HERINACIO.

Contigit una vice quod Lupus et Herinacius se consociabant, et statutum est inter eos ut Herinacius se contra canum sævitiam opponeret. Est enim consuetudo Herinacii, ut, insequentibus canibus, se in globum colligat. Sic confœderati ad villam venerunt et furati sunt ovem. Lupus, autem qui ferebat ovem, fugam arripuit, et post se socium reliquit, qui canes ab insecutione prohiberet. Sed vidit Herinacius, quia setarum suarum aculei contra canes illi valere possent, contra homines vero nichil illi prodessent, et vocavit Lupum ut sibi fieret auxilium. Respondit Lupus ei : Quid tibi faciam nescio, cum simus remoti a silva, et (in) manu valida rustici cum canibus instant. Saltim (*sic*), inquit Herinacius, ultimum michi osculum dare poteris, et (*sic pro* ut) possis referre amicis meis, quanta dilectione in articulo mortis positi et ab invicem separati sumus. Vera mones, inquit Lupus, et hoc faciam. Accessit et osculatus est eum. At ille, deosculantis se labia dentibus arripiens, indissolubiliter ei adhæsit. Instant canes, et Lupus adhærentem sibi deportat, licet invitus. Lupus autem dixit : Dimitte me saltem adhuc, quoniam in brevi ambo capiemur. Respondit Herinacius : Vere scias, quia non (col. 2) dimittam te, quia justum est et bene decet ut socii, tam fideliter conjuncti, aut simul evadant, aut simul capiantur. Ventum est igitur ad consilium (*sic pro* silvam), et videns Herinacius quia posset evadere, laxavit dentes quibus Lupi labia constrinxerat, et in arborem quæ sibi erat vicina, contendit (*sic pro* conscendit). Jace, inquit Lupus, misera

bestiola, et defende te a canibus; ego vero fugiam in latebras silvarum, ut salvus evadam. Respondit Herinacius : Juratum fœdus mutuæ sollicitatis (*sic pro* societatis) turpiter disrumpis, cum tu, reversus ad ovem, me post tergum relinquis; sed fac cum ove, mea permissione, quod volueris, si te canum non absterret præsentia.

Moralitas. Sic contingit deceptori, quod seipsum decipit, ubi alium decipere intendit.

LXIII. — DE RUSTICO ET BOVE.

Rusticus quidam Bovi suo jugum imposuit, et in vehiculo fimum evexit. Qui Bovem circa letera (*sic pro* latera) acuto stimulo monuit, et grave illi onus ad trahendum adhibuit. Conversus igitur, Bos Domino suo cœpit improperare quanta illi fecisset servitia, et quantum sæpe in excolendis agris suis sudaverit, et ait : Ego tuos labores frequenter adjuvi, ego rura tua a juventute mea utiliter excolui, et tu me modo compellis ut has inmunditias laboriose educam. Respondit Homo : Interrogo te quis istum fimum congessit. Bos ait : Congessi ego, ego illum pedibus conculcavi. Propterea, inquit Dominus, quia fetiditatem congessisti, non te pigeat eam labori-(fol. 15 recto, col. 1)ose extrahere.

Moralitas. Sic nequam servus, cum dominus suus in eo aliqua punit et corripit, ipse in dominum culpam refundit, et ei magna servitia sua improperat.

LXIV. — DE APE ET MUSCA.

Apis et Musca contendebant ad invicem quæ earum esse potentior et ditior, et dixit Musca : Cum tu et tui similes multo labore et ingenio mel ex floribus collegeritis, et in cellulis vestris, quas item mirifice construitis, toto anno collocaveritis, Homo in momento unius diei totum laborem vestrum sibi usurpa(m)[t], et, quod gravius est, vos ipsas interficit. Et ego et mei similes postea de labore vestro comedimus. Et vos vide-

tis quod ego, si michi placet, juxta regem sedeo, vel, si magis voluero, super caput ipsius sublimis existo. Sed vos, si veneritis in conspectu[m] regis vel ei appropinquare volueritis, continuo inhoneste repellemini. Respondit Apis : Gloriam tuam, quia vana est, audire non possum ; sed hoc te volo scire, quia, quanto te in altiori loco videro, tanto te viliorem habeo.

Moralitas. Merito fœdus et sordidus homo, ubicumque fuerit, quantiscumque divitiis et honoribus splenduerit, semper tamen vilis habendus erit.

LXV. — DE DUOBUS LUPIS.

Accidit aliquando, quod duo Lupi sibi invicem occurrerunt, et, confabulantes, de hoc cœperunt agere inter se, quod homines naturaliter Lupos odiunt, et eos (col. 2) inclamant, etiam cum nichil mali eis facere intendunt. Et dixit unus ad alterum : Homines numquam viderunt nos aliquid boni facere, sed si semel viderint nos benefacere, credent deinceps similiter nos velle facere. Respondit alter : Quid boni poterimus facere, ut hoc exemplo bona de nobis sperentur. Alter dixit : Exeamus foras de hoc nemore, et, quia in labore agrorum sunt homines, adjuvemus eos manipulos colligere. Sic ergo egressi de silva in campum venerunt, et collegerunt manipulos, sicut condixerant. Nec mora : statim ut viderunt homines Lupos in agro, cum clamore valido sunt eos insecuti. Ammirati sunt Lupi et dixerunt : Quid sibi vult hoc quod sic nos inclamant isti, cum, non malum, sed bonum ipsorum moliamur ? Redeamus ergo, ait alter, et sicut consuevimus agamus. Sive enim bonum, sive malum fecerimus, homines semper habebunt nos exosos.

Moralitas. Sic enim de malis hominibus : cum exspectatam mercedem et favorem non receperunt, statim a bono opere torpescunt.

LXVI. — DE LUPO ET VULPE.

Inter Lupum et Vulpeculam graves sunt ortæ discordiæ, et hoc malum adeo invaluit, quod nullo modo concordare potue-

runt. Sed as(s)tabant aliquando coram judice Leone videlicet, qui rex bestiarum est vocatus, ubi Lupus causatus est Vulpeculam, probabiles asserens causas, quibus adversus Vulpeculam juste (verso, col. 1) deberet irasci. Illa vero econtra suas proponit injurias. Et ait Leo : Justior quidem, ut michi videtur, est causa Vulpeculæ, et vera sunt forsan quæ loquitur; sed mendacia Lupi majoris sunt auctoritatis quam veritas Vulpeculæ.

Moralitas. Sic qui mendaciis est assuetus, si aliquando vera loquatur, sibi non creditur.

LXVII. — DE CAPRA ET DE [H]A[E]DO SUO.

Capra, dum ad solita iret pascua, reliquit domi parvulum, ut diligenter observaret ne quis obseratam domum intraret, donec ipsa veniret. Dum autem ista moneret, Lupus astitit ante fores, audiens quid mater suo præcepit filio. Sed, abeunte Capra, Lupus cœpit vocem Capræ imitari, ut, cum parvulus maternæ vocis audiret notitiam, seratas subito panderet fores. Ille autem intus constitutus, ne actus suos incaute præcipitaret, prospexit per rimulam, et matrem non videns sic locutus est : Vocem quidem maternam audio, sed neque caput ejus neque pedes agnosco.

Moralitas. Si [H]ædus Lupo credidisset, non credo quod mortem evasisset. Sic tutum est monitus servare parentum et eorum obedire consiliis.

LXVIII. — DE PICTORE ET UXORE SUA.

Quidam Pictor fuit : quod qui pingebat, Uxori suæ ad suendum commendabat, ut in singulis quos ipse fecerat trac(ta)tibus ipsum consuendo imitaretur. Respexit Pictor et vidit ineptum opus; et cœpit incusare operatricem de negligentia. Videns ergo illa Virum iratum, et sciens quia non fuerat negligens, sed debito modo prescriptos tractus fuerat insecuta, respondit Pictori : Tu me asseris opusculum deformasse, cum ergo nichil

aliud adjecerim vel (col. 2) deserim quam quod tu depinxeras. Disce igitur primum tractus tuos recto ordine formare, ut ego apte tuam valeam imitari prudentiam.

Moralitas. Sic multi sunt, qui culpas suas in alios ref[l]ectunt, et unde ipsi corrigendi essent, alios corripiunt.

LXIX. — DE CERVA HINNULUM INSTRUENTE.

Cerva, dum esset in pascuis, cœpit instruere Hinnulum suum, ut sui cautelam gereret. Interim accidit quod venatorem obvium habuerunt, et quæsivit quisnam hic esset et quæ essent instrumenta quæ manu gestabat. Illa dixit : Hic est ille, quem te oportet maxime timere, et quem diligentissime notare debes, ut, si forte tibi occurrerit, cautus sis ut eum devites. Cui ille respondit : Ego quidem optime eum novi; sed timendus non est, quia ipsum pavidum esse vidi. Consideravi enim quod, cum de equo ascendit (*sic pro* descendit), ipsum inter nos medium statuit, quia, ut michi videtur, nos expavit. Perpendo etiam timorem ipsius, ex hoc quod quasi la(c)[t]itando vadit, densissimis se rubis inmergens. Sed, quæso te, quid est hoc quod manu gerit? Mater ait : Lignum hoc bicorne et curvum, quod manu gerit, valde periculosum est, et illud quod in media corda tenetur, periculosissimum est et maxima timendum. Cui parvulus : Si, inquit, adeo periculosa sunt ista, cur ea homo toto conamine trahit ad se. Vere, inquit mater, periculosa sunt, et quanto magis ea ad se traxerit, tanto citius ad nos perveniet.

Moralitas. Sic stulti dampna vel pericula non prævident nec pertimescunt, donec ea sentiunt.

LXX. — DE CORVO ET PULLIS SUIS.

Corvus consedit in arbore quadam secus viam et cum eo Pulli sui. Sedens igitur, (fol. 16 recto, col. 1) Pullos quos habebat monebat attentius ut cauti essent. Deambulabat autem homo eadem via, et dixit Corvus ad pullos : Hic est ille, quem vos cavere maxime oportet, et vos, si videritis eum molinantem

ad terram, fugite velociter. Cui unus Pullorum respondit : Etiam si se non inclinaverit, appropinquantem fugere volo. Bonum est, inquit pater, et de cetero pro te non sollicitabor; sed alios Pullos meos, ut cauti sint, ammonebo.

LXXI. — DE MILVO.

Milvus cœpit gravi morbo languescere, et habuit nidum in loco, ubi vicinum erat templum, et in templo ydolum. Rogavit ergo Matrem suam, ut accederet ad templum et supplices orationes pro ipso coram ydolo porrigeret, si forte ipso miserante de ægritudine posset habere remedium. Cui respondit Mater : Ut quid me cogis Deos inaniter prece sollicitare? Quam misericordiam putas nos ergo justissimos Deos invenire posse, quorum templum et ymagines sæpe fœdavimus?

Moralitas. Stultorum est ab illo gratiam exspectare et misericordiam, quem sæpe injuriis læserint et offensionibus.

LXXII. — DE CAPRA ET LUPO.

Capra, dum esset in pascuis inter rubos, Lupum fortem obvium habuit. Quid hic agis, inquit Lupus, inter opa(t)[c]a nemora? Capra respondit : A facie nostra, domine mi, diu longeque diffugi; sed ecce nunc sponte vobis occurro, et quæso ut mecum misericordiam agatis. Cui Lupus ait : Et ego te undique quæsivi et bene jam te in meis pascuis inveni, et misericordiam tecum faciam quam volueris; sed vitam de cetero habere non poteris. Vitam, inquit Capra, non peto; sed rogo ut vivendi spatium michi concedas, donec duas missas decantem, unam pro me et alteram pro te. Concedo, (col. 2) inquit Lupus, quod rogas. Et ait Capra : Ducite ergo me in eminentem hunc locum, ut, cum Superis vicinior fuero, ipsi me melius audiant cantantem et orantem; et Capræ silvestres et domesticæ, cum me audierint, ipsæ devotæ redditæ, pro me et pro vobis orabunt. Factumque est, ut rogavit. Constituta igitur in eminenti loco, respiciens in cœlum, cœpit alta voce clamare; et Lupus astitit,

ei credens quod missam cantaret. Audierunt clamorem Capellæ vicini; canes et rustici, egressi de villis, Lupum insecuti sunt, et comprehenderunt eum, et fustibus impie ceciderunt, et Capram de morsibus liberaverunt suis. Qui, dum traheretur et cæderetur, conversus ad Capram dixit : Heu ! me infelicem, quia, ut video, pro me minus, pro te autem optime orasti. Et ait Capra : Sufficere michi debet, quod orationes meæ pro me sola exaüditæ sint.

Moralitas. Sic multi, cum aliena negotia se tractare promittunt, pro suis magis solliciti sint (*sic*), et propriis utilitatibus insistunt.

LXXIII. — DE HOMINE ET UXORE LITIGIOSA.

Homo quidam habuit Uxorem rebellem et contumacem, garrulam et pertinacem. Contigit aliquando ut pariter ambularent in prato, quod nuper dominus prati cum summa diligentia falcaverat, et ait Homo : Quam diligenter et congrue falcatum est hoc pratum ! Mentiris, ait Mulier, quoniam forcipe præcisum est. Semper, inquit Vir, verbis meis contrarius fuisti. Sed tamen hoc vere scio quod pratum hoc vicinus meus fal(s)[c]e demessuit. Deliras, ait Mulier, quia forcipe factum est hoc. Secundum consuetudinem tuam, inquit Vir, semper novissima vis retinere verba, et dejiciens illam incubuit super (verso, col. 1) eam, et dixit : Ego linguæ officium, qua semper proterva fuisti locuta, tibi impediam, nisi michi consentias. Et ait : Quo instrumento præcisum est pratum? Quia igitur linguam ejus arripuerat et fortiter premebat, plena verba formare non poterat, sed orhipe pro forcipe dixit. Tunc incepit linguam incidere, et quæsivit ut quæsierat ante. Illa autem, quia jam linguam amiserat et loqui non potuit, signo quo valuit pertinaciam ostendit, forcipis formam et officium digitis ostentans. Sic Vir Mulieri linguam amputavit.

Moralitas. Sic litigiosi et contumaces jurgia sua semper malo fine concludunt; malunt enim injuste alios superare quam ipsi juste subjiciantur.

LXXIV. — ITEM DE UXORE MALA ET VIRO SUO.

Quidam Homo habuit Uxorem sibi contrariam et adversantem, et ibat cum servis suis ad torrentem, ut ex eo deduceret aquas ad faciendam piscinam. Et exigebant ab eo servi, ut escas secum tollerent, quibus post laborem reficerentur. Sic, inquit Homo, opus est. Euntes ergo tollite cibaria de Uxore mea; verumptamen non dicatis ei, quod hoc sit ex mea voluntate vel quod ego eis refici debeam. Abierunt itaque, secundum consilium domini sui dicentes : Opus grave nobis injunctum est; sed desunt nobis cibaria, quia ipse Dominus noster parcus est nec refici vult. Et ait Mulier : Ipse quidem, sicut dignus est, in perpetua sit abstinentia; sed ego veniam et largiter vobis amministrabo. Insecuta est eos hora prandii, portans secum omnem rerum sufficientiam, et præcepit eos discumbere, viro suo ad opus stante. Cum autem inciperent comedere, accessit Vir, (col. 2) ut et ipse cibum caperet, et resedit juxta Mulierem. Sed illa, videns quia Vir ejus vellet comedere, cœpit se ab ipso elongare. Vir autem ad illam se traxit. Cum autem sic in contrarium niterentur, Mulier elongando, Vir accedendo, ipsa forte in alveum fluentis aquæ corruit et submersa est. Occurrerunt ergo servi secus fluvium ad vadum quoddam, ut eam ibi comprehenderent. Quibus ait Dominus : Frustra eam in decurrentibus aquis quæritis; exspectate eam ad ortum fluminis, et illuc properate, quia, ut solebat vivens contra me niti, sic mortua contra impetum nititur fluvii.

Moralitas. Si(c) perversa tibi fuerit mulier, noli cum ea contendere, quia sicut pellem ei abstrahere non potes, sic vero perversitatem ipsius exstirpare non prævalebis.

LXXV. — DE DOMINO ET SERVO.

Dominus et Servus mutua se respiciunt gratia. Servus debet Dominum revereri, et Dominus Servum debet diligere et tueri. Dominus non potest habere honorem nisi a Servo, et Servus non

potest habere bonum nisi a Domino. Neuter ergo istorum sine altero valebit, sicut nec pes vel manus sine ventre, nec venter sine pede vel manu.

LXXVI. — DE SYMEA ET VULPE.

Symea vidit Vulpem longam gerente[m] caudam et dixit ei : Miror quid tibi valeat hæc longa cauda. Et est res dissimiliter divisa : cum tibi superfluit, ego autem et pueri mei sine ea nascimur et incedimus. Cum ergo tibi sit magis oneri quam utilitati, maxime cum venatores insecuntur, vellem ut una nobiscum eam divideres, quia pars ejus quæ tibi superfluit maximum nobis posset præstare honorem. Cui respondit Vulpes : (fol. 17 recto, col. 1) Etiam si adeo esset prolixa et gravis cauda mea ut eam vix trahere possem, nec tu nec pueri tui umquam inde honestarentur.

Moralitas. Sic est de divitibus cupidis et avaris : licet habeant plus quam satis, numquam tamen de superfluitatibus suis minus habentibus impertiri volunt.

LXXVII. — DE LEONE VOLENTE REGNUM SUUM DIMITTERE LUPO.

Leo disposuit de terra nativitatis suæ transire ad aliud regnum. Sed, quia rex fuit omnium bestiarum, convocatis omnibus, exposuit voluntatem suam, et ait : Ego quidem alias iturus sum et nescio si revertar; ideoque necessarium esse vobis reor, ut in unum conveniatis, et sano consilio eligatis vobis regem loco meo substituendum. Responderunt omnes : Tu rex noster fuisti, et in fortitudine magna simul et pietate regni gubernacula [h]actenus disposuisti; quia de cetero imperare non vis, de ordinando super nos rege tibi committimus. Respondit Leo : Filios non genui ne forte vobis molesti fierent, et ideo regni hæredem non habeo. Provideat ergo sollicitudo vestra de ordinando super vos rege. Inito demum consilio, bestiæ Lupum in regem asciscunt pro eo maxime, quia quasdam minis ter-

ruerat, quasdam blanditiis declinaverat. Quod consilium Leoni innotuit et dixit bestiis : Honestam quidem bestiam eligistis ; sed si misericors et pius esse velit nescio. Et dixerunt : Sævitiam Lupi omnes quidem novimus ; [sed speramus] ut, cum ei subjicimur, de nobis habiturus sit misericordiam. Adductus est itaque Leo ut eum confirmaret ; majores vero bestiæ dixerunt : Nequaquam rex noster erit, nisi juramento confirmet, quod innocentes bestias non occidat et carnes [h]ædulium peni-(col. 2)tus abjuret. Lupus, ambitione regni cupidus, quod exposcitur promittit et jurat, et factus est rex. Confirmatus ergo in regno, secundum consuetudinem suam cœpit comedere carnes et appetere, nec tamen audet infringere jusjurandum. Cœpit ergo occasionem quærere erga bestias, et advocans unam quam volebat, apertis faucibus, quæsivit ab ea de anhelitu suo an bene olentem haberet anhelitum an fetidum. Cui bestia : Fetidissimus est anhelitus tuus, inquit, Domine rex. Lupus ergo convocavit universas bestias, et ex sententia quæsivit cui vindictæ subjiciendus esset, qui in dominum suum dixisset blasphemiam. Dicunt omnes quia vivere nullatenus deberet. Et ait Lupus : Hæc est bestia, demonstrans eandem quæ in se publice dixit blasphemiam. Arripite eam ergo, et, secundam sententiam quæ data est, interficite illam. Quod subito factum est, et comedit Lupus, dans singulis de residuo partes, ideo ut in posterum ad tale opus bestias inveniret benivolas. Modico demum tempore, vocavit aliam bestiam, a qua, sicut prius, quæsivit de anhelitu suo. Illa vero, comperta quod prior morti data est pro eo quod veritatem locuta est, in contrarium falsum dixit, asserens se numquam tam bene olentem sensisse. Iterum convocatis bestiis, quæsivit ex sententia cui vindictæ subjiciendus esset qui domino suo manifeste dixisset mendacium. Adjudicatus est morti qui hoc fecisset, et demonstrata bestia occisa est et devorata ut prior. Postea vero, nullam amplius inveniens occasionem, quæsivit de Symia a simili casu. Quæ, utramque partem responsionis metuens, invenit medium, (verso, col. 1) dicens : Domine, anhelitus tuus ad utrumque se habet, et ita non potuit

eam Lupus incusare. Tunc simulavit infirmitatem, et advocatæ sunt bestiæ artis medicæ doctissimæ, ut ex accidentibus considerarent quæ esset regis infirmitas et quomodo posset curari. Tacto igitur pulsu et inspecta diligentissime urina, nullum signum inæqualitatis poterant in eo invenire. Sed suggestum est ei, ut, si forte desiderium alicujus carnis haberet, sine dilatione ipsam comederet, ut ex recenti et calida dieta mollem posset habere ventrem et sic infirmitati ipsius consuleretur. Tunc confessus est desiderium se habere comedendi Symiam, sed occasionem deesse qua eam occideret, cum jusjurandum non auderet infringere. Cui sapientes et eminentiores dixerunt : Nonne tu, Domine, sicut alii reges, liberam potes habere in tuos potestatem et debes habere, nec ita pietas in una custodiatur bestia, ut dominum nostrum et regem perdamus? Captaque est innocens Symia et ad devorandum prolata. Sic omnes bestiæ sub unam venerunt sententiam, [tradita] Lupo libera potestate quas vellet condempnare (*melius :* condemnandi).

Moralitas. Sapiens quidam, gravatus injuriis a domino suo sibi illatis : Gravo est, inquit, michi, si tacuero, et si locutus fuero, gravius dampnum pertimesco.

LXXVIII. — DE VENATORIBUS ET LUPO.

Venatores, egressi cum multitudine canum, Lupum insecuti sunt. At ille forte iter per campum arripuit, in quo Pastor armentarius boves pascebat et vaccas. Accurrens ergo Lupus ad Pastorem, quia timebat venatores, rogabat eum per Deum suum, ut ab insequentibus auxilio suo servaretur, et ait : Si me ab imminenti periculo servaveris, tibi et gregi tuo semper fidelis ero (col. 2) et commodus. Vade igitur, ait Pastor, et absconde(re) [te] in rubo qui vicinus est, et, cum supervenerint, ego alias te abisse monstrabo. Fecit continuo, ut edoctus est a Pastore, et supervenerunt venatores, sollicite requirentes quo Lupus divertisset. Pastor autem, extendens manum suam, indicavit ei[s] viam qua non fugerat Lupus, sed oculos fixos habuit

in rubo in quo lacitavit (*sic*). Sic illi viam, quam manu Pastor ostendit, arripuerunt, et salvatus est Lupus. Reversus ergo Pastor ad Lupum ait : Quas grates aut quæ munera a te accepturus sum, pro eo quod [te] celavi et venatores averti? Manus tua et vox tua, inquit Lupus, digna a me deberent accipere munera, sed vellem quod oculi tui essent eruti.

Moralitas. Hoc exemplo duplicitas hominis arguitur, qui aliud ore promittit, aliud corde intendit, sicut Lupus qui Pastori bene promisit et salvatus ei maledixit.

LXXIX. — DE PAVONE.

Pavo cœpit aliquando mœstus esse, pro eo quod dulcem non haberet vocem, et adiit Creatorem suum, conquerens ei quod dulci organo vocis destitutus esset. Respondens Creator : Nonne decentissimo pennarum honore feliciter ornatus es? Vere, inquit Pavo; sed nichil michi beatitudinis in hoc attributum esse timeo, si ceteræ volucres propter vocis ineptiam me contempnunt. Quid enim michi valet decor pennarum, cum Lu[s]cinia, quæ minima fere est avis, vocis suæ dulcedine me superet? Desiste, inquit Creator, vanas ingerere querulas, quia in te uno non omnes convenire possunt gratiæ; quælibet enim avis eo quod natura dedit debet esse contenta : tu decore splendes, Aquila viribus viget, Lu[s]cinia vocis placet dulcedine, Corvus crocitat, Columba gemit, Grus (fol. 18 recto, col. 1) tempus monstrat et auguria, Hyrundo auroram modulis salutat, Vespertilio in vespere volat, Gallus horarum est vates; nullam natura dimisit inmunem. Non ergo amplius exigere debes quam quod Creator concessit.

Moralitas. Omni homini sua debet sufficere sors et conditio, et nullus habet alii invidere gratiam quam Deus ei contulerit. Pauper, contentus (est) eo quod habet, dives est; Dives vero, dum semper ampliora cupit, pauper est.

LXXX. — DE PASTORE ET ARIETE.

Pastor, excoriare volens Arietem, grege in pascuis exis-

tente, cultello venit armatus; apprehenso quem voluit, excoriavit eum. Vidensque inbelles Oviculas nec fugere nec se defendere, cogitavit singulis diebus similiter facere. Videntes itaque Oves Pastorem cotidie excoriationi insistere, statuerunt inter se quod non permitterent eum de cetero aliquam excoriare, nisi rea mortis inveniretur. Ille autem, earum decreta fallens, singillatim omnes usque ad unum Arietem interfecit. Qui Aries, videns tandem eum etiam in suam mortem succinctum : Væ! michi, væ! ait, et addidit : Merito in nos venit ista destructio, quia, cum potuissemus nos defendisse, non fecimus.

Moralitas. Sic fit multis hominibus, quos aliorum mala vel dampna non gravant, donec ad ipsos perveniunt et ipsa ea sumunt.

LXXXI. — DE AVIBUS ET AUCUPE.

Congregatio magna Avium facta est in campo uno et consederunt universæ. Quo viso, Auceps retia sua aptavit, ut eas caperet. Visumque est Avibus, quod ille homo pro eis faceret eisque vias pararet. Dixerunt quoque inter se : Tam pium et misericordem hominem numquam plus vidimus. Ecce, quantum compat[it]u[r] nostræ miseriæ, vias nobis præparat, et, cum nos respicit, de pietate lacrimatur. Erat enim ille lupus (*sic pro* lippus) et lacrimosos habuit (col. 2) oculos; inde putabant eum habere pias lacrimas. Tunc una, multis periculis instructa, sæpe enim laqueos et retia evaserat, tali voce ceteras increpuit : Miseræ et minus providæ, cantus hominis quos diligenter auscultatis, jam super nos retia ducent, et, nisi citius recedatis, jam in saccum trudemini.

Moralitas. Sapientis consilia qui multa vidit et expertus est, veneranda sunt et servanda sæpe; etenim unius consilio multi salvati sunt, et, salutis neglecto consilio, multi perierunt.

LXXXII. — DE REGE ET SYMIA.

Rex quidam habuit domitam Symeam, quæ in mensa ejus de(d)[l]icate nutrita est, solita interesse secretis regis et videre

qualia illi ex[h]ibebantur servitia; familiaris enim erat ei. Transacto itaque aliquo tempore ad assuetas reversa est silvas, et, relicta regia domo, cœpit inter agrestes Symias ipsa vivere agrestis. Est autem consuetudo Symiæ humanos actus imitari. Memor itaque quomodo viderat regi servire famulos suos, gloriosum ipsi visum est, si a consimilibus suis tales honores et talia posset habere servitia, et fecit se regem inter Symias. Et constituit alios judices, alios duces, alios comites, alios præfectos, alios inferioris ordinis ministros, ut, sicut viderat in aula regis, singuli in ordine suo deputata sibi explerent officia. Sedit itaque sic gloriose in medio principum suorum. Contigit autem ut duo Homines iter agerent in vicino ubi Symiarum erat conventus, et erat unus Mendax, et alter Verax. Qui steterunt a longe, donec alter eorum, scilicet senior, ad majestatem imperatoris jussus est accedere. Et hic erat Mendax. Quæsivit ergo rex ab ipso quid sibi de eo videretur quis esset. Qui ait : Michi de vobis videtur quod sitis omnium Symiarum dominus et imperator. Ostendit ei (verso, col. 1) et filium suum, de ipso etiam requirens quid sibi videretur. Et ait ille : Filius imperatoris esse videtur, et poterit vobis adhuc imperio succedere, [si] solummodo vivat et valeat. Tunc de uxore sua quæsivit. Quam illo reginam esse dixit. Post hæc de aliis Symiis interrogavit eum quid ipse sentiret. Aliquæ, inquit, sunt judices, aliquæ comites, sunt pincernæ, sunt dapiferi, sunt ministri, quibus imperatoris curia carere non potest. Placuerunt valde hæc verba in conspectu regis, et dignis honoribus jussus est ab omnibus honorari. Factumque est, ut imperavit. Socius itaque suus, qui vera præferre solebat, videns illum pro mendaciis suis sic honorari, cogitavit quod vera loquendo majorem adhuc promereri posset ab illis honorem. Accessit ergo ipse et coram rege astitit. Cui rex ait : Quid tibi videtur de me, Homo? Qui respondit : Non aliud quam quod sis, Symia. Et de filio meo quid dicis? Ipsum esse Simulunculum (*sic*) dico. De uxore mea quid judicas? Et ait Homo Veredicus : Uxor tua, ejusdem generis bestia cujus et tu. A te nec facie discrepat, nec appellatione.

Et de ministris etiam inquisitus, ipsos esse Symias respondit, et in nullo dominum et servos differe. Rex vero, hæc veritatis verba minus approbans iratusque homini, tradidit eum tortoribus, Symiis scilicet, quæ, asperæ et arridentes, morsibus et angustiis eum circumdederunt.

Moralitas. Cavenda est nobis societas mendaci(i)s et iniqui(s); nec enim æque conveniunt falsitas et veritas, nec diu commorari possunt, utrobique manente integritate.

LXXXIII. — DE ASINO ET LEONE.

Asinus, dum exiret ad pascua, obvium habuit Leonem. Quem prior salutavit ipse hoc modo : Salve, care frater. Cui Leo respondit : Miror qua audacia (col. 2) me consanguineum tuum nominare præsumas, cum nec forma nec fortitudine michi possis æquari. Respondit Asinus : Tu tibi inaniter usurpas quod de te solo bestiæ et feræ pavorem habeant. Sed veni mecum in proximum montem, et ostendam tibi quod etiam de me timorem habebunt. Sequitur itaque Leo Asinum in montem, circa quem major multitudo bestiarum et ferarum convenerat, ubi consistens Azinus (*sic*) magnam et terribilem vocem emisit. Ad cujus sonum omnes bestiæ illæ nimis exterritæ diffugiunt, quia tam ineptam et terribilem vocem numquam audierant, nec desistunt a fuga, quamdiu eum vident et audiunt. Quod ut vidit Asinus, dixit Leoni : Animadverte nunc quod et me timent et fugiunt bestiæ. Cui respondit Leo : Non miror quod terres bestias, quæ te non noverunt. Quæ, si te nossent sicut ego, non utique te timerent, sicut nec ego te timeo.

Moralitas. Hæc fabula monet illos derideri, qui, cum viribus nil facere possunt, inanibus verbis se putant esse terribiles.

LXXXIV. — DE LEONE [ET VULPE].

Leo, venandi labore fatigatus, languorem finxit, et in latebris suis in lecto ægritudinis se deposuit. Tactus ergo desiderio recentium carnium, bestias quas devorare voluit ad se visitan-

dum præcepit intrare. Venit et Vulpes non vocata, et ut ipsa dominum visitaret infirmum. Quæ, considerans multas bestias ingressas fuisse et nullam regressam, resedit foris. Leo itaque, videns eam de introitu dubitare, ipsam quare non accederet interrogavit. Quæ statim respondit : Quia vestigia terrent me, omnia intus spectantia et nulla retrorsum.

Moralitas. Bonum est alterius dampno instrui (fol. 19 recto, col. 1) et aliena pericula habere documenta salutis, quia facile est intrare curias principum et regum, sed non tam facile ab illis exire.

LXXXV. — DE LEONE ET HOMINE.

Leo et Homo fuerunt socii, et dextras dederunt pacis et amicitiæ; sed, ut assolet inter bonos amicos, orta est inter eos semel discordia ipsis de nobilitate disceptantibus et audacia, et ait [Homo] Leoni : Venite mecum, et hujus rei veritatem vobis monstrabo. Venerunt ergo ad villam et in ea depictum fuit in pariete qualiter Homo Leonem interfecerat; ostendit itaque Homo Leoni picturam, et ait : Ecce fortior est Homo Leone, utpote victor eo qui victus est. Cui Leo : A quo acta est pictura hæc, ab Homine vel a Leone? Respondit Homo : Picturam constat Hominis esse, non Leonis. Vera refers, inquit Leo, et Homo quæ vult pingere potest. Leo autem pingere nescit. Sed modo sequere me, et ego ducam te ubi rei veritas clarius apparebit. Et duxit Hominem Leo ad regis curiam. Rex autem ille lacum habuit in quo e[ran]t Leones rapti et Homines rei trudebantur a Leonibus devorandi. Illis moram facientibus in curia, adductus est Homo potens et nobilis, regis inimicus, qui multas regi fecerat injurias. Reus ergo mortis, traditus est Leonibus, qui, prædæ cupidi, laniatis membris ejus, in momento eum exterminaverunt. Tunc Leo, inde recedens, assumpsit Hominem secum, et duxit eum in desertum, ubi ipse conversari et habitare solebat. Euntibus igitur illis, alius Leo ingens et fortis occurrit. Qui, salutato Leone, interrogavit eum quare Hominem illum secum duceret, dicens : Debet ipse latebras nostras cir-

cuire et considerare ubi laqueos ponat, quibus nos decipiat. (Col. 2.) Male ergo partitur (*sic pro* parcitur) rustico isti. Unde, si vos ipsum non curatis, michi saltem devorandum dimittite. Non sic erit, ait Leo ductor hominis. Non enim decet socium meum sub ducatu meo perire. Homo igitur, audita feritate Leonis eum devorare volentis, ad socium suum clamavit, ejus ope salvari cupiens. Postquam ergo hostis ille recesserat, Leo Hominem de contentione sua interrogat, et quid de pictura et revera sibi videatur inquirit. Magna est, inquit Homo, harum rerum differentia, et magna est virtus et nobilitas tua.

Moralitas. Verba, operibus confirmata, majori(bu)s sunt auctoritatis, quam ea quæ sunt sine operibus.

LXXXVI. — DE MUSCA ET CAMELO.

Musca, tota die a Camelo vecta, in vespere illi magnas reddidit grates, pro eo quod ejus auxilio longam fecerat dietam, et quod ei laborem fecerat et gravamen. Cui Camelus respondit : Parum apud (apud) [te] hoc facto promerui, quia nec, cum aderas, de te gravamen sensi, nec, cum recessisti, levamen.

Moralitas. Multi possent aliis facere commodum, unde ipsi non haberent detrimentum, sicut Camelus, qui Muscæ labores sine sua gravedine revelavit (*lege :* relevavit).

LXXXVII. — DE CYCADA ET FORMICA.

Cycada, hyemis tempore in ægestate posita, ad domum venit Formicæ, rogans et petens ut aliquid boni sibi faceret, dixitque se domi nichil habere unde viveret. Cui Formica ait : Quid ergo in æstate operata es et messis tempore, quando ego et familia mea in magno sumus labore, currentes et congregantes in horreis nostris unde in hyeme vivamus? Cicada respondit : Ego tunc illis qui laborabant cecini, et nichil mercedis ab eis recepi. (Verso, col. 1.) Tunc ait Formica : Melius laborasses in æstate, futura (*sic pro* futuræ) provida tempestatis, quam quod hyemis inclementia modo cogit te ad nostra mendicare ostia.

Si igitur ego modo indigerem, quid michi porrigere posses mendicanti?

Moralitas. Hoc exemplo monemur segnitiem fugere et laboribus insistere, ut necessitatibus nostris succurramus, quia, si opus habuerimus alienis bonis, multa rogare possumus, sed pauca impetrare.

LXXXVIII. — DE CORNICE ET ARIETE.

Cornix sedit aliquando in dorso Arietis, et rostro suo lanam ejus expila[vit]. Cui iratus Aries dixit : Quare tota die in dorso meo resides et vellus meum rostro tuo lanias? Cur non etiam aliquando Canem equitas, et eum non trahis, sicut me ex consuetudine facis? Cornix respondit : Non est opus ut me instruas. Ab antiquo enim docta sum, ubi sedere debeam et ubi non.

LXXXIX. — DE COLUBRO ET HOMINE.

Coluber, hyeme constrictus, Hominis gratiam ut vivere posset postulavit. Homo ergo, ejus misertus, ipsum hospitio collegit et tota eum hyeme nutrivit. Æstate autem facta, cœpit Coluber injuriosus fieri, et veneno suo domum et vasa infecit, nec de voluntate sua exire curavit, nisi violenter ejiceretur.

Moralitas. Sic iniqui et perversi bonis merita sua reconpensare solent, in fine semper ac(c)uleos exer[c]entes et pro melle venenum reddentes.

XC. — DE MONTE PARTURIENTE.

Contigit quod Mons parturire debuit; ex qua re, in magnis angustiis positus, horribiles edidit gemitus, ita quod tota provincia inde contremuit, et timuerunt universi, futuri prodigii malum exspectantes. Tandem vero, post multas angustias et magnos gemitus, Mons murem peperit. Quod, ut vulgo innotuit, omnes, qui ventura pericula timebant, animis recuperatis, in risum conversi sunt.

Moralitas. Hoc exemplo (col. 2) monemur promissis non multum credere. Sunt enim qui multa promittunt, sed pauca tribuunt, et sunt qui grandia minantur et minima operantur.

XCI. — DE CANE ET DOMINO SUO.

Canis, a juventute sua venationibus aptus, senio autem debilis redditus, Leporem cepit, sed illum retinere non potuit. Unde iratus Dominus suus acriter eum corripuit. Cui ait Canis : Cor quidem adhuc habeo ; sed solitis viribus careo ; dentes enim, mei senio excussi, ausus meos decipiunt, prædam non valentes servare. Olim fortis eram et laudibus dignus ; nunc ergo dampnor inmerito, senio torpente gravatus.

Moralitas. Hæc fabula vult senes non despici, quorum juventus meruit laudari, quia, quodquod sumus, ad hanc metam tendimus et pervenire cupimus.

XCII. — DE MUSCA ET CALVO.

Musca inportuna Calvum hominem fatigavit, calvitium ejus aculeo pungens et perforans. Ille autem, manum extendens ut eam comprehenderet, alapas sibi dedit, nec eo minus injuriosa fuit illa. Tunc Calvus ad eam dixit : Mortem tibi quæris, inproba, dum sic me inquietare non cessas. Ego mecum facile in gratiam redeo, dum tuæ pravitatis injuri(os)as contempno.

Moralitas. Qui sibi dampnum facit ut alii noceat, deridendus est.

XCIII. — DE VULPE ET CYCONIA.

Vulpes invitavit Cyconiam ad prandium, liquidaque cibaria ei in patella apposuit, quæ illa (nec) sumere nec scivit, nec potuit. Vulpe igitur saturata, quæ modum sumendi scivit, Cyconia jejuna recessit et vacua. Deinde post breve tempus Cyconia Vulpi vicem reddere non neglexit, ipsamque invitatam ad cœnam in domum suam introduxit, et bonas epulas in vitrea ampulla ei præposuit, monuitque eam ut diligenter comederet.

At illa, cum præ angustia vasis cibum (fol. 20 recto, col. 1) attingere non posset, se delusam cognoscens, erubuit valde. Tunc ait ei Cyconia : Si bona ministrasti, bona recipe ; si minus, hoc nobis indulge.

Moralitas. Sic monemur aliis facere quæ nobis fieri cupimus, quia munus dat munus et geminos calaphos (*sic pro* colaphos) non numquam reddere solet unus.

XCIV. — DE MUSCA ET MULA.

Musca, in t(h)emone sedens, cum Mula litigavit. Quia tardus, inquit, ambulas, cervicem tuam acriter pungam, et quid possit aculeus te sentire faciam. Cui sic Mula respondit : Verbis tuis nequaquam moveor, sed ejus qui in sella sedet, frenis ora mea monet ; ejus et minæ timendæ sunt. Tu, misera et nullius valoris, quid michi nocere poteris ?

Moralitas. Aliqui, cum viles sint, melioribus irascuntur et minantur ; sed sic viles esse non desinunt.

XCV. — DE MUSTELA ET HOMINE.

Mustela ab Homine deprehensa, videns quod evadere non posset, sic ait ad eum : Merito michi parcere debes, et honeste tractare in ista captivitate. Ego enim sum illa quæ domum tuam a molestis et inmundis muribus purgare diligens fui. Et ait Homo : Si mei causa id fecisses, bene utique apud me promeruisses. Sed scio quare hoc feceris : ipsa tibi hoc facto servi[i]sti. Ad hoc nempe mures diligenter devorasti, ut reliquias nostras sola haberes et roderes. Dixit, et miseram pelle exspoliavit.

Moralitas. Sic malum est servire malis, a quibus male remunerantur qui eis bene famulantur.

XCVI. — DE RANA ET BOVE.

Rana, de pal(l)udibus egressa, Bovem magnum et turgidum in pascuis cum vidit, ut ei similis fieret optavit. Sese igitur inflans, pueris suis ait : O pueri, respic[it]e me, et dicite michi

si tam magna et turgida sim ego, ut Bos qui pascuat ibi? Non sic nobis videtur, dixerunt pueri. Ite-(col. 2)rum inflavit se et ait : Quid modo vobis videtur? Et dicunt illi : Non estis adhuc similis Bovi. Illa autem, cum se tertio magis adhuc inflare voluit, rupta pelle sua per medium crepuit.

Moralitas. Inde vulgare illud credimus tractum : Non te sic infles, ut crepes.

XCVII. — DE EQUO ET ASINO.

Equus juvenis et fortis, bene faleratus argenteo freno et sella deaurata et aliis ornamentis quibus equi ornari solent, occurrit forte Asino in loco angusto. Et erat Asinus gravi sarcina onustus et longo fessus itinere. Qui cum transeunt[i] Equo non dedit honorem nec ei cessit, sic dixisse fertur Equus : Satis me teneo, dum tuam ruditatem calcibus non moneo, qui transeunti michi debitum facere nescis honorem, dando locum et vacuando viam transeuntibus ar[c]tam. Asinus igitur, magno terrore percussus, obmutuit, nec minaci Equo respondere ausus est. Post breve vero tempus Equus ruptus et redorsatus, a domino suo neglectus, macer est effectus et minus utilis. Jubetur ergo duci ad villam ut fimum duceret in agros, ne nichil utilitatis faciat. Itaque, ut suo officio similis reddatur, rustica sibi imponuntur ornamenta ad tale opus pertinentia. Asinus autem, in campo ad pascua sua deambulans, statim, cum vidit illum vile onus stercoris trahentem, cognovit eum et ait illi : Quid tibi præsunt modo pretiosa ornamenta, in quibus nuper gloriosus fuisti, et me sub onere gravi fatiscentem minis ferocibus terruisti? Modo ad nostræ servitutis consortium devenisti, et de urbano et superbo rusticus factus es et subjectus. Nunc ergo audaciam tuam et vires labor hujus humilitatis experietur.

Moralitas. Nullus debet in prosperi-(verso, col. 1)tate sua nimis efferri nec aliis molestus esse et injuriosus, quia, si Fortuna levis vultum suum mutaverit, homo, de sublimi ad yma rotatus, vilis erit illis quos prius superbe contempsit.

XCVIII. — DE LUPO ET VULPE.

Lupus congregavit magnam prædam in cubili suo, ut pluribus mensibus haberet unde secure viveret. Vulpes, ut ista fama referente cognovit, absque mora iter ad eum movit, ipsumque inventum in stratu suo deliciis plenum benigne salutavit et ait : Merito tristis sum, quia te multo tempore non vidi, nec tu me visitare voluisti. Et ait Lupus ad illam : Non de me sollicita venisti, sed ut aliquid rapias et subtrahas. Non es grata quod venisti, quia fraudes tuas nimis agnovi. Hiis verbis irata, Vulpes Pastorem adiit, qui gregem suum in vicino custodivit. Cui sic locuta est : Quas a te grates exspectare possum, si inimicum gregis tui in manus tuas hodie tradidero, ut de cetero non sis sollicitus? Pastor ait : Si hoc feceris, me semper servum habebis et munera digna a me recipies. Tunc illa Lupum lacitantem (*sic pro* latitantem) prodidit, quem Pastor lancea sila transfixum ad inferos misit. Vulpes vero, in prædam congregatam ruens, desiderium suum saturasset, nisi venatorum inopinatus prohibuisset incursus, qui, super eam irruentes, incautam ceperunt. Tunc ait illa : Quia alterius dampno intendi nimis et proprium non precavi, merito tradita sum persecutori.

Moralitas. Sic monemur alium non lædere nec ei malum machinari, ne nos eodem flagello torqueamur.

XCIX. — DE HOMINE ET BOBUS SUIS.

Quidam Homo junxit sub jugo Bovem et Vitulum; sed Vitulus, jugo insuetus et Bovis societate territus, contra jugum luctabatur, et collo suo cornibus illud excutere voluit. Tunc ait Dominus : Ego non junxi vos ad laborem, sed ad (col. 2) instructionem, ut simul ire assuescatis, et concorditer jugum trahatis. Aliter enim verberibus digni estis et stimulis.

Moralitas. Sic debet homo liberos suos sub jugo disciplinæ ponere et bonis eos magistris jungere et committere, quorum exemplo et imitatione bonis moribus assuescant et studiis.

C. — DE NEGOCIATORE ET AZINO (*sic*) SUO.

Quidam Negociator, festinans cum Asino suo onusto nundinas ingredi, graviter eum cædebat. Asinus autem, plagis et itinere fractus, optabat ut citius mor[i]eretur, sperans labores suos morte posse terminari; sed mortuo eo de pelle sua facta sunt cribella et tympana, quæ assiduis tunsionibus et usibus agebantur. Et sic Asinus, qui per mortem speraverat esse securus, etiam post mortem cædebatur ut prius.

Moralitas. Sunt qui mortem vocant, ut labor eorum finem habeat. Sic enim fieri putant. Sed mors non est laborum meta, si vita fuerit asinina.

CI. — DE CERVO [ET BOBUS].

Cervus, venatorum strepitu perturbatus, ut mortem evaderet, villam petiit, et, Bubus sociatus, cum eis ad præsepia intravit. Cui Bos dixisse fertur : Quid tibi voluisti, miser, huc ad mortem venire? Silva te melius servaret, aut levis ungula salvaret in campo. At ille respondit supplex : Precor te, ut michi parcere velis, et non me prodere, quia jam in crepusculo securus abire potero. Hiis dictis, obscuro se loco recondidit. Sic itaque lacitans (*sic*) bubulcis Boves pabulantibus occultus remansit. Hinc ille gavisus grates Bubus reddit, quod fugienti locum dedissent fidemque suam in eo non læsissent. Tunc unus, corpore grandis et gravis annis, ait illi : Salvum te quidem forte volumus; sed cavendum est ne ab illo videaris, qui centum habet oculos; ille est qui nobis (fol. 21 recto, col. 1) dominatur ; a quo [si] fueris visus , nichil præter vitam offerre poteris. Cum hæc agerent Bos et Cervus, ingreditur stabulum dominus, et, quia nuper viderat pro servorum negligentia Boves macilentos, accessit ad præsepia curam Boum habens. Dum ergo præsepia diligenter exquirit, cornu lacitantis inscius apprehendit, vocatisque ad se bubulcis de cervo inquirit, quando vel quomodo stabulum intraverit. At illi se nescire dixerunt. Gavisus ergo dominus Cervum salvavit, et in eo sibi complacuit.

Moralitas. Utile est fugere, cum pugna salvare non potest. Prodest etiam domino rebus suis curam præstare et diligentiam.

CII. — DE VULPE [ET UVIS].

Vulpes esuriens intravit vineam, ut uvas colligeret. Erant autem uvæ in sublimi pendentes. Quas cum apprehendere non posset, omni conamine desistens ait : Acidæ estis et minus maturæ, nec est michi cura de vobis. Et ita recessit, quasi non curaret uvas.

Moralitas. Sic multi, summo desiderio aliquid affectantes, cum habere nequeunt quod cupiunt, se nichil inde curare dicunt.

CIII. — DE MUSTELA [ET MURIBUS].

Mustela, inveterata nec jam amplius Mures venari prævalens, arte juvari voluit, ut vitam habere posset. Igitur in farina se conjecit et abscondit, ubi Murium frequentiam esse scivit. Ibi ergo in insidiis lacitans (*sic*), Mures sine labore capiendos exspectavit. Cepit itaque tres juvenes et minus cautos Mures. Tandem venit grandævus Mus et circumspectus, qui de laqueis et muscipulis non semel evaserat, vidensque illam insidias habentem, cognita fraude ejus, sic eam allocuta est : Minus cautos Mures decipere quidem potestis; sed me minime capietis. Ego enim vos intus et intute (*sic forsan pro* in cute) novi.

Moralitas. Ars valet et ingenium. Sæpe namque arte proficitur quod viribus posse fieri non invenitur.

(Col. 2.) — CIV. — DE PANT[H]ERA.

Pant[h]era cecidit in foveam. Illi ergo, qui lacum foderant, feram captam videntes, diversis eam pœnis molestabant. Alii fustibus eam cædebant. Alii stipitibus trudebant. Alii lapidibus obruebant. Sed quia solet aspectus gratiam cuilibet dare, erat ibi quidam qui ei conpatiebatur, et aliis dixit : Parcite innocenti quæ neminem læsit; et hiis verbis illorum animos temperavit, ut a persecutionibus illius cessarent. Tunc aderant ibi

qui panem ei projecerunt, ut vitam retineret. Facto autem vespere, abeuntes illi semivivam eam reliquerunt, mane redituri ut mortuam extraherent. Postea vero illa, vires recuperans, veloci se saltu inde eripuit, et ad cubilia sua rediit. Paucis quoque diebus interpositis, ipsa, injuriarum suarum non immemor, persecutoribus suis vicem reddere non tardavit. Ad [v]illam igitur veniens, pastores fugavit, pecudes dissipavit, mordens et devorans, et, in aratores impetum faciens, exterruit eos. Illi ergo, dampna non curantes, tantum pro vita supplicabant. Tunc Panthera illis respondit : Scio quis me fustibus læsit, quis me lapidavit. Scio quis michi propitius fuit et panem porrexit : singulis æqua lance merita reconpensabo.

Moralitas. Hæc inprobi et injuriosi audiant, ne aliquem injuste lædant, et misericordes gaudeant, quia misericordiam consequentur.

CV. — DE EQUO ET CERVO.

Lis et discordia fuit inter Equum et Cervum. Equus enim, videns Cervum nobiliter incedentem erecta fronte, perti(t)[c]is eminentibus, ventre gracili, et gressu facili, invidebat ei munera naturæ. Venit ergo ad venatorem et ait : Magnum scio Cervum et pinguem, quem (verso, col. 1) leviter capere potes. Carnes mensam multis diebus honestabunt ; cornua medicinam habent ; combusta enim febres pellunt ; et corium non erit inutile ; bursam enim ditabit argenteis. Venator ergo cupidus dicta commendat et qualiter capi possit interrogat. Et ait Equus : Meo, ut ostendam, capiendus est auxilio ; vos me equitabitis et ego Cervum inveniam. Quem ut videritis, statim venabulo transfigetis. Venator ergo ascendit Equum et emovit Cervum, qui, in fugam versus montes transiens et saltus, cursu meliori ab oculis eorum eripitur. Equus igitur, calcaribus perfossus et fatigatus discursibus, fessorem (*sic pro* sessorem) suum talibus deti(m)[n]uit : Viribus destituimur et non apprehendimus quod sequimur. Melius ergo cessemus quam omnino deficiamus. Descende ergo et dimitte me. Venator respondit ei : Non te sic

possideo ut tibi obediens fiam; sed tu potius freno et calcaribus meis, velis, nolis, obedies.

Moralitas. Sic invidi, ut fortiores fiant illis quibus invident, alienæ se subjiciunt potestati. Sed sæpe contigit ut nec voluntatem suam in illis compleant, nec servitutem, cui se sponte subdiderunt, de cetero evadant.

CVI. — DE CORVO [ET VOLUCRIBUS].

Corvus finxit se convivium velle facere : convocavit ergo multas Volucres et ad epulas eas invitavit. Cum itaque omnes introduxerat, clausis super eas januis, violenter ipsas invasit et mortem eis intulit.

Moralitas. Sic multi ad dampna sua ingrediuntur, ubi se putant ad commoda venire.

CVII. — DE CORNICE [SITIENTE].

Cornix sitibunda venit ad urnam semiplenam. Quam evertere temptavit, ut effusam aquam sibi hauriret. Quod cum fieri non posset, quia firmiter stabat, ad (col. 2) alias ivit artes, calculisque viribus suis aptis studiose invectis urna prope plena, superavit aqua lapillos, et sic Cornix sitim suam revelavit (*sic pro* relevavit).

Moralitas. Hinc est quod dicitur : Fortior est ars viribus.

CVIII. — DE PUERO ET COLUBRO.

Puer intravit silvam et offendit in magnum lapidem, sub quo latebat Coluber. Puer itaque stetit ut lapidem erigeret; sed vires ejus superavit onus. Tunc ait Serpens : Noli, miser, levare lapidem, ne ego te interficiam.

Moralitas. Hoc exemplo monemur ne temptare ardua, nostris viribus inæqualia.

CIX. — DE ASINO ET LUPO.

Asinus olim infirmabatur; quem Lupus venit visitare et cœpit molliter palpare corpus ejus, quæsivitque quam partem

magis doleret. Asinus ergo, timens ne Lupus sanam partem invaderet si aliam sanam et aliam diceret ægram, totum se languidum dixit. Nec aliquam partem mei tangere potestis, ait Lupo, quæ non debilis sit et infirma.

Moralitas. Sic monemur malis et perversis minime credere, quia, licet aliquando simulent pietatem, semper tamen ad nequitias intendunt.

CX. — DE HÆDIS ET HIRCO.

Tres Hædi magnum viderunt Hyrcum veloci cursu fugientem et clamantes deriserunt eum. Indignans autem ille respexit et ait eis : Vos, miseri et ignari, si quem fugerem sciretis, non sic vobis deridendus essem.

Moralitas. Sic sæpe potentibus ab inferioribus detrahitur.

CXI. — DE VIATORE QUI INVENIT GLADIUM.

Viator, dum ambularet, in via Gladium jacentem invenit et protinus ait illi : Quis te perdidit? dic, quæso, michi. Respondit ei Gladius : Unus me et ego multos; et cetera.

Moralitas. (Fol. 22 recto, col 1.) Malus multis nocere potest; sed tandem perit ipse.

CXII. — DE CERVO ET OVE.

Cervus ab Ove modium frumenti petiit, quod se ei (ac)commodasse dixit, Lupum in testimonium secum adducens. Ovis, talibus auditis, perterrita maxime propter Lupi præsentiam, diem rogavit sibi dari, in quo hæc persolvere posset; quod et factum est. Die igitur statuto reversus est Cervus solus, sperans se recepturum quod petierat. Ovis vero, de Lupi gaudens absentia, eum sprevit et ait : Nimia in vobis est deceptio; habete vobis campos ad fugiendum et Lupus nemus ad lacitandum (*sic*).

Moralitas. Dives, cum pauperi aliquid (ac)commodavit, ut plus ab eo exigere queat, perversorum se testimoniis roborat;

sed sæpe simplicitas pauperis defenditur, ubi divitis perversa dolositas confunditur.

HACTENUS ÆSOPUS; QUOD SEQUITUR ADDIDIT REX AFFRUS (*sic*).

CXIII. — DE MILITE ET LATRONIBUS.

Miles, in campo equitans, vidit duos Latrones simul susurrantes et quasi furtorum consilia tractantes, et accedens ad eos quid sibi vult illa susurratio quæsivit, cum in vacuo campo possent nullo audiente loqui quæ vellent; et alter eorum respondit ei : Non est necesse ut sic faciamus; sed istud videtur nobis magnæ nequitiæ opus, et ideo placet nobis.

Moralitas. Sic stulti et nequam faciunt, cum nequitias suas exercent, et produnt ubi nichil inde acquirunt.

CXIV. — DE DIVITE QUI SANGUINEM MINUIT.

Dives quidam sanguinem minuit, quem Filiæ suæ servandum commisit, ut post moram medicus illum inspiceret et in eo infirmitatis suæ certa signa inveniret. Filia vero negligens sanguinem (col. 2) male custodivit. Canis namque accedens partim effudit et partim absorbuit. Quod ut Puella percepit, patris iram metuens, satis inde doluit sociæque suæ statim casum retulit; quæ consolata eam dixit : Scio quid facies. Tu sanguinem in ipso vasculo minues, et ad patris imperium medico præsentabis; non erit qui istud percipere possit. Placuit ei consilium et ipsa festinat ad factum. Medicus autem, non fallax artis observator, mox ut sanguinem vidit, gravidationis in eo legit signa certissima, et ait Domino : Certus sum ego, secundum regulas artis meæ, quod in sanguine isto manifesta est ejus a quo missus est inprægnatio. Miratur inde Dominus, nec mirari sufficit qualiter hæc inaudita res in eo facta sit et de futuro partu magnum timorem concepit. Tota domus stupet et miratur, et pro domino inprægnato sollicitatur, et, dum agendum quid sit ignorat, medicum mendacem et deceptorem indica(n)t. Dum itaque talia gerunt et futurum periculum

pertimescunt, eventum rei diligentius exquirunt, et, sanguinis effusione reperta, Puellam cogunt et rogant ut per eam veritatem intelligant. Videns ergo Puella medicum non posse falli, rem in ordine exposuit, et patri ignominiam suam detexit.

Moralitas. Sic solet fieri manifestum, quod ab infideli et negligenti minus sit honestum.

CXV. — DE HOMINE ET SERPENTE.

Facta est societas inter Hominem et Serpentem, et tali conditione erant unanimes, ut Homo singulis diebus lac in vasculo Serpenti daret, et Serpens Hominem ditavit (*sic*). Homo itaque, dives factus et potens, quodam tempore, ut debuit, (verso col. 1) Serpenti grates retulit, qui[a] per eum divitiis (h)abundaret et honoribus. Cui Serpens respondit : Ego, utrum volo, vel bene vel male facere possum, et divitias, cum placet, confero; si michi displicet, collatas aufero. Quod cum Vir Mulieri narravit, ait illi Mulier : Si ita es[t] ut dicis, melius michi videtur ut eum jam dives interficias, quam ut aliquando iratum sentias et subtractis istis opibus in pauper[i]em redeas. Sedit (*sic*) Viro consilium Mulieris, et uno die, cum solito more lac Serpenti præberet, socium caput ascia fundere conatus est. Sed Serpens callidus in antris se traxit, et lapis ictum recepit et vulnus. Serpens igitur, iratus et statim ad vindictam egressus, oves Rustici invasit, et plurimas earum inutiles reddidit. Sequenti quoque die filium ejus in cunis interfecit. Tunc ait Homo Mulieri : Consilium tuum fuit inutile; unde ut melius michi consulas nobis est necesse. Et ait illa : Nescio quid facias melius, quam quod cum eo in primum, si possibile sit, redeas fœdus. Homo igitur cum lacte suo petit antrum offensi socii, temptaturus si munere lactis possit placari. Vocatus ergo ad prandia, Serpens de spelunca respondit et quid Rusticus vellet interrogavit. Et ait ille : Lac ex more defero, et amissam gratiam vestram supplex reposco. Tunc Serpens dixit ei : Vix poterit fieri quod reddamur amici quales prius fuimus, sed aliqua

simul habere poterimus (1). Afferte ergo lac ut soletis, et, eo ante speluncam reposito, recedere debetis, et merces vestra bona erit, et ita erimus adhuc, si velitis, amici; sed, nisi fallor, neuter de cetero bene credet alteri. Quia, cum ego videro vulnus lapidis, memor ero semper securis, (col. 2) et tu cum cunas videris, præsens erit memoria Serpentis.

Moralitas. Amicitia semel graviter læsa, vix solet fieri quod de cetero sit omnimodis integra.

CXVI. — DE MULO.

Mulus, cum vellet nubere, filiam Solis sibi sponsam expetiit, utpote qui de alto genere suum instituere intendebat conjugium; super hoc Solem sollicitare cœpit. Cui ait Sol : Si genus et potentiam in sponsa requiris, ostendam tibi potentiorem me, Nubem scilicet, qui radios meos, ne mundo luceam, sæpissime abscondit. Vadam, inquit Mulus, et ejus expetam filiam, quia tu ejus potentiam tibi præponis. Venit igitur ad Nubem expetens ab ea filiam suam. Cui Nubes respondit : Si genus et potentiam in sponsa requiris, ostendam tibi potentiorem me, Ventum scilicet, qui me dissipat et dividit in diversas cœli plagas. Si ita est, ait Mulus, ipsius filiæ conjugium petam, quia potentiam ipsius esse prædicas tantam. Venit ergo ad Ventum, dicens : Quia duobus fortior diceris, Sole videlicet et Nube, filiam tuam, utpote magnis ortam natalibus, sponsam expeto. Cui Ventus : Si vires pensas, Filiam Muri expete, quoniam ipse viribus me valide resistit, et impetus meos valida sustinet fortitudine. Vadam, ait Mulus, et quod hortaris faciam, maxime cum ejus fortitudinem tam validam dicas. Venit ergo ad Murum dicens : Ventus, cujus filiam expetii, me misit ad te, vires

(1) Hic, in Burgundicæ bibliothecæ codice desunt subsequentes phrases, quæ in Georgiæ Augustæ Universitatis bibliothecæ codice reperiuntur : Nam cum specialissimus vester eram amicus, nullum malum, sed præ cunctis viventibus, nisi tantum bona præsumpsi de vobis, vos maximam infidelitatem mihi ostendistis, scilicet vitam meam delere de terra viventium quantum in vobis fuit; quanto magis nunc credam vobis minime.

tuas validas esse ostendens. Da igitur michi filiam tuam. Cui respondit Murus : Si alicujus potentis filiam requiris, ostendam tibi cui ego resistere non valeo. Mus, qui interiora mea rimatur assidue, qui, ubi fortissimus sum, me perfodit, et in sum-(fol. 23 recto, col. 1)mitate mea thalamos suos collocat, ipse est quem me judico fortiorem. Satis est hoc, inquit Mulus; sed filia ipsius neptis mea est, et intendebam aliunde parentelam contrahere, ut genus meum nobilitarem. Respondit Murus : Cui (*sic pro* Cum) ad diversos transieris, aptiorem tibi nuptam quam filiam Muris numquam invenies, quia, si talem, quæ altioris est generis, assumpseris, dum ipsa semper ad naturales tendit dignitates, tu in natura tua permanere contendes, et erit sine dubio inter vos gravis dissentio.

Moralitas. Sic fit de illis qui parem sibi nullum existimant : quando supra se ire contendunt, infra se corruunt, et, dum naturam suam fallere cupiunt, nolentes in eandem recidunt.

CXVII. — DE SCARABONE.

Scarabo, de fimo egressus, sursum respexit, et Aquilam in sublimi volantem vidit, animoque inflatus [est], sociisque Scarabonibus dixit : Indignor satis, quod aliæ volucres nos parvipendunt, et neque vermes neque volucres nos esse permittunt, sed mixtos nos esse dicunt, et hoc quoque ignominiæ nostræ adjiciunt, quod saturati volamus, et, cum esuries nos cogit, tunc repimus. Ego autem sæpe consideravi eam quæ prima est inter eas; sed nichil in ea video quod super id commendem, quod in me habeo. Vox etenim ejus non est dulcior quam est mea, et alæ suæ non sunt meis pulchriores. Sed unum est, in quo me maxime dehonesto, scilicet quod in tellure repo, et superas auras cum aliis avibus non frequento. Et alas suas levans, statim se misit ad supera, cantus sui nequaquam oblitus. Volebatque prævenire Aquilam, et ipsa superior fieri. Sed fraudatus est a desiderio (col. 2) suo, quia, subito a proposito suo deficiens, cum Aquilam anticipare non posset, fessus ad yma se

remisit, et, cum huc et illuc reptando ad dimissum fimum nescivit redire, talia dixisse fertur : Non curarem modo si nullus subjiceretur michi, dum ego non subjicerer modo vulpi, et nichil michi esset utrum dicerer vermis esse vel volucris, dum solummodo possem ad fimum redire, ne me contingat hic fame perire.

Moralitas. Sic superbia inanes decipit, qui, sua non contenti conditione, dum ad altiora contendunt, ad priora redire volentes non inveniunt.

CXVIII. — DE APRO ET ASINO.

Aper occurrit Asino in via, et illa angusta erat, et Aper festinabat. Sperabat igitur ille, quod Asinus sibi cedere vellet et transeundi copiam dare. Sed statim cum ei appropiavit, levatis calcibus suis in Aprum, Asinus eum proterve salutavit, costas ipsius gravi ictu infestans. Aper itaque, anxius redditus, cursum suum refrenavit, et iratus sic ait : Scio plane quo munere dignus esses, si arma mea vellem in te coinquinare.

Moralitas. Sic elatus homo et arrogans facere solet : dato in manus suas inimico, dedignatur se vindicare in illo, quem vilem reputat.

CXIX. — DE PORCELLIS.

(H)abundantia erat glandis maxima, et dimissi sunt Porci cum pastoribus ad nemora. Taxus ergo, nemoris alumpnus et incola, qui glandibus vivere solebat, videns eas vastari, Porcis se sociavit et de genere ipsorum esse dixit; unde et merito ipsis communicare deberet in pascuis. Cum autem postea vidit incrassatos Porcos (verso, col. 1) securibus subduci et interfici, idem de se metuens, carnificibus ait : In me sævire non debetis, quia Canis sum natura et genere, nec humanis esibus aptus. Et ostendit eis ungulas suas in argumentum, et more canis terram scampare (*sic pro* scalpere) cœpit ungulis suis caninis.

Moralitas. Sic multi cupidi et astuti duas vias ingrediuntur, quibus et sic alios seducunt; nam, cognita eorum versutia, et

si quandoque benefecerint vel vera locuti fuerint, nullius tamen sunt momenti quæ dicunt vel faciunt.

CXX. — DE LUPO ET HERINACIO.

Lupus et Herinacius socio jungebantur fœdere. Contigit interim Lupum minus caute ambulantem in cyppum intrare, et captus est pede. Rogavit ergo socium suum Herinacium, ut ei fideliter assisteret, et in tanta necessitate, ut bonus socius, sibi subveniret. Cui respondit Herinacius : Subvenire vobis minime possum, antequam Sancti, a quibus ligatus estis, vos absolvant. Multa enim, reor, pro satisfactione excessuum, Sanctis vovistis, quæ, ut michi videtur, non bene persolvistis, Carnium videlicet abstinentiam vel aliqua hujusmodi, et inde vobis offensi permiserunt vos in laqueum venire. Agendum ergo vobis est pro gratia eorum ; quam si optinueritis, poterit vobis prodesse mea societas ; aliter non, quia divinæ voluntati obviare nullatenus audeo.

Moralitas. Noli nimis confidere in socio, sed tu teipsum custodito.

CXXI. — DE LUPO ET NAUTA.

Lupus, in aliam regionem transiturus, venit ad fluvium. Quod cum videret latum et altum, non audebat se undis committere ; sed rogavit Nautam, ut ipsum in navicula sua transportaret. Faciam, inquit, si naulum dederis. Et ait Lupus : Dabo quod volueris ; tantum me recipiat navis. Jussus [est] ergo intrare, et navis soluta est a littore. Tunc ait Lupus Homini : Dic (col. 2) modo quid daturus sum tibi mercedis. Tria vera, inquit, michi dicas pro pretio. Placuit hoc Lupo, et statim unum protulit dicens : Benefacit qui benefacit. Et ait Nauta : Satis verum est istud. Post hæc, medio jam in flumine transito, protulit secundum, dicens : Qui sic non facit, pejus facit. Et istud non minus verum est, ait Homo ; et exegit tertium. Cui Lupus : Tertium non habeo præ manibus ; sed, interim quod littore approximamus, inde cogitabo. Illis ergo prope littus factis,

Lupus saltu se de nave extulit, et in sicco constitutus, ait : Quitquid boni fit perverso, perditum est ex integro.

Moralitas. Verum est Lupi proverbium, quia male expenditur quitquid malo impenditur.

CXXII. — DE ACCIPITRE ET NOCTU(O)[A].

Accipiter et Noctua in una arbore nidificabant, et talis fuit inter eos concordia, ut, mutua familiaritate, alter in alterius nido ova sua poneret. Unde contigit inter pullos Accipitris pullum Noctuæ prodire et ab Accipitre foveri et pasci. Factum est autem, ut inmundus ille pullus nidum fœdaret Accipitris. Quod cum vidit Accipiter, rem fœdam ab(h)ominatus, nidum despexit et pullos suos. Illi autem, jam fame deficientes, ad patrem in fortitudine clamaverunt : Cur nos, pater, deseris, aut quare deficientibus nobis solito pietatis studio escam non tribuis? Quibus ille respondit : Multis jam annis in hac resedi et pullos habui; sed numquam prius fœdatum nidum meum inveni. Et responderunt illi : Nobis hoc injuste imputatur, cum frater noster ille cum magno capite solus hoc fecerit. Quo audito ait pater : Potui quidem eum fovere et de testa producere, sed naturam suam non possum inmutare.

Moralitas. Licet doctrina multum possit operari in homine, fortior tamen est in eo jus naturæ.

(Fol. 24 recto, col. 1.) — CXXIII. — DE AQUILA ET ACCIPITRE [ET ARDEA].

Aquila irata fuit Accipitri, et jussit eum capi et sibi præsentari. Egressæ igitur aves, ex præcepto Aquilæ cui tenebantur servire, insecutæ sunt Accipitrem totis viribus fugientem. Quem cum fortiter instarent cum magno agmine et ipse jam deficere inciperet, in antrum rupis se misit ut ibi mortem evaderet. Hoc igitur facto, volucres foris astabant, diligenter eum observantes et obsidionem facientes. Cum autem diu exspectatus nequaquam exiret, qualiter extraheretur cogitabant. Visum est itaque eis quod per Ardeam hoc fieri posset convenienter,

si longi colli rostro eum intus impeteret et apprehenderet. Res ergo Ardeæ committitur. Quæ, animum in hostem parans, lacitantem (*sic*) infestare cœpit. Cui cum nimis molesta esset [et] longo collo superba eum fatigaret, intrusum ejus collum cautus apprehendit rostro suo et captivam eam tenuit. Illa autem, anxiata et nimio terrore occupata, liquida stercora dimisit, quibus socias aves sursum aspectantes deturpavit. Tandem vero recuperato collo, ipsa de rustico facto confusa, in patria sua remanere noluit. Sed statim mare transire cogitavit et in viam se misit. Cui Cornix obvia data quo [vadat] quærit et unde. Et ait Ardea : Pudor fugat me de patria et propero transire maria. Ad quam Cornix : Mea laude ad patriam redibis, quia, quocumque fugeris, semper culus tuus adhæbit tibi.

Moralitas. Malus in Francia malus in Anglia erit; cœlum enim est mutare, non animum, trans mare currere.

CXXIV. — DE PRESBITERO ET LUPO.

Presbiter quidam docuit Lupum litteras. Presbiter dixit A et Lupus similiter. Presbiter ait B et Lupus similiter. C, dixit Presbiter, et Lupus dixit similiter. Modo congrega, ait Pres-(col. 2)biter, et sillabica. Et respondit Lupus : Sillabicare nondum scio. Cui Presbiter : Ut tibi melius videtur, sic dicito. Et ait Lupus : Michi optime videtur quod hoc sonat Agnus. Tunc Presbiter ait : Quod in corde, hoc in ore.

Moralitas. Lingua clamat quod cor amat. Hinc sæpe datur intelligi quod verum sit in corde teneri.

CXXV. — DE VIPERA ET LIMA.

Vipera, in officinam Fabri ingressa, in limam offendit, et, super eam se extendens, ipsam rodere cœpit. Cui Lima locuta est et sic dixisse creditur : Cavendum tibi summopere est, ne quid michi de tuo remaneat, quia de meo parum deferes.

Moralitas. Durum est contra fortem luctari, et de prudenti astutia trahet parum.

CXXVI. — DE HIRUNDINE ET PASSERIBUS.

Homines triturabant in horreo, et Hyrundo in trabe residebat dulcibus lasciva modulis diem salutans, et Passeres ante ostium foris elapsa grana quæritabant. Quibus ait Hyrundo : Cur sic foris manetis et aperto vobis ostio ad granorum copiam non intratis? Qui respondentes dixerunt : Quia timemus homines, et maxime baculos illos, quibus frumenta flagellant. Et ait Hyrundo : Numquid cernitis qualiter me advolare permittunt et intus esse sine offensa? Sic et vos non offendent. Sic ergo monitis ejús animati intus convolant, et, quasi ad prandia invitati, spicas libere excutiunt et expilant. Trituratores autem, cum viderent eos audacter intrare, inter se dixerunt qualiter crastina die, clausis ostiis, eos capere vellent et male tractare. Hoc ergo consilium cum audiret Hyrundo et intelligeret, ne crastino venirent eos ammonuit. Quibus mane non intrantibus, mirati sunt homines, (verso, col. 1) et consilium eorum ab Hyrundine proditum intellexerunt, et dixerunt ad invicem: Falli equidem poterit Hyrundo garrula, si nos mutaverimus verba, dicentes quod nichil mali facere velimus Passeribus ingressis. Et, Hyrundine reversa, fecerunt sicut prædixerant. Audiens ergo Hyrundo illos pacem promittere Passeribus, audita retulit eis, et ausi sunt miseri venire secundo. Omnibus igitur intus receptis clauserunt ostia viri, et dati sunt Passeres in captivitatem et mortem, paucis evadentibus, qui Hyrundinī mendacia sua inproperabant, arguentes illam quod in mortem eos vocasset. Quibus illa respondit : Ego melius non potui, quia, vera dicentibus illis, verax fui, et, cum ipsi mentirentur, cum eis inventa sum mentiri.

Moralitas. Sic multi aliorum mendacia referunt, in quibus se mentiri nesciunt.

CXXVII. — DE LEPORE ET CERVO.

Lepus vidit Cervum magno corpore et erectis cornibus gloriosum, et suam parvitatem ægre ferens Jovem adiit, volens de

humili sua conditione querimoniam facere, et ait Jovi : Tibi, quia Creator es et Dominus, de humili sorte meæ conditionis conqueror, quia, cum ceteræ bestiæ diversis naturæ muneribus sunt superbæ, nichil michi collatum est, nisi pedum levitas ad fugam [h]abilis. Rogo ergo te, Creator, ut talia per te habeam cornua qualia Cervus habet. Et exauditus est a Jove. Receptisque cornibus (h)onerata fronte, currere nequivit, sed et repere vix potuit. Et sic plus rogaverat quam portare posset.

Moralitas. Sic multi magnis honoribus inhyant; quibus adeptis, cum eos gerere nesciant, viliore(m)[s] fiunt quam prius fuerant.

CXXVIII. — DE LUPO ET COLUMBA SILVESTRE.

Lupus vidit Columbam silvestrem ramusculos colligere, et ait illi : Tota die te video ad ligna circuire et ramos congregare; sed (col. 2) numquam te vidi bonam domum habere vel bonum ignem facere. Cui Columba respondit : Semper, ex quo vicini fuimus, te vidi oves trahere et congregare; sed numquam vidi te melius inde vestitum vel majorem habere familiam.

Moralitas. Sic raptores et mali æque laborant ut boni, sed semper remanent miseri.

CXXIX. — DE CATTO ET VULPE.

Cattus et Vulpes obviaverunt sibi in campo sub spina, et, invicem salutantes se, societatem inter se firmaverunt. Dixit ergo Cattus Vulpi : Quantum potero in tua societate confidere et qualiter succurres nobis, si opus fuerit? Cui Vulpes respondit : Octoginta michi sunt astutiæ, et adhuc sacculus plenus, quibus, si necessitas ingruerit, juvari poterimus; sed ego numquam solvam sacculum, donec omnes aliæ defecerunt. Scio etiam quod nichil nobis nocere poterit tot artibus munitis. Talibus auditis, dixit Cattus : Nostra societas non est æqua. Ego enim nisi solam habeo artem qua vivere possum. Interim autem, dum talia gerunt, ecce duo leporarii, sagati (*sic pro* sagaci) nare Vulpem sentientes, in campo advolant, et ait Vulpes Catto :

Quid modo laudatis, ut faciam? Cui Cattus : Michi quidem consulere possum ; sed vobis consilium non habeo. Saltumque faciens, spinæ se commis(s)it auxilio. Vulpes vero instantes canes, spinam circumgirando, per horam fefellit (1). Tunc ait Cattus : Pro Deo non parcas plus sacculo. Post hæc, apprehensa a canibus Vulpe, ait ei Cattus iterum : Solvite modo sacculum, quia necessitas instat. Respondit Vulpes : Nimis peperci sacculo. Quapropter, si vestram solam artem modo scirem, carior esset michi omnibus meis. Tunc ait ei Cattus : Verum esse scio quod dicitur : quando strictissime nutat Vulpes, et circumducitur et facillime capitur.

Moralitas. Sic aliqui in multis artibus (fol. 25 recto, col. 1) pereunt, et aliqui sola sustentantur arte et honeste vivunt.

CXXX. — DE HOMINE.

Homo, volens in navicula brachium maris transire, invocavit Deum, rogans ut ei assisteret et ad optatum portum eum dirigeret. Media autem via facta, irruit in naviculam tempestas, et quassari cœpit, et ille trepidare. Rogavit ergo Dominum ut ad stationem unde exivit eum remitteret ; sed, cum verso remigio id attemptaret, obviantibus undis impeditus est. Tunc ergo, desperans quod ad neutrum littus venire posset, ait ad Dominum : Fac mecum, Domine, secundum voluntatem tuam, ex quo facere meam non vis. Et facto sermone, prosperis inpulsus flatibus, in optato littore est constitutus.

Moralitas. Qui voluntatem suam divinæ subjecit voluntati, certus esse poterit ipsum in periculis a Deo non derelinqui.

CXXXI. — DE SENE ET FILIO SUO.

Senex quidam juvenem Filium habuit. Ille autem, videns Patrem suum in annos suos vergere et jam ad vesperam tendere, de statu suo eum consuluit, et quæ patria sibi adeunda

(1) Hic in Georgiæ Augustæ Universitatis Bibliothecæ codice hæc leguntur : Ad Cattum dicens : O vil bose Catte, id geyt hir ut den spotte.

foret post mortem suam, ipsum interrogavit. Et ait Pater Filio : Terra in qua dilectus sis hominibus, in ea erit habitatio tua. Respondit Filius : Si talem non invenero terram, quid tunc aggrediar? Esto tunc in terra, ubi timearis ab hominibus. Et ait iterum juvenis : Quid ergo agendum judicas, si nec istam invenero? Et si nec hanc nec illam inveneris, ait pater, tunc esto in terra, ubi nichil habeas agere. Et si nec istam invenero, Pater? Tunc senex inquit : In nulla tunc terra maneas, ubi aliquis te cognoscat.

CXXXII. — DE CATTO INFULATO.

(Col. 2.) Cattus sedit super fornacem, infulatus et baculo suo innixus, Muresque convocans et Sorices, episcopum se esse dixit, et ad benedictionem suam eos inclinari præcepit et sibi fieri obedientes. Cui antiquus Sorex sic respondit : Carius est michi ut moriar paganus quam quod sub vestra manu fiam christianus. Tunc ergo Mures et Sorices, a benedictione ipsius fugientes, in suis se latebris occultarunt, et Cattus, mitram exuens, episcopatum deposuit.

Moralitas. Sorex timuit, si Catt(u)[i] imperio se subdidisset, quod ab ejus dominio, cum vellet, non se facile absolveret, quia leve est alterius potestati [se] subjicere; sed inde avelli solet esse difficile.

CXXXIII. — DE DOMINA ET GALLINA SUA.

Domina interrogavit Gallinam suam quare terram scalperet pedibus. At illa cupiditati suæ se servire respondit. Cui ait Domina : Ut ergo scalpere cesses, volo tibi in die modium frumenti dare. Et ait Gallina : Fieri non potest quod putas, ut scilicet munus tuum mea sit cupiditate ditius; quia, si duos michi modios in die dares, ad hanc (*melius* adhuc) tamen cuperem et terram scalpere.

Moralitas. Natura modico contenta est; cupiditas autem saturari non potest.

CXXXIV. — DE LUPO ET VULPE.

Lupus,Vulpi iratus, eam de furto arguit. Et Vulpes econtra plura ei crimina imposuit. Venerunt igitur ad Symiam, rogantes eam quatinus ipsa mediatrix inter eos fieret, et turpem illam discordiam componeret. Quibus ait Symia : Ego absque Leone hoc facere nequeo. Et quæsivit Lupus quare sic non posset, et Symia dixit : Quia superbi estis et instabiles. Sed, si vestras voluntates frangere velitis et alter alteri cedere, tunc quidem potero vos reconciliare. Vulpes (verso, col. 1) ergo quomodo hoc fieret interrogavit. Et ait Symia : Tu jurabis quod amplius non facies furtum, et Lupus jurabit quod amplius non quæreret quod non amisit.

Moralitas. Multi sunt qui post rixas et lites vellent fieri concordes ; sed quivis nititur defendere suam voluntatem.

CXXXV. — DE ARBORIBUS ET REGE EARUM.

Arbores silvarum in unum convenerunt locum, et de rege sibi constituendo tractaverunt. Eminens ergo quædam et ampla, de sapientissimis, ut reor, una, Vineam elegit in regem. Sed Vinea ren(n)uit, dicens regnare non posse, eo quod esset debilis et nichil per se facere posset sine sustentatione. Elegerunt ergo albam Spinam, dicentes quod bene deceret ipsam esse regem, quia valida esset et pulchra. Sed nec ipsa acceptavit, affirmans hoc non debere fieri, cum ipsa fructum non faceret. Plures sunt electæ; sed quælibet excusationem invenit quare hoc fieri non deceret. Non inventa igitur aliqua quæ rex esse vellet, una, quam Genestam nominavit (*sic*), super pedes se erigens dixisse fertur : Michi [s]ceptrum merito concedetur, quia regnum cupio, et rex esse debeo ; genus enim meum ditissimum est et nobile. Cui ceteræ respondentes dixerunt : In omni lignorum genere viliorem te neque pauperiorem scimus. Et ait illa : Si ego non fuero rex, numquam illum quem vos elegetis honorabo, nec eos diligam qui alium quam me constituent. Et dixerunt ei

Arbores : Quid ergo nobis facere poteris, si vel regem nostrum, vel nos non dilexeris? Illa ergo respondens ait : Licet ego vobis videar vilis et egens, tamen id perficere possim quod cogitaveram facere, si rex essem. Et interrogabant eam omnes quid hoc esset? Quibus illa dixit : Ego cogitaveram facere quod nulla arbor quæ subtus me staret vel supra amplius (col. 2) cresceret. Credibile satis est, dixerunt aliæ, quod sic faceres nobis, si rex esses et potens; quid ergo tibi faciendum judicas, cum nos sumus te fortiores? Illa autem non respondit ad interrogata, sed ait : Modo quidem non vos valeo lædere sine dampno meo. Attamen quæ cogitavi explere complebo; facere, inquit, possum ut herba vel arbor, quæ subtus me sit, non crescat, quod quæ supra me sit, arefiat. Sed, ut hoc fiat, necesse est ut ipsa ardeam. Ideoque [cum] omni cognatione, quæ michi vicina est, comburi volo, ut mecum ardeant illæ quæ nobiles se faciunt et magnas.

Moralitas. Sic sunt, qui malitia delectantur et seipsos quandoque gravant, ut aliis nocere possint et dampna facere quibus invident.

CXXXVI. — DE LEONE ET FILIIS SUIS.

Leo tres habuit de legitima sua Filios. Contigit autem ut mater Filiorum moreretur, et ipse, aliam ducere volens uxorem, in regionem longinquam transire disposuit, nuptam quæsiturus quæ regalibus thalamis conveniret. Commisit ergo regnum Filio suo primogenito, et abiit. Eo itaque moram faciente, Filius suus uxorem duxit, et, se regem faciens, fratres suos ut sibi hominium facere[n]t coegit. Erat autem Ursi filia, quam sibi junxit uxorem. Pater quoque in regione illa, in qua profectus fuerat, nuptam desponsavit, et ad celebrandas regales nuptias ad regnum suum redire paravit. Præmisit ergo legatos, qui adventum suum filio suo nuntiarent et nuptiis tantis necessari(us)[a] præparari juberent. Filius vero, de legatione patris audita, ipse gaudens honore et imperio, patri remandavit ut aliud sibi regnum acquireret, quia istud suum esse deberet, et tales se dixit ha-(fol. 26 recto, col. 1)bere adjutores, per quos nolente

[patre] in regno permaneret. Hiis igitur pater turbatus mandavit amicis sponsæ suæ et parentibus, ut in ejus venirent auxilium et in tantæ præsumptionis armarentur ultionem. Venerunt itaque Vulpes et Vulpeculæ cum tota progenie, famosum ducentes exercitum, et indictum est bellum. Vulpes autem, non tam in armis quam in artibus suis confidentes, illis insistunt et latas foveas et profundas in campo belli fieri præcipiunt et ramis melle illitis operiri et herbis. Die igitur statuto, juvenis Leo cum fratribus suis et magno Ursorum exercitu venit in campum, et quilibet fratrum equitavit Ursum. Ill(e)[i] ergo pugnæ cupidi, erectis signis suis, in partem tendunt adversam. Pater vero, timorem simulans, in alia parte fovearum acies suas detinebat. Ursi igitur audaces et superbi, in animositate sua gradientes, mox ut mellis senserunt odorem, ad ramos delinitos accesserunt, et dum mellis fraudes secuntur nimis, ipsi cum suis equitibus subruuntur in foveas; et sic Patri cessit victoria, et negatum sibi regnum recepit, adjutus magis arte Vulpium quam viribus armorum.

Moralitas. Nullus homo, quamdiu ipse potest militare, (non) debet potestatem suam et honorem suum filio suo dare.

FABULARUM

EX MARIÆ GALLICÆ ROMULO ET ALIIS QUOQUE FONTIBUS EXORTARUM

APPENDIX,

E MUSEI BRITANNICI BIBLIOTHECÆ CODICE 15. A. VII EXCERPTA.

I (L). — [FEMINA ET GALLINA.]

Femina quædam dixit ad Gal[l]inam: Ego do tibi modium frumenti; at intra sepes perambulas sæpe. Gal[l]ina dixit:

Quamvis mihi des horreum plenum, perquiro victum, pedibus vanas spargendo paleas.

Hic potes sum(m)ere exemplum de femina vaga atque lasciva, quæ sibi junctum spernit maritum.

II (LI). — [CALVUS ET MUSCA.]

Fuit homini Calvo injuriosa Musca, et nudum capud capillis assiduo morsu tundebat. Ille alapis non parcebat, volens tradere Muscam iniquam morti. At illa ridens plus faciebat, sicque Calvus ait : Mortem, improba, quæris; nam facile me lædis; tu autem alapa morieris.

Hæc fabula est de injuriosis qui sibi inimicos faciunt.

III (LII). — [LEO REGNANS.]

Cum Leo regnum captaret ferarum, juravit dulcem omnibus pacem, cœpitque rectam ducere vitam. Postea, grandem famem sustinens, labiis apertis quæsivit a feris si flatus esset ejus dulcis. Quod cum negassent hunc esse suavem, hanc promissam dirupit pacem cœpitque cunctas laniare feras. Ecce occurrit Symea re[g]i, laudans flatum quasi cyn[n]amomum; illi abire præcepit, quia erubuit. Nec mora fugiens, Leo languorem incidens (et) cœpit Simiæ carnem poscere. Sic innocentem dari ei morti [jussit].

Viro potenti et vincenti credere noli multa promittenti, quia per risum cogita[t] malum.

IV (LIII). — [RANA RUPTA ET BOS.]

Rana pascentem aspexit Bovem, et huic Bovi voluit fieri similis, et cœpit mollem inflare ventrem. Postea ad natos dixit ipsius : Sum Bovi similis? Responderunt Pulli : Non potes fieri. Iterum Rana distendit membra, usque dum mollis dirupta est pellis.

Breviter ista monet fabula virum pauperem esse patientem, ne de potenti v[e]l[i]t comparari usque dum dulces perdat vires.

V (LIV). — [SIMIA ET VULPES.]

Simea quædam dixit ad Vulpem : Cara, unam fac mihi caudam; nam mea natura non dat mihi caudam. Ob hoc sum mœsta atque confusa. Est tibi longa nimium cauda; nam semper illam trahis per terram. Da, soror, ex illa unam partem, ut mihi parvam faciam caudam. Vulpes respondit : Bene tibi venit hic cogitatus et vanus sensus, ut ullam partem abscidam de cauda. Crede mihi, nil dabo tibi.

Erubescat ille, qui (h)abundat omnibus bonis, atque non est [liberalis], qui, videns fratrem suum egentem, claudit cor suum, nihil ei succurrit.

VI (LV). — [VULPES ET VINEA.]

Vulpes in quandam intravit vineam : aspexit pulchrum dependentem botrum. Cœpit instari et conturbari, non valens altam scandere vitem. Tunc cito multa collegit ligna, ut longam sibi faceret scalam. Ascendit sursum; cecidit retrorsum. Dixit ad ips(a)[u]m irata botrum : Non est maturus, sed nimium durus. Propterea te nolo. Hæc postquam dixit, mœsta recessit.

Hæc verba virum signant fraudulentem.

VII (LVI). — [HOMINES DUO, FALLAX, VERAX ET SIMIÆ.]

Duo homines iter agentes, alter erat Verax, alterque Mendax, simulque intraverunt regnum Simiarum. Illic sunt capti, ad regem ducti. Sedens in throno rex glorioso cœpit interrogare : Dic, homo, qualis sum ego vel circumstans legio? Mendax respondit : O rex, tu es bonus ac gloriosus, et circumstantes sunt tui comites. Rex jussit illi munera... EXPLICIUNT ETHISI.

FABULA

EX MARIÆ GALLICÆ ROMULO EXORTA,
SECUNDUM CENOMANENSIS BIBLIOTHECÆ CODICEM 84
NUNC PRIMUM EDITA.

[LEO ÆGROTANS, LUPUS, VULPES ET CERVUS.]

Qui pravorum consilio credit, viam sapientiæ derelinquit, et, dum insidiis circumventus fuerit, non tam securus in alterius erit potestate, quam prius fuerat in sua libertate. Cum vero perierit, illorum judicio, certum est quia stulte pravorum credidit consilio. Hoc autem probat hæc fabula.

Leo, omnium fortissimus bestiarum, præcepit sibi adesse omnis militiæ suæ conventum. Cunctis in unum congregatis, solus defuit Cervus. Quam rem perscrutari Leo volens quosdam sibi assistentes ad eum misit, et ut ad se veniret mandavit. Set ille præcepto jubentis parere contempsit. De qua re commotus, hoc egit consilio cum suis primoribus, ut velut dolo ab ipsis circumveniretur et ante præsentiam ejus deduceretur, ne ipse et tanta nobilitas ejus ab uno solo vituperaretur. Hoc itaque factum omnino illi visum est in malum. Nam mox ut præsentiæ ejus est exhibitus a satellitibus, eum occidi jussus, et simul omnibus in partes sorte divisus. Immiscens vero se in dividendo reliquias, fraudulenta Vulpecula cor Cervi continuo est furata. Omnibus itaque partibus absolutis atque divisis, cor solum extitit quod dividendum remansit. Quod cum diu fuisset quæsitum et minime inventum, quæstio facta est non modica de hac ratiuncula : si illa bestia cor habuisset, quod inveniri non posset. Cumque de hac re quæreretur, visum est a quodam sapiente assistentium Leoni illum Cervum cor non habuisse, qui tam inconsulte ante præsentiam ejus venisset; excors quippe fuerat, qui, ut posset interimi, venerat, et insipienter dolosorum arbitrio consensisset, ut penitus periret.

Hæc igitur fabula illis dicitur, qui temerarie credunt malis et incidunt in laqueum mortis.

ODONIS DE CERITONA[1]

FABULÆ[2],

EX VARIIS CODICIBUS MSS. NUNC PRIMUM INTEGRE EDITÆ.

PROLOGUS,

EX BIBLIOTHECÆ BODLEIANÆ CODICE MS. LATINO DOUCE 88 EXCERPTUS (3).

(Fol. 34 *a*.) Beatus Basilius, coaggerans juvenes, docebat eos animæ munditia[m] et impassibilitatem corporis, gressum mitem, vocem mensuratam, verbum bene ordinatum, escam et potum intumultuosum, ad seniores taciturnitatem, ad sapientiores auditionem, ad sublimes subditionem, ad æquales et minores caritatem non fictam, pauca dicere, plurima autem intelligere, non temerarios verbo, non superabundare sermonibus, non faciles ad risum esse, verecundia ornari, cum mulieribus irreverentibus non disputare, deorsum visum, sursum habere animum, fugere contradictiones, non magistralem usurpare dignitatem, nihil existimare omnes seculi honores. Si autem quis potest aliis proficere, apud Deum ex[s]pectet bonorum operum retributionem, in Christo Jesu Domino nostro.

(1) Sic in Corporis Christi Collegii Cantabrigiensis codice 481.

(2) In notis, ut manuscriptus quisque codex breviore signo indicetur, adhibebo litteras : P. pro *Bibliothèque Mazarine ms.* 122, AS. pro *Arras ms.* 184, BN. pro *Berlin ms. Theol. lat.* 4°. 10, V. pro *Breslau ms.* IV. Q. 126, G. pro *ms. Gude lat.* 200, MA. pro *Munich ms. lat.* 2800, MB. pro *Munich ms. lat.* 8356, MC. pro *Munich ms. lat.* 8947, MD. pro *Munich ms. lat.* 14 749, ME. pro *Munich ms. lat.* 16 195, AA. pro *ms. Arundel* 292, AB. pro *ms. Arundel* 275, H. pro *ms. Harley* 219, AD. pro *ms. Addit.* 11 579, DA. pro *ms. Douce* 88, DB. pro *ms. Douce* 101, DC. pro *ms. Douce* 169, CA. pro *Cantabrigiense Corpus Christi ms.* 441, CB. pro *Cantabrigiense Corpus Christi ms.* 481, AR. pro *Berne ms.* 679.

(3) P., AS., MA., MC., MD., ME., DA., DC., CA., CB.

Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio. Legitur in libro Ruth [c. II]: Projicite de manipulis vestris ex industria et remanere permittite, ut colligat Ruth absque verecundia. Ita dixit Booz messoribus. Booz interpretatur, in quo [est] robur, [et significat Christum, in quo est] robur deitatis, robur omnipotentiæ, qui ligavit fortem, scilicet Diabolum, et universa arma ejus abstulit, et spolia distribuit, ut legitur in Luca, XI. Iste est, ut legitur in Isaia, LXIII, formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ, quoniam stola corporis jam fuit pulchrior Luna, clarior Sole. Gradiebatur de cœlo in terram carnem assumens, de terra in infernum humanum genus liberando, de inferno in terram carnem recuperando, de terra in cœlum ad dextram Patris sedendo. Iste Booz habet messores suos, scilicet apostolos, discipulos, prælatos, quibus animarum cura commissa est; hii debent metere spicas animarum, id est auctoritates et exempla Scripturarum, quibus animæ reficiuntur [et sustentantur]; postea debent ipsas animas metere et Deo offerre; de quibus in Luca, X: Messis quidem multa, operarii [autem] pauci. Rogate [ergo] Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Nullum sacrificium tantum placet Deo quam zelus animarum; si unicam animam offeras Deo, dicet tibi: Euge, serve bone, et cetera. Quoniam Deus plus appretiatur unam animam quam mundum universum. Sed plerique spicas corporeas, scilicet decimas et oblationes, diligentissime metunt, animam Diabolo per pravam vitam vel negligentiam offerunt. De quibus in libro Sapientiæ, VI: Judicium durissimum in hiis qui præsunt fiet; potentes potenter tormenta patientur; fortioribus fortior instat cruciatio. Verbum terribile (fol. 34 *b*) quasi diceret: Durum judicium fiet Judæis et Sarracenis; durius hereticis; sed durissimum falsis prælatis, licet modo in multitudine divitiarum, in equis phaleratis, in cibariis delicatis glorientur. Ruth interpretatur deficiens, et significat laicos qui in se deficiunt, nisi a prælatis reficiantur, quoniam qui dimiserunt eos jejunos, deficient in via. Igitur, rectores animarum, projicite de manipulis vestris ex industria, ut tollat Ruth absque verecundia, nec

tantum in ecclesia, sed in aula, in camera, in prandio, in cœna, in via, ubicumque fuerit. Paterfamilias debet proferre de thesauro suo nova et vetera [verba] et exempla quibus reficiatur fidelis anima. Unde dicitur in Ecclesiastico IX : Omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. Et erit major elemosina quam si repleantur corpora. Unde Gregorius : Plus est verbi [pabulo] victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem carnis moriturae pane terreno satiare. Et quoniam, ut dicit Gregorius, plus quam subtili dogmate sive typo [verba, compungunt exempla], aperiam in parabolis os meum, et similitudines, et exempla, quæ libentius audiuntur, memoriæ firmius quam verba commendantur, proponam, quibus intellectis sapiens sapientior erit. Qui habet aures audiendi audiat, qui oculos, picturas respiciat, qui spiritum, fidelibus annuntiet, ut totum cedat ad instructionem morum et commodum animarum. Et quoniam tractatus est parabolicus, a parabola libri Judicum exordium sumamus. EXPLICIT PROLOGUS.

I.

FABULÆ

EX EODEM CODICE EXCERPTÆ.

(Fol. 34 *b*.) — I (I). — QUALITER ELEGERUNT SIBI REGEM LIGNA (1).

Venerunt Ligna, ut ungerent super se regem. Dixerunt Olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Numquid possum relinquere pinguedinem meam, qua(m) Dii utuntur et homines, ut inter Ligna promoveor? Venerunt ad arborem fructus (*sic pro* Ficum), et dixerunt : Super nos regnum accipe. Respondit : Numquid possum defferere (*sic pro* deserere) dulcedinem meam fructusque suavissimos, ut inter Ligna promovear? Venerunt ad Vitem ut imperaret eis. Quæ respondit : Numquid possum

(1) P. 1, AS. 1, BN. 1, V. 1, MC. 1, MD. 1, AA. 1, AB. 1, DA. 1, CA. 1, CB. 1, AR. 48.

deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines? Et noluit promoveri. Dixeruntque ad Ramnum : Veni et impera nobis. Respondit Ramnus : Si vere me regem super vos constituitis, venite et sub umbra mea quiescete; si non vultis, egrediatur ignis de Ramno, et devoret cedros Libani.

Mistice. Ligna significant homines silvestres, monachos, congregationem sine pastore. Venerunt ut eligant Olivam, aliquem justum, qui respuens dicit quod non vult relinquere pinguedinem caritatis et ad dignitatem promoveri. Arbor [Ficus] significat justum, qui, contemplando frequenter, degustat quam suavis, quam dulcis est Dominus, et facit dulces fructus bonæ operationis; quia in dignitatibus multæ sunt amaritates, multæ turbationes, non vult dulcedinem suam commutare. Vinea est vir justus, qui gaudet spirituali hil(l)aritate, qui dicit : Gaudium nostrum est testimonium conscientiæ nostræ. Quoniam multæ amaritates, multæ turbationes [sunt] in fastigio dignitatis, ideo nolo promoveri.

Unde Caurinensis Canonicus, cum respueret electionem, cito transivit, [et] socio suo apparuit. Requisitus quare non (fol. 35 *a*) recepit episcopatum, respondit : Si fuissem de numero episcoporum, fuissem de numero damnatorum.

Item, cum magister H. factus esset episcopus Meldensis et visitasset socios suos Parisius, dixit : Si haberem inimicum mortalem et desiderarem ei aliquid pessimum, orarem quod Deus faceret eum episcopum, et hoc pro maxima maledictione reputarem.

Verumtamen Ramnus libenter episcopatum recepit. Ramnus est frutex spinosus et carens umbra, et quandoque ignem ex nimia siccitate enutrit. Sic impius qui nullam habet umbras (*lege* umbram) refrigerii vel consolationis, dicit : Requiescite sub umbra mea. Multa enim bona promittit, sed igne[m] avaritiæ, superbiæ, luxuriæ de se emittit, et sic ligna, id est subditos, per pravum exemplum comburit. Ita Sichimitæ elegerunt Abimelech qui eos combussit (1).

(1) Vide istam fabulam in Libro Judicum, cap. IX.

I *a* (I *a*). — [DE FORMICIS] (1).

Simile [Formicæ] elegerunt sibi lignum in regem, et mi[n]xerunt super illud; et elegerunt serpentem, et devoravit illas.

(Fol. 35 *b*.) — V (XXIV *a*). — [DE SCABRONE] (2).

Similiter Scrabo (*sic*) cum ali(i)s facit tumultum, quasi diceret : *Fray ben, fray ben;* et tandem dat se in oculum tuum.

Ita dicunt quidam : *Fray ben, fray ben,* promittunt unguentum et dant stimulum; promittunt rosas et dant urticas.

(Fol. 43 *a*.) — XLI (LIX). — DE MILVO (3).

Milvus semel consideravit alas suas, pedes et ungues, et ait : Nonne ita bene armatus sum? Sicut Nisus et Ancipiter, tales alas, tales pedes et ungues habeo. Quare Perdices non capio? Et scivit locum, ubi multæ Perdices ambulabant, et impetum fecit super eas, ita quod [cum] rostro cepit unam, cum alis duas, cum pedibus duas; et, quia omnes retinere non potuit, omnes amisit, quoniam, ut dicitur, qui totum cupit, totum perdit : *Ki tut covete, tut pert.* De cetero nunquam laboravit, ut aves caperet silvestres.

(Fol. 47 *b*.) — LXII *a* (XXII *a*). — [DE SERVIENTE REGIS.] (4).

Quidam magnum honorem Servienti regis impendit. Ille Serviens illum solum accusavit. Vocatus est ad curiam et inculpatus, et novit quis hoc procuravit; et vocavit eum in partem et dixit ei : Nonne servivi tibi, ut potui? Numquam feci tuum displicere. Quare laboras ad damnum meum? Alius respondit : Bene scio, quod honorasti me et nunquam malum mihi intulisti.

(1) P. 1 *a*, AS. 1 *a*, AA. 1 *a*, DA. 1 *a*, CA. 1 *a*.
(2) AS. 4 *a*, MC. 4 *a*, AA. 36 *a*, DA. 4 *a*, CA. 3 *a*, CB. 2.
(3) P. 42, AS. 46, V. 28, MB. 48, MC. 47, MD. 49, AD. 29, DA. 41, CA, 45.
(4) AS. 74, MB. 71, MC. 73, MD. 72, AA. 34, AB. 50, DA. 65 *a*, CA, 71.

Sed hæc est natura nostra in terra ista, quod semper malum rependimus illis qui bona nobis contulerunt.

Et hæc est natura Diaboli, qui semper male facit (fol. 48 *a*) amicis suis et pessime remunerat illos qui ei serviunt.

(Fol. 48 *a*.) — LXVIII (LXXIX). — DE DOMINO THEODOSIO, SEDIENSI EPISCOPO (1).

Dominus Theodosius, Sediensis episcopus, semel super ripam R[h]odani descendit, ut suos videret piscatores. Tandem, cum ret(h)e traherent, videbatur eis quod magnum piscem prendidissent; sed magnam glaciem pro pisce invenerunt. Fuit autem in autumno, et magis gavisi sunt pro glacie quam pro pisce, quia episcopus calore pedum laboravit; unde glaciem sub pedibus ejus supposuerunt, et hæc maxime præstabat ref[r]igerium. Contigit autem, cum semel staret desuper, quod vocem hominis in glacie audiret. Episcopus vero adjuravit ut cujus vox esset fatetur. Respondit: Sum quædam anima, quæ in hoc gelu dicto pro peccatis meis affligor, et liberari possem, si triginta diebus continuis pro me cantares. Episcopus vero, pietate ductus, tricenarium incepit, et, cum circa medietatem peregisset, diabolica suggestione contigit quod fere omnes cives civitatis illius inter se bella committerent. Unde ad discordiam sedendam episcopus vocatus sacra indumenta exivit, tricennarium interrupit, et postea a capite incepit. Et cum circa duas partes complevisset, exercitus grandis civitatem obsedit. Unde compulsus officium missæ intermisit et iterum a capite tricennarium incepit, et bene continuavit usque ad missam tricesimam; quam cum vellet celebrare, tota villa videbatur incensa et domus episcopi, et dixerunt ei ministri quod missam dimitteret et fugeret. Et respondit episcopus, quod, si tota villa deberet cremari, non dimitteret. Celebravit autem, et in fine missæ glacies in aquam remissa est et anima liberata, et ignis, quem se vidisse crediderunt, tanquam fantasma recessit et damnum nullum intulit. Amen.

(1) DA. 68.

II.
FABULÆ

EX BIBLIOTHECÆ REGIÆ BEROLINENSIS CODICE MS. THEOL. LAT. 4° 10 EXCERPTÆ.

II (I *c*). — [DE GALLINIS] (1).

(Fol. 145 *a*.) — **Contra superbos.**

Gallinæ semel elegerunt Serpentem in regem, qui devoravit eas.

II *a* (I *d*). — [DE PULLIS] (2).

Pulli celebraverunt capitulum, ut sibi eligerent alium regem. Dixit unus sapientior omnibus : Eligamus Columbam; avis simplex est, quia non laniat, nec lædit, nec devorat. Fecerunt igitur sic. Columba vero simplex inter Pullos conversabatur. Dixerunt Pulli : Rex noster nihil valet : nec percutit, nec laniat. Ergo Columba deposita, et, Her(e)odio rege constituto, uno dierum rostro et unguibus laniavit unum (fol. 145 *b*) Pullum et devoravit, postea alium et tertium. Et sic per pravum regimen sunt destructi.

Sic plerique non sunt contenti de benigno rege, simplici episcopo et innocenti abbati. Eligunt perversos qui omnes destruit (*sic*). Et ideo aliquando necesse est subditos [percutere], ne superbiant.

III.
FABULÆ

EX BIBLIOTHECÆ ATREBATENSIS CODICE MS. LATINO 184 EXCERPTÆ.

III (I *f*). — [DE ABBATE ET MONACHIS] (3).

Abbas quidam dedit Monachis suis tria fercula. Dixerunt

(1) BN. 2.

(2) P. 2, AS. 2, BN. 2 *a*, V. 2 *a*, G. 2, MB. 1 *a*, MC. 2, MD. 2 *b*, AA. 2, AB. 2, AD. 1, DA. 2, DB. 1, CA. 1 *b*.

(3) P. 3, AS. 3, V. 3, MB. 2, MC. 3, MD. 3, AA. 3, DA. 3, DB. 2, CA. 2, CB. 9, AR. 50.

Monachi : Iste parum dat nobis; rogemus Deum quod cito moriatur. Et sive ex hac causa, sive ex alia, cito mortuus est. Substitutus est alter, qui tantum duo fercula dedit. Irati Monachi et contristati dixerunt : Nunc magis orandum est quod Dominus subtrahat vitam suam, eo quod unum ferculum subtractum est nobis. Tandem mortuus est. Substitutus est tertius, qui duo fercula subtraxit. Irati Monachi dixerunt : Iste pessimus est inter omnes, quoniam fame nos interficiet. Rogemus Deum quod cito moriatur. Dixit unus Monachus : Rogo Deum, ut det ei longam vitam et diu maneat nobiscum. Alii admirati quærebant quare hoc diceret. Qui ait : Video quod primus fuit malus, secundus pejor, iste pessimus; timeo, cum mortuus fuerit, alius pejor succedet qui penitus nos perimet.

Unde solet dici : *Seldoim comes re fueste better.*

L (IV *a*). — [DE SIMPLICITATE HOMINUM DE YLEBEY] (1).

Quidam simplices, ut dicitur anglice, de Ylebey, fuerunt ad terminum, quo debuerunt solvere redditus domino, et non habuerunt nuntium, qui ita cito posset negotium peragere. Dixerunt ad invicem : Quid faciemus, quia terminus adest? Dixerunt quidam : Riccardus est animal velox; suspendamus in collo ejus bursam cum seusu (*lege* censu), et injungamus ei quod cito deferat ad curiam domini nostri. Sic fecerunt, et Lepus, sive Riccardus, cum bursa et sensu cucurrit ad nemus quantum potuit; quod nesciebant homines quo devenit.

Sic faciunt plerique, cum venerunt, quæstores de Haut-pas vel de Sancto Antonio, vel Runcevalenses. Multa promittunt et homines illis credentes multas oblationes eis offerunt; at illi, cum oblatis equos ascendunt, et, sicut Lepus, velociter effugiunt, ita quod datores nesciunt quo deveniunt. Forsitan eadem nocte, ingressis meretricibus, oblationes expendunt. Ideo dicit Augustus : Tene certum et dimitte incertum. Elemosinas tuas

(1) P. 46, AS. 50, G. 24, MB. 52, MC. 51, MD. 53, AA. 7, AB. 38, DA. 45, CA. 49.

da certis personis, vicinis tuis, pauperibus verecundis quo[s] novisti indigere, et maxime domesticis fidei.

Similiter sunt quidam principes, dum ruinæ propriæ gentis imminent, extraneis largissime subveniunt; et illi(s) cum donis affugiunt, sicut Oliverius currunt, et nescitur quo deveniunt, in hoc quod proprios homines affligunt.

Item similes sunt Lamiæ qui proprios filios laniat, in hoc quod nutriunt alienos.

Similes sunt Gallinæ, quæ pullos Anatis educat, et Burnetæ, quæ pullos Cuculæ ad malum secum nutrit.

LXIX *a* (XIX *b*). — [DE QUODAM ALEXANDRO IN PERICULO POSITO] (1).

Dicitur de quodam Alexandro, quod, in mari constitutus, promisit Deo, quod, si ad portum ipsum duceret, quod semper bonus fieret et quod nunquam Deum offenderet. Quando fuit ad portum in loco securo super ripam, ait : Jhesu Christe, Jhesu Christe, certe decepi te; adhuc nolo bonus esse.

LXX (XIX *c*). — [DE GRANGIA] (2).

Dicitur quod grangia plena blado accensa fuit, et quod debuit tota comburi. Quod videns persona, cujus erat grangia, ait : Domine Deus, ignem extinguas, et bladum, amore tui, pauperibus distribuam. Et statim extinctus est ignis et bladum liberatum est. Sed tamen, ut promisit, pauperibus non distribuit.

Quales sunt hujusmodi qui ad tempus credunt et in tempore temptationis recedunt.

LXXVI (LXXVII). — [DE PHILOMELA ET SAGITTARIO] (3).

Sagittarius quidam, aviculam parvam, nomine Philomelam, capiens, cum vellet eam occidere, vox data est Philomelæ, et ait : Quid tibi proderit, si me occideris? Nequaquam [tuu]m

(1) AS. 69 *a*, MB. 68 *c*, MC. 67 *a*, MD. 69 *b*, AA. 29, CA. 67.
(2) AS. 70, MB. 68 *c*, MC. 68, MD. 69 *c*, AA. 30, AB. 48, CA. 67*a*, CB. 65.
(3) AS. 76.

ventrem implere valebis; sed, si me dimittere velles, tria tibi mandata darem, quæ si diligentius conservares, magnam inde utilitatem consequi valeres. Ille vero, ad ejus loquelam stupefactus, promisit quod eam dimitteret, si hæc sibi mandata proferret. Et illa ait : Nunquam rem quæ apprehendi non potest, apprehendere studeas; de re perdita et irrecuperabili nunquam doleas; verbum incredibile nunquam credas. Hæc ita custodi, et bene tibi erit. Ille, ut promiserat, eam dimisit : Philomela igitur, per a(y)era volitans, dixit : Væ! tibi, o homo; quam malum consilium habuisti et quam magnum thesaurum hodie perdidisti! Est enim in visceribus meis margarita, quæ structionis ovum sua vincit magnitudine. Quod ille audiens valde contristatus est quod eam dimiserit, et eam apprehendere conebatur dicens : Veni in domum meam et omnem humanitatem exhibebo et honorifice te dimittam. Cui Philomela: Nunc pro certo cognovi te fatuum esse. Nam ex istis quæ tibi dixi, nullum fructum habuisti, quia et de me perdita et irrecuperabili doles, et me temptasti capere, cum me nequias (*sic*) apprehendere, et insuper margaritam tam grandem in visceribus meis esse credidisti, cum ego tota ad magnitudinem ovi structionis non valeam pertingere.

Sic igitur stulti sunt, qui confidunt in ydolis, quia plasmatos a se adorant et custoditos a se custodire se putant.

LXXVII (VII *a*). — [DE QUODAM HOMINE ET UNICORNI] (1).

Qui corporales delectationes desiderant et animas suas fame mori permittunt, similes sunt cuidam Homini, qui, dum a facie Unicornis, ne ab eo devoraretur, velocius fugeret, in quoddam magnum baratrum cecidit. Dum autem caderet, manibus arbusculam quamdam apprehendit, et in vase quadam lubrica et instabili pedes fixit. Respiciens vero vidit duos Mures, unum album et alium nigrum, incessanter radicem arboris quam apprehenderat corrodentes, et jam prope erant ut ipsam absciderent. In

(1) AS. 77.

fundo autem baratri vidit Draconem terribilem, ignem spirantem et aperto ore ipsum devorare cupiente(s)[m]. Super vasim ubi pedes tenebat, vidit X Aspidum capita indo prodeuntia. Elevans autem oculos, vidit exiguum mellis de ramis illius arbusculæ, oblitusque periculi in quo undique positus erat, se ipsum dulcedini mellis illius totum dedit.

Moralitas. Unicornis mortis tenet figuram, quæ Hominem semper prosequitur et apprehendere cupit; baratrum vero mundus est omnibus malis plenus; arbuscula uniuscujusque vita est, quæ per horas diei et noctis, scilicet per Murem album et ni[grum], incessanter consumitur et incisioni appropinqua(n)t vasis; X Aspidum est corpus X elementis compositum, quibus inordinata corporis compago dissolvitur; Draco terribilis, os inferni omnes devorare cupiens; dulcedo ramiculi, delectatio fallax mundi, per quam Homo seducitur, ut periculum suum minime intueatur.

IV.

FABULÆ

EX MUSEI BRITANNICI CODICE MS. LAT. HARLEIANO 219 EXCERPTÆ.

(Fol. 1.)

HIC SECUNTUR FABULÆ DIVERSÆ ET EORUM (*sic*) REDUCTIONES.

I (XLVIII). -- [DE ASINIS] (1).

Asini, videntes quod homines male tractaverunt eos stimulando et onera imponendo, dixerunt ad invicem : Quid faciemus, ut liberi simus a servitio hominum ? Homines enim timent Leones multum. Consilium igitur inierunt ad invicem, quod acciperent pelles leoninas et induerent se, et sic homines eos timerent. Fecerunt autem sic, et induti Asini pellibus leoninis

(1) P. 30, AS. 30, V. 44, MA. 29, MB. 34, MC. 31, MD. 35, H. 1, AD. 17, DA. 25, CA. 31, CB. 5.

saltabant, huc illucque discurrentes. Homines hoc videntes fugerunt, credentes Asinos esse Leones. Tandem Asini cœperunt hinnire. Homines vero diligenter ascultantes dixerunt : Certe hæc vox est Asinorum, et accidentes propius viderunt caudas eorum et pedes, et dixerunt : Certe isti Asini sunt et non Leones, et accipientes Asinos illos bene verberaverunt.

Mistice. Isti sunt homines pigri et falsi ad omne bonum opus; set (*sic*), ut venerentia eis attribuatur, assumunt sibi habitum beati Benedicti; set multotiens emittunt voces asininas, quando de pecunia, luxuria et rebus secularibus loquuntur, et tunc æstimandi sunt potius asini Diaboli quam monachi sancti Benedicti qui in regula sua dicit : Verba scur[r]i(a)lia vel risum moventia æterna claùsura dampnamus.

II (XXXVII). — DE QUODAM MURILEGO ET RATONE (1).

In quodam refectorio fuit quidam Murilegus, qui omnes Mures, excepto uno magno Ratone, cepit et interfecit. Cogitabat multum qualiter illum deciperet et devoraret. Tandem sibi fecit radi coronam induitque cucullam, monachalem habitum suscipiens, inter alios monachos sedit et com(m)edit. Videns hoc, Ratus gavisus est valde. Credens quod Catus nollet ei malum, saltavit huc illucque securus, et Catus dissimulans oculos suos a vanitate avertit. Tandem appropinquavit Ratus secure ad Catum. Catus vero hoc videns, cum unguibus viriliter Ratum arripiens, retinuit. Dixit quoque Ratus : Quare talem crudelitatem facis ? Quare non me dimittis ? Nonne monachus factus es ? Dixitque Catus : Nunquam ita bene prædicabis quod te dimittam, quia, frater, quando volo, monachus sum, et dum volo, Catus sum. Et tandem devoravit eum.

Mistice. Sic plerique, quando non possunt obtinere decimas, vel dignitates, vel aliquid aliud quod diligunt, jejunant, et fingunt se bonos et sanctos, cum sint pessimi, papilardi, et

(1) P. 16, AS. 17, V. 32, G. 14, MA. 15, MB. 21, MC. 17, MD. 22, AB. 18, H. 2, DA. 14, CA. 17, CB. 6, AR. 61.

sic, cum sint dæmones, transfigurant se in angelum lucis, et alii faciunt se monachos, ut celerarii, priores, abbates, vel episcopi fiant, et sic faciunt se radi, ut capiant suum Ratum. Præterea, quando illicite habent quod ante concupierant, numquam tantum prædicabitur eis quod Ratum sponte dimittant.

III (I *b*). — QUALITER RANÆ ELEGERUNT SIBI REGEM (1).

Similiter Ranæ consilium inierunt, ut regem sibi facerent. Elegerunt sibi quoddam lignum et erexerunt in regem. Tandem recedentes super illud, conculcaverunt dicentes : Quia rex noster nullius est valoris, deponamus eum. Quem igitur eligemus ? Et communi consilio elegerunt serpentem, qui eos laniando devoravit.

IV (I *e*). — QUALITER VOLUCRES ELEGERUNT REGEM (2).

Volucres celebraverunt consilium, ut eligerent sibi regem. Dixitque una : Eligamus Columbam quæ animal symplex est, quia nec picat, nec laniat, nec devorat. Fecerunt autem sic. Columba vero simpliciter inter pullos suos conversabatur. Dixerunt Volucres : Rex noster nichil valet, quia nec percutit nec laniat. Deponamus eum et eligamus Milvum, et factum est ita. Milvus vero, constitutus rex, uno die cum rostro suo et unguibus laniavit unum pullum et devoravit, postea alium et tertium, etc.

Mistice. Sic etiam plurimi non sunt contenti benigno rege aut simplici episcopo aut innocenti abbate ; set eligunt perversum qui subditos destruit.

V (XXIV). — DE NISO ET COLUMBA ET DUCE (3).

Nisus semel rapuit unam Columbam et devoravit eam. Aliæ vero Columbæ acceperunt consilium cui conquerentur, et

(1) V. 2, MA. 1, MB. 1, MD. 2 *a*, H. 3, CB. 7.
(2) ME. 1, H. 4, CB. 8, AR. 49.
(3) P. 4, AS. 4, V. 4, G. 4, MA. 2, MB. 3, MC. 4, MD. 4, AA. 36, AB. 3, H. 5, AD. 2, DA. 4, DB. 3, CA. 3, CB. 10, AR. 51.

conquesti (*sic*) sunt Duci. Est autem Dux avis cum magno capite et est major aquila; et illi Columbæ conquestæ sunt de Niso, sperantes quod eis faceret justitiam. Audita igitur querela, respondit Dux cum magna gurgitatione : Clok. Quo audito, dixerunt Columbæ : Quoniam bene intonuit, certe faciet de Niso unicum morsellum. Iterum Nisus rapuit et devoravit aliam Columbam. Accesserunt iterum Columbæ ad Ducem, postulantes sibi justitiam exhiberi. Quibus respondit ut prius : Clok. Et dixerunt Columbæ : Quoniam strenue comminatur, optime faciet justitiam. Nisus adhuc tertiam Columbam accepit. Columbæ iterum venerunt ad Ducem, (fol. 2) rogantes ut vindictam reciperet, et respondit : Clok. Et dixerunt Columbæ : Quid est hoc quod dicit semper Clok, et nunquam facit justitiam ? Recedamus a regno suo et infestemus eum sicut falsum et stultum. Hinc est, quod Columbæ et ceteræ aves semper, quando vident Ducem, eum infestant.

Mistice. Sic plerique, quando pauperes clamant et conqueruntur de injuriantibus, quod reges et majores faciant sibi justitiam, semper dicunt : Faciemus. Nunquam tamen faciunt. Benedicere, non facere, est ruinam ædificare.

VI (XXV). — QUALITER CORNIX CONQUESTA EST AQUILÆ DE TURPITUDINE SUA (1).

Cornix, aliquando videns se turpem et deplumatam, conquesta est Aquilæ de turpitudine sua, et dixit ei Aquila, quod mutuo reciperet plumas de diversis avibus. Fecit autem sic. Accepit autem de cauda Pavonis et de alis Columbæ, et, sicut ei placuerat, de aliis avibus. Cornix autem, videns se ornatam, cœpit deridere et inclamare contra alias aves. Veneruntque aliæ aves, et conquerebantur Aquilæ de superbia Cornicis. Respondit autem Aquila : Accipiat quælibet avis pennas suas et sic humiliabitur. Quo facto, Cornix relicta est turpis et nuda.

(1) P. 5, AS. 5, BN. 3, V. 6, G. 8, MA. 4, MB. 7, MC. 5, MD. 8, ME. 4, AA. 37, AB. 7, H. 6, AD. 3, DA. 5, DB. 4, CA. 4, CB. 11, AR. 52.

Mistice. Sic miser homo de ornatu suo superbit. Set accipiat ovis lanam suam, terra linum, boves et capræ corium suum etc., et homo remanebit nudus et turpis; et ita fiet saltem in die mortis, quando homo nichil afferet secum de omnibus bonis suis præter peccata. Caveant ergo divites, qui multitudine divitiarum suarum gloriantur, quoniam, cum interierint, non sument omnia neque descendet cum eis gloria eorum.

VII (XXVI). — DE BUSARDO ET ANCIPITRE (1).

Busardus in nido Ancipitris projecit ovum suum, et inde creatus est pullus. Alii pulli naturaliter nobiles fimum extra nidum fecerunt. Set pullus Busardi, non eodem sanguine ortus, nidum semper fœdavit, quod Ancipiter advertens ait : Quis vestrum est, qui nidum suum contra naturam commaculavit? Tandem pulli dixerunt pullum Busardi hujus rei reum fuisse conquerentes ; quod advertens, Ancipiter, pullum Busardi extra nidum pro[j]iciens, occidit.

Mistice. Sic Dominus habet pullos suos in nido ecclesiæ, qui ecclesiam non maculant, sed honorant. Set Busardus, id est Diabolus, habet suos pullos inter alios, et isti diversis vitiis ecclesiam commaculant; et ideo Dominus eos extra nidum ecclesiæ pro[j]icit et in puteum inferni demergit. Hoc exemplum valet contra curiales, qui sociis suis invident, detrahunt et accusant, quia tales quandoque totam curiam commaculant.

VIII (XXVI *a*). — DE CUCULO ET BURNETA (2).

Cuculus quandoque ponit ovum suum in nidum Burnetæ. Ipsa vero de ovo pullum educit et nutrit portans ei cibum. Cum vero pullus creverit et magnus fuerit, venit Burneta, ut cibum afferat pullo, qui ap(p)erit os suum, et transglutit Burnetam et eam devorat.

(1) AS. 6, BN. 4, V. 7, MA. 6, MB. 8, MC. 6, MD. 9, ME. 6, AA. 38, AB. 8, H. 7, DA. 6, DB. 5, CA. 5, CB. 12, AR. 53.

(2) P. 6, AS. 7, V. 8, G. 9, MA. 7, MB. 9, MC. 6 *a*, MD. 10, ME. 6, AA. 39, H. 8, DA. 7, CA. 6, CB. 13, AR. 54.

Mistice. Sic plerique, cum nutriti fuerint et promoti per aliquos, contra illos tandem insurgunt et diversimode molestant. Tales enim sunt filii Cuculi : etiam filii parentes, fratrem frater, si posset, devoraret. Tales enim dicuntur filii Neronis qui matrem et magistrum sine causa interemit. Unde dicitur :

Pessimus est hostis, qui, cum benefeceris illi,
Fortius insurgit bella movendo tibi.

IX (XXVII). — DE TORTUCA ET AQUILA (1).

Tortuca, manens in locis humidis et ymis, rogavit Aquilam quod portaret eam in altum. Desideravit enim videre montes et colles et nemora. Aquila acquievit et Tortucam in altum portavit, dixitque ei : Vides jam quæ nunquam vidisti. Dixit Tortuca : Bene video; mallem tamen esse in foramine meo. Aquila vero dimisit eam cadere, et cadens confracta est.

Mistice. Ita contingit aliquando, quod aliquis, vivens in paupere tecto, desiderat ascendere super pennas ventorum et volare. Rogat Aquilam, id est Diabolum, quod aliquo modo eum exaltet. Assumit munera et dat ea ut promoveatur, et sic per Simoniam ascendit ad dignitatis altitudinem; et sic Diabolus portat ipsum ; set quandoque, talis in se reversus, intelligit statum suum periculosum : mallet esse in paupere tecto quam in dignitatis periculo. Set Diabolus, aliquando vitæ suæ terminum anticipans, subita morte eum perimit, et sic eum in puteum inferni ruit, ubi totus confringitur. Unde dicitur :

Sic est, cum stultus scandit pernicibus alis :
Incidit a scalis in loca plena malis.

X (XXVIII). — DE LUPO LANGUENTE ET CICONIA MEDICO EIUS (2).

Semel Lupus fere strangulabatur ex uno osse. Quæsi-

(1) P. 7, AS. 8, V. 9, G. 11, MA. 9, MB. 13, MC. 7, MD. 14, ME. 8, AA. 40, AB. 11, H. 9, DA. 8, CA. 7, CB. 14, AR. 55.

(2) P. 8, AS. 9, V. 10, G. 12, MA. 10, MB. 14, MC. 8, MD. 15, ME. 9, AA. 41, AB. 12, H. 10, DA. 9, DB. 7, CA. 8, CB. 15, AR. 56.

tus fuit medicus. (Fol. 3.) Dixerunt servi ejus : Ciconia habet longum rostrum, et, si voluerit, bene poterit os de gutture vestro extrahere. Quæsita igitur Ciconia, merces magna illi promittitur ut patienti auxilium præstet. Venit igitur, et os a gutture extraxit, et mercedem quæsivit. Lupus nichil voluit dare, dicens : Nonne, quando caput tuum fuit in ore meo, potui te interficere ? Nonne tibi sufficit quod te permisi vivere ?

Mistice. Sic rustici et pauperes, quando serviunt dominis suis, nullam mercedem habere possunt. Dicunt aliquando domini : Homo meus es. Nonne tibi magnum est quod te non excorio et te vivere permitto?

XI (XXIX). — DE QUODAM (*sic*) AVE, VOCATO AVE SANCTI MARTINI (1).

Quidam avis dicitur avis sancti Martini, quæ parva est ad modum reguli. Hæc graciles habet tibias ad modum junc(c)i, et longas. Contigit aliquando, sole calente, circa festum sancti Martini projecit se juxta arborem contra solem, et erigens tibias suas dixit : Eya, si cœlum caderet, jam sustinerem ipsum super tibias meas. Cecidit autem unum folium ab arbore juxta eam. Avis vero exter[r]ita evolavit, dicens : O sancte Martine, succurre aviculæ tuæ.

Mistice. Tales sunt multi, qui ad tempus credunt et in tempore temptationis recedunt, ut patet in Petro, qui primo promisit in mortem ire cum Domino, set post ad vocem ancillæ ipsum negavit, et sic est de pluribus : quando sunt inebriati vino bono vel cervisia, dicunt se stare et debellare francigenas; set quando sunt jejuni et vident lanceas et gladios contra se, dicunt : O Martine, etc.

(1) P. 9, AS. 10, BN. 5, V. 11, MB. 15, MC. 9, MD. 16, ME. 10, AA. 42, AB. 13, H. 11, AD. 4, DA. 10, DB. 8, CA. 9, CB. 16, AR. 57.

XII (XXXI). — DE QUODAM AVE, VOCATO FRANGENTE OS, GALLICE *FREYN OS* (1).

Quidam avis vocatur Frangens os, gallice *Freyn os,* quia cum rostro ossa frangit, ut pinguedinem et medullam comedat. Set, quando pro duritia os non potest frangere, portat illud in altum et super rupem permittit cadere, et sic os confringitur.

Mistice. Sic Diabolus, quando non potest virum stabilem in peccatum prosternere, elevat ipsum in altitudinem dignitatis, et tunc permittit cadere super rupem peccati quo(d) confringitur, quia quanto gradus altior, tanto casus gravior. Pronius enim cadit lapis ab alto quam ab ymo. Sic perversi reges et perversi episcopi et perversi domini profundius cadunt ab alto in infernum quam pauperes.

XIII (XXXVI). — DE ANIMALIBUS CELEBRANTIBUS CONSILIUM (2).

Contigit quod animalia celebrarent consilium. Bufo misit filium suum illuc, qui oblitus est sotulares suos novos. Quæsivit Bufo aliquod animal velox, quod posset ad consilium accelerare. Videbatur sibi quod Lepus velociter et bene curreret, vocavitque eum, et, mercede constituta, dixit ei quod deferret sotulares novos filio suo. Respondit Lepus : Quomodo potero filium tuum in tali consilio cognoscere? Dixitque Bufo: Ille qui pulcherrimus est inter omnia animalia est filius meus. Dixit Lepus: Numquid Columba vel Pavo est filius tuus? Nequaquam, dixit Bupho, quoniam Columba nigras habet carnes, et Pavo turpes pedes. Dixit Lepus : Qualis est ergo filius tuus? Dixit Bufo : Qui tale habet caput, quale est meum, talem ventrem, tales tibias et tales pedes, ille est pulcher filius

(1) P. 10, AS. 11, V. 13, MA. 11, MB. 17, MC. 10, MD. 18, AA. 44, AB. 15, H. 12, DA. 11, DB. 9, CA. 11, CB. 17.

(2) P. 14, AS. 16, V. 31, MA. 13, MB. 19, MC. 15, MD. 20, ME. 12, AB. 17, H. 13, AD. 6, DA. 13, CA. 16, CB. 18, AR. 60.

meus ; illi deferas sotulares. Ecce, quia filium suum dilexit, pulcherrimum reputavit. Unde versus :

Si quis amat Ranam, Ranam putat esse Dyanam.

XIII *a* (XXXVI *a*). — [DE JUVENE ET VETULA] (1).

Similiter contigit quendam Juvenem amare quandam Vetulam turpem. Quærebat tamen consilium qualiter ab amore ejus posset separari. Cui dixit quidam : Quare hanc diligis, cum sit turpis et fœda? Respondit quod sibi erat nimium pulchra, quoniam amor excæcaverat eum.

Item contigit sæpe quod mulier habet pulchrum maritum ; tamen aliquem turpem ribaldum plus quam maritum diligit. *Mistice*. Sic anima peccatoris, quæ sponsa Christi est, quandoque unam meretricem plus diligit quam Christum. Quicumque enim fornicationem vel adulterium, furtum, vel aliud peccatum mortale perpetrat, pulchrum sponsum, id est Christum, relinquit, Diabolum complectitur, Buphoni adhæret. Pulchrior sibi videtur aliqua meretrix quam diligit, quam sol, luna, vel ipse Deus. Heu ! qualis error, quanta deceptio ! Illumina oculos nostros, Domine, ut te pulchrum intelligamus et super omnia diligamus.

XIV (XXXII). — DE AQUILA [ET PULLIS SUIS] (2).

Aquila, quando habet pullos, erigit capita eorum ad solem, et pullos, qui irreverberatis oculis radios solis intuentur, conservat et nutrit, illum vero qui solem non potest respicere extra nidum pro[j]icit.

Mistice. (Fol. 4.) Sic Dominus habet pullos in ecclesia, et illos, qui sciunt Deum et ea quæ sunt Dei contemplari, conservat et nutrit. Illos vero, qui tantum terrena sapiunt et respiciunt et celestia contemplari nolunt, pro[j]icit in tenebras exteriores.

(1) P. 15, AS. 16 *a*, MA. 14, MB. 20, MC. 16, MD. 21, ME. 13, H. 13 *a*, AD. 7, DA. 13 *a*, CA. 16 *a*, AR. 60 *a*.

(2) P. 11, AS. 12, V. 14, MB. 10, MC. 11, MD. 11, AA. 45, AB. 9, H. 14, DA. 12, DB. 10, CA. 12, CB. 19.

XV (XXXIII). — DE CICONIA LITIGANTE CUM CONJUGE SUA (1).

Ciconia, semel rixata cum uxore sua, rostro oculum suum extraxit. Verecundata Ciconia, quod talem injuriam intulit uxori, aliam regionem adire disposuit. Cui Corvus obviavit, causam itineris ab ea interrogans. Cui Ciconia respondit quod cum rostro suo oculum uxoris extraxisset et præ pudore hujus facti patriam suam reli(n)querit. Cui Corvus respondit : Nonne adhuc habes idem rostrum ? Ciconia respondit : Habeo. Cui Corvus : Quare ergo fugis ? Ubicumque fueris, rostrum tuum tecum portabis.

Mistice. Sic est de pluribus : cum multa peccata fecerint, in aliam regionem vel in claustrum fugiunt, sperantes malitiam animi mutare ; tamen rostrum suum, id est materiam malitiæ, hoc est Diabolum, inclusum portant. Unde [H]oratius :

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

XVI (XXXV). — DE QUODAM HERETICO (2).

Dicitur quod quidam Hereticus in T(h)olosanis partibus in loco exaltato prædicavit, quod Deus verus non fecit mundum visibilem, nec animalia, nec corpora. Quare faceret Deus, cum sit mundus et benignus, Muscas, cum sint animalia immunda ? Et venit Musca et stimulavit Hereticum in face. Ille vero cum manu Muscam fugavit. Illa ex altera parte faciem suam stimulavit, et totie[n]s hinc et inde in faciem Heretici insilivit, quod ex inproviso vexatus Hereticus sese in præciputium (*sic*) dedit et confractus interiit. Et sic Musca Dei sui injuriam vindicavit.

(1) P. 12, AS. 13, BN. 6, V. 15, G. 10, MA. 8, MB. 11, MC. 12, MD. 12, ME. 7, AB. 10, H. 15, CA. 13, CB. 20 ,AR.58.

(2) AS. 14, V. 16, MB. 18, MC. 13, MD. 19, AB. 16, H. 16, CA. 14, CB. 21, AR, 59.

XVII (XXXIV). — DE FÆNICE (*sic*) UNICA (1).

Fænix unica avis est in terra: quando vero venit tempus mortis suæ, colligit fru(c)tices et ramos aromaticos, et implet nidum suum, et accenditur nidus et comburitur Fænix, et ex illius combustionis pulvere oritur alius Fænix.

Mistice. Sic vir justus præcipue, im[m]inente mortis tempore, nititur bona opera multiplicare et in illis diebus vitam finire mortalem. Et ex vita illa mortali oritur alia vita beata et immortalis.

XVIII (XXXVII *a*). — DE ARANEA (2).

Aranea filum extrahit, et telam ordinat, et tunc totam se eviscerat, ut unam Muscam capiat. Tandem venit ventus, et totam telam cum Aranea et Musca dissipat et asportat.

Mistice. Sic clerici, curiales et scolares, in frigore et caumate, per ventos et pluvias, per montes et valles laborant, et totos se eviscerant, ut unicam ecclesiam vel unicum beneficium capiant.

XIX (XXXVII *b*). — DE MUSCA (3).

Est enim Musca stimulans, Musca maculans et Musca tumultuans. Unde quando aliquis, habens ecclesiam, qui (*sic pro* ei) cupide et avare incumbit, qualiter sol[l]icitus bona temporalia conservet et multiplicet, tunc habet Muscam stimulantem; quando vivit luxuriose et gulose, tunc habet Muscam maculantem et tumultuantem; tandem venit ventus cum magno flatu et totum asportat et dissipat; impetus venti est mors, vel ignis, vel adversitas, quæ totum statum, totam formam (*lege* fortunam) hominis destruit et dissipat.

(1) P. 13, AS. 15, V. 17, MB. 12, MC. 14, MD. 13, H. 17, AD. 5, DB. 11, CA. 15, CB. 22.
(2) P. 17, AS. 17 *a*, V. 32 *a*, MB. 21 *a*, MC. 18, MD. 22 *a*, H. 18, CA. 18, CB. 23, AR. 61 *a*.
(3) AS. 17 *b*, MB. 21 *b*, MC. 18 *a*, MD. 22 *b*, H. 19, CA. 19, AR. 61 *b*.

XX (XXXVIII). — DE MURE DOMESTICA ET CAMPESTRI (1).

Quædam Mus Domestica quærebat a Campestri quid comederet vel quo sustentaretur. Quæ respondit : Duras fabas, sicca grana frumenti vel [h]ordei comedo. Et ait Mus Domestica : Arida sunt cibaria tua. Mirum est quod fame non peris. Quæsivit etiam Silvestris quid comederet Mus Domestica ; quæ respondit : Certe comedo pingues morcellos et album panem ; set venias ad prandium meum et optime comedes. Placuit Muri Campestri, et venit ad domum alterius Muris. Sedebant autem homines in domo ad prandium, qui micas et morcellos de mensa projecerunt. Mus Domestica dixit Silvestri : Exeas de foramine ; ecce quot bona pro[j]iciuntur. Exivitque Campestris, et, uno morcello accepto, saltavit Catus post Murem et fere eam cepit ; set ipsa sic ter[r]ita vix evasit, et in foramine existens dixit Muri Domesticæ : Habes singulis diebus talem socium, scilicet Murelegum, qui te cotidie nititur devorare ? Quæ respondit : Utique habeo, quoniam patrem meum et matrem meam interfecit. Et ait Campestris : Ecce nollem habere totum mundum cum tali periculo.

Unde quidam ex parte Muris Campestri[s] :

Rodere malo fabam quam cura perpete rodi.
Tutius est certe modico gaudere salubri,
Quam magnis tristi conditione frui.

Mistice. Sic ple-(fol. 5.) rique rectores ecclesiarum, si statum suum considerarent quam sunt indigni et simoniaci et cum quanto periculo comedunt morcellum injuste adquisitum, et intelligerent quomodo præstus est Diabolus qui animas devorat, certe mallent panem [h]ordeacum comedere cum bona conscientia, quam in tanto animæ periculo tot beneficia ecclesiastica possidere.

(1) P. 18, AS. 18, V. 33, G. 15, MA. 16, MB. 22, MC. 19, MD. 23, ME. 15, H. 20, DA. 15, CA. 20, CB. 24, AR. 62.

XXI (XXXIX). — DE ANIMALI VOCATO ANTILOPS (1).

Quoddam animal est, quod vocatur Antilops; quod cum virgultis ludit cum cornibus, tandem cornua ejus implicantur cum virgultis, quod non potest ea extrahere, et tunc incipit clamare ; quo audito, veniunt venatores et interficiunt eum.

Mistice. Sic contingit, quod plerique delectati sunt et ludunt cum negotiis hujus mundi, et sic in eisdem placantur (*lege* implicantur), quod evelli non possunt, et sic a venatoribus, id est a dæmonibus, capiuntur et interficiuntur.

XXII (XL). — DE [H]YDRO; QUALITER SE INVOLVIT LUTO (2).

Quoddam animal dicitur [H]ydrus, cujus natura est se involvere luto, ut melius possit labi. Tandem in os Cocodrilli, quando dormit, intrat, et sic, ventrem ejus ingrediens, cor ejus mordet, et sic Cocodrillum interimit.

Mistice. [Hy]drus significat filium Dei, qui assumpsit lutum nostræ carnis, ut facilius laberetur in os Diaboli, et sic, ventrem ejus ingrediens et cor ejus mordens, ipsum interficit.

XXIII (XLI). — DE LUPO ET VULPE ET SITULA IN PUTEO (3).

Vulpes casu cecidit per unam situlam in quemdam puteum. Venit Lupus qui vocatur Ysingrinus, et, audiens Vulpem in puteo, quærebat quid ibi faceret. Quæ respondet : Bone compater, hic habeo multos pisces bonos et magnos. Utinam mecum esses ut partem haberes. Et ait Lupus : Quomodo possum ad te descendere? Respondit Vulpes : Desuper est una situla ; si intraveris eam, venies ad me deorsum. Erant enim ibi duæ situlæ; quando una ascendit, altera descendit. Lupus, ingrediens

(1) P. 19, AS. 19, V. 34, MB. 23, MC. 20, MD. 24, AB. 19, H. 21, AD. 8, DB. 12, CA. 21, CB. 25.

(2) P. 20, AS. 20, V. 35, MB. 24, MC. 21, MD. 25, AB. 20, H. 22, AD. 9, DA. 16, DB. 13, CA. 22, CB. 26.

(3) P. 21, AS. 21, V. 36, MA. 22, MB. 25, MC. 22, MD. 26, ME. 16, AB. 21, H. 23, AD. 10, DA. 7, DB. 14, CA. 23, CB. 27, AR. 64.

situlam desuper pendentem, descendit deorsum; Vulpes, in alia consistens situla, sursum ascendit. Cum autem obviarent sibi ad invicem, ait Lupus : Bone compater, quo vadis? Cui Vulpes ait : Satis com[m]edi et ascendo ; tu, descende et invenies mirabilia. Descendit miser, nec aliquid præter aquam invenit. Mane autem facto, venerunt rustici, et extrahentes Lupum interfecerunt eum.

Mistice. Vulpes est Diabolus, qui mille nocendi habet artes, qui dicit homini : Descende ad me in puteum peccati, et invenies delicias et multa bona. Stultus adquiescit descendens in puteum culpæ, et ibi nullam invenit refectionem. Tandem, veniunt inimici et extrahunt impium, percutiunt et perimunt. Unde Diabolus Adæ et uxori ejus multa bona promisit, dicens in quacumque die : Comederitis ex eo ; eritis sicut dii scientes bonum et malum. Bona promisit ; sed multa mala persolvit.

XXIV (XLIII). — DE QUODAM HABENTE CASEUM IN ARCHA (1).

Quidam habuit caseum in archa, et veniens Ratus incepit eum rodere et comedere. Anxius factus Paterfamilias cogitabat quid faceret. Tandem habito consilio, posuit Murelegum in archam, ut Ratum acciperet. Qui devoravit Ratum et caseum.

XXV (XLIV). — DE YSINGRYNO (2).

Isingrynus, pœnitens et plangens peccata retroacta, voluit fieri monachus, et ita factum est ; coronam et cucullam et cetera ad habitum necessaria suscepit. Tandem positus est ad scholas literasque discere debuit. Injunctum est ei primo ut diceret Pater noster. Qui respondit : Agnus vel Aries. Docuerunt eum monachi, ut respiceret ad crucem et ad sacrificium. At ille semper direxit oculos suos ad agnos vel arietes.

(1) P. 23, AS. 23, V. 38, MB. 27, MC. 24, MD. 28, AB. 23, H. 24, AD. 12, DA. 18, DB. 16, CA. 25, CB. 29, AR. 63.

(2) P. 25, AS. 25, V. 39, G. 17, MA. 24, MB. 29, MC. 26, MD. 30, AB. 25, H. 25, AD. 14, DA. 21, CA. 26, CB. 30.

Mistice. Sic plerique sunt monachi. Semper tamen dicunt : Aries vel Agnus, id est, clamant bonum vinum, et semper habent oculos suos ad pingue ferculum et ad scutellam cumulatam. Unde solet anglice dici : *If al that the Wolf un to a preest worthe, and be set un to bookpsalmes to leere, yit his eye is evere to the wodeward.*

Mistice. Similiter, si senem fatum et insensatum velis instruere, nunquam morem relinquet antiquum; vetus retorta frangi potest, plicari non potest; difficile est enim consueta relinquere. Unde quidam :

Quo semel est (fol. 6) imbuta, recens servabit odorem
Testa diu, etc.

XXVI (XLV). — QUALITER OVES CONQUESTÆ SUNT LEONI DE LUPO (1).

Oves conquestæ sunt Leoni de Lupo, eo quod furtive et aperte socias suas frequenter devoraret. Leo, congregatis in unum omnibus animalibus, quæsivit consilium ab omnibus, et tandem a Porcis. Dixerunt Porci : Domine, Lupus liberalis est, curialis et largus. Hæc ideo dixerunt, quia Lupus frequenter invitat Porcos ad Agnos et ad Arietes quos rapuit. Dixit Leo : Hoc non dicunt Oves; audiamus illas. Et ait una Ovis : Domine Rex, Lupus rapuit michi ambos meos parentes devoravitque filium meum, et ego vix evasi. Et sic conquerentes clamaverunt aliæ Oves. Ait Leo : Suspendatur Lupus, similiter et Porci qui de præda scienter comederunt.

Mistice. Lupi sunt divites hujus mundi qui rapiunt et excoriant oves Christi, id est pauperes, et dant Porcis, id est aliis divitibus, ad induendum et comedendum pro favore humano. Venit Dominus ad judicium et Oves de talibus Lupis conquerentur. Porci forte laudabunt Lupum, set in vanum; faciet autem Dominus Lupos et Porcos in inferno suspendi.

(1) P. 26, AS. 26, V. 40, G. 18, MA. 25, MB. 30, MC. 27, MD. 31, AB. 26, H. 26, AD. 15, DA. 22, CA. 27, CB. 31, AR. 66.

XXVII (XLV *a*). — QUALITER LUPUS FUIT PASTOR OVIUM (1).

Contigit quod Paterfamilias quidam habuit XII Oves; qui, volens peregrinari, commendavit eas custodiendas Lupo, qui juravit quod bene conservaret eas. Quo facto, statim profectus est. Lupus interim cogitavit de Ovibus; qui uno die comedit unam, altero die aliam, quod vix tres remanserunt. Paterfamilias reversus quærit a Lupo quid de Ovibus suis factum fuerit. Qui respondit : Aeris intemperies et tempestatis mors occidit eas. Paterfamilias dixit ei : Da michi pelles. Quibus allatis inventa sunt vestigia dentium Lupi; cui Paterfamilias ait : Reus est mortis cujus vestigia dentium hæc sunt; et fecit Lupum suspendi.

Mistice. Ita Christus commendat Oves suas custodiendas personis ecclesiasticis; set plerique pravo exemplo vel negligentia Oves Christi perimunt. Qui sic operantur, tot mortibus digni sunt quot pravitatis exempla ad subditos transmittunt; quando paterfamilias, rerum omnium Dominus positurus rationem cum eis, hujusmodi personas, ymmo Lupos, faciet in inferno suspendi.

XXVIII (XLIX). — DE GAUTERO QUÆRENTE LOCUM UBI SEMPER GAUDERET (2).

Quidam vocabatur Gauterus, qui quæsivit locum et statum, ubi semper gauderet et nullam molestiam in carne nec in corde sustineret, et hoc diu quærens profectus est. Tandem invenit quandam Dominam pulcherrimam, cujus maritus jam obierat, et, salutatione facta, interrogavit Domina quid quæreret. Qui respondit : Duo quæro, locum scilicet et statum, ubi semper gaudeam et nunquam doleam. Cui Domina : Esto maritus meus et habebis omnia necessaria. Monstravitque ei aulam et

(1) P. 27, AS. 27, V. 41, MA. 26, MB. 31, MC. 28, MD. 32, H. 27, DA. 23, CA. 28, CB. 32, AR. 67.

(2) P. 66, AS. 31, V. 45, MC. 32, AB. 27, H. 28, AD. 18, DA. 26, CA. 32, CB. 33, AR. 68.

cameram etc. Quæsivit autem ubi de nocte jaceret. At illa lectum monstravit, circa quem fuerunt ex una parte lupi et ex alia parte vermes et ex tertia parte serpentes et ex alia ursi; et ait Gauterus : Quamdiu ero tecum, numquid habebo tales delicias? Ait domina : Maritus meus mortuus est, et te tandem oportet mori, quoniam ursus te interficiet; sed nescio utrum prima nocte vel post; et tunc lupi, vermes et serpentes te devorabunt. Cui Gauterus : Omnia alia bona sunt; set lectus exterret me, nec vellem pro toto mundo in tali lecto jacere. Processit inde Gauterus, et venit ad quoddam regnum ubi jam rex decessit; dixerunt homines regni : Esto rex noster et habebis omnia bona. Ecce palatium, ecce cameram et inter cetera demonstraverunt ei consimilem lectum circumvallatum prædictis bestiis. Et ait Gauterus : Numquid nocebunt michi bestiæ? Cui responderunt : Ursus te interficiet et bestiæ te devorabunt, sicud factum est de aliis regibus, sed nescimus quando. Qui ait : Periculosum est tale regnum; lectum abhorreo et ideo recedo. Iterum profectus venit ad quendam locum, ubi erant pulchra palatia, columpnæ aureæ. Homines loci illius, ipsum suscipientes, dominum totius [auri] constituere volucrunt; sed, consimili lecto demonstrato, protinus recessit. Tandem venit ad locum quendam, ubi invenit senem sedentem ad pedes cujusdam scalæ, quæ inmixta (*sic pro* innixa) fuit cuidam muro tria habenti scalaria. Quærente sene quid quæreret, Gauterus respondit : Ut semper gaudeam et nullam molestiam sustineam. Cui senex : Si ascenderis murum per istam scalam, invenies ibi quod quæris. Ascendens ergo, Gauterus quæ diu quæsierat invenit.

Mistice. Quilibet mundanus hæc tria vel (fol. 7) aliquod istorum quærit, pulchram videlicet mulierem per luxuriam, vel dignitatem per vanam gloriam, vel aurum, argentum per avaritiam. Sed si diligenter attenderet in quo lecto jacere oportet, summo studio talia fugeret, quoniam in capite lecti stat ursa, id est mors quæ nemini parcit, de quo dicitur in Osee [c. XIII, v. 8] : Occurram eis quasi ursa raptis catulis.

Ex magna ira nulli bestiæ parcit, ita nec mors. Item lupi sunt consanguinei, vel ministri regis, vel mali executores qui omnia bona mortui diripiunt et devorant et de mortuo nichil curant. Vermes vero corrodunt corpus. Serpentes (enim) sunt dæmones qui animam impii asportant et diversis tormentis afficiunt. De hiis in Ecclesiastico [c. X, v. 13] dicitur : Cum mori[e]tur impius, hæreditabit serpentes, bestias et vermes. Impius enim dividitur in tres partes, cum moritur : serpentes, id est dæmones, asporta[bu]nt animam, bestiæ, id est homines bestialiter viventes, asportabunt bona sua, et vermes tandem cadaver recipient.

Exemplum. Unde contigit quod quidam magnus obviavit monachis mortuum usurarium et denarios suos asportantibus. Quærebat ille quid portarent. Qui dixerunt : Corpus istius hominis et denarios illius quos nobis contulit. Qui ait : Non(ne) sic, quia homo meus fuit; sed vos et vermes habebitis cadaver; ego vero pecuniam optinebo (*sic*), et dæmones animam asportabunt. Ascendamus ergo et vos (*lege* nos) auream scalam Jacob, cujus primus gradus est cordis contritio, secundus vera confessio, tertius plena satisfactio. Si istos gradus ascendimus, ad gloriam vitæ æternæ perveniemus.

XXIX (XLIX *a*). — DE DUOBUS SOCIIS AMBULANTIBUS PER DESERTUM (1).

Duo socii debuerunt semel per desertum transire, dixitque alter ad alterum : Firmabo tecum, quod plus lucrabor per falsitatem quam tu per veritatem. Veridicus dixit : Et ego firmabo. Constituta ergo confirmatione, incidit Mendax in quandam congregationem Simearum. Cui dixerunt Simeæ : Quid tibi de nobis videtur ? Mendax respondit : Vos estis pulcher[r]ima inter omnia animantia super terram; etiam homines assimilantur vobis; nunquam enim vidi tam pulchram congregatio-

(1) P. 31, A. 32, V. 46. MA. 30, MB. 35, MC. 33, MD. 36, AB. 28, H. 29, AD. 19, DA. 28, CA. 33, CB. 34.

nem. Et sic commendavit eas. Quo audito, Simeæ, propter talia ipsum honorantes, aurum et argentum ei dederunt. Tandem Veridico veniente, quærebant Simeæ quid ei videretur de illa congregatione. Qui respondit : Nunquam vidi tam turpem et fœdam congregationem. Et iratæ Simeæ verberaverunt eum, quod vix semivivus eis evasit.

Mistice.

Sic aliquando nocet omnia vera loqui.

Similiter qui adulantur dominis et prælatis, dicentes quod omnia bene agunt, licet ab(h)ominabiles res pessimas perpetrarunt, si etiam nepotibus suis animas strangulandas tradiderunt. Sic adulatores eos collaudant et magnificant, tanquam si Deo holocausta præstiterunt. Tales igitur adulatores in curiis laudantur, et, adconsilia sæpius vocati, magnis muneribus ditantur. Venia[n]t etiam Christus, Johannes, vel Petrus, et veritatem dicant; illos e[j]iciunt et ab omni honore repellunt.

XXX (II). — DE VESPA ET ARANEA LITIGANTIBUS (1).

Dixit Vespa ad Araneam : Nullius valoris es, semper in foramine manes, plus volarem per unum diem quam posses ire per decem. Et ait Aranea : Firmabo tecum. Cui Vespa : Bibamus primo, et qui primo defecerit vinum persolvet; et bibamus in hac arbore. Cui Aranea : Nequaquam, sed præparem (*sic pro* præparavi) ad opus tuum cortinam albam et pulchram, super quam ambo sedeamus et bibamus. Vespa descendit super cortinam et statim involvit pedes ejus et caput, et cœpit cum alis se excutere nec potuit evadere, et ait : Maledicta sit tua cortina, quia exire non possum! Cui Aranea ait : Nunquam evades viva. Et accedens ad Vespam, devoravit eam.

Mistice. Hæc cortina est pulchra mulier, mundi amœnitas, quæ dicuntur cortinæ Diaboli; qui enim se in talibus cortinis immittunt, periclitantur et a Diabolo devorantur.

(1) P. 32, AS. 33, BN. 7, V. 21, MB. 36, MC. 34, MD. 37, AB. 29, H. 30, AD. 20, DA. 29, CA. 34, CB. 35, AR. 69.

XXXI (II *a*). — DE NATURA STRABONIS (*sic*), QUÆ SEMPER DELECTATUR IN STERCORE (1).

Strabo semel volavit per amigdalinas arbores florentes, per rosas et lilia et per alios flores. Tandem projicit in sterquilinium, ubi erant stercora boum et equorum, et, inveniens ibi uxorem suam, dixit : Circuivi terram et transvolavi eam. Vidi flores amigdalarum, rosarum et liliorum; sed nunquam repperi locum tam amœnum et delectabilem sicut istum, demonstrato sterquilinio illo.

(Fol. 8.) *Mistice*. Sic plerique clerici, monachi et laïci audiunt vitas sanctorum, transeunt per lilia convallium, per rosas martirum, per violas confessorum. Sed nunquam videtur eis placidum vel delectabile sicut meretrix, sicut taberna, vel exercitus causarum quæ omnia in sterquilinium reputabuntur, id est fetida congregatio peccatorum. Ideo dicitur in Ecclesiastico [c.] IX, [v. 10] : Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus, in via conculcabitur. Maledictus enim talis Strabo, talis impius, cui plus sapit stercus peccati quam Christus, loca Diaboli quam vita et exempla sanctorum.

XXXII (L). — DE AQUILA DOLENTE OCULOS, ET VOCAVIT CORVUM AD SANANDUM EUM (2).

Aquila semel doluit oculos, et vocavit Corvum consiluitque eum quid contra dolorem oculorum faceret. Cui ait Corvus : Optimam tibi portabo herbam quæ oculos tibi sanos restituet, si michi pro meritis medicinam (*lege* mercedem) præstaveris. Cui Aquila respondit : Optimam tibi dabo mercedem. Corvus igitur, accipiens cæpe et spurgiam, simul distemperavit et super oculos Aquilæ posuit emplastrum et excæcavit eam. Deinde Corvus pullos Aquilæ devoravit, ipsam Aquilam multis per-

(1) P. 33, AS. 34, V. 22, MB. 37, MC. 35, MD. 38, AA. 4, AB. 30, H. 31, AD. 21, DA. 30, CA. 35, CB. 36, AR. 70.

(2) P. 34, AS. 35, BN. 8, V. 23, G. 19, MA. 31, MB. 38, MC. 36, MD. 39, AB. 31, H. 32, AD. 22, DA. 31, CA. 36, CB. 37, AR. 71.

cussionibus infestans. Cui dixit Aquila : Maledicta sit tua medicina ! quia jam me excæcavisti et pullos meos devorasti, et me non cessas percutere. Cui Corvus : Quamdiu vidisti, nullatenus potui pullos tuos gustare, et tamen hoc multum affectavi ; sed nunc quod desideravi completum est.

Mistice. Aquila significat prælatum qui habet oculos apertos, ut gregem sibi commissum custodiat. Diabolus autem nititur gregem Domini interficere et devorare, et ideo, quamdiu prælatus habet oculos apertos, desiderio suo frustratur. Diabolus igitur facit emplastrum de congerie rerum temporalium, et pro[j]icit in oculos prælatorum, quod (*lege* qui) cœlestia non possunt contemplari, quia totum illorum studium circa grang(e)as, oves et boves et redditus oc[c]upatur et oculi spirituales sunt extincti ; et sic humani generis inimicus pullos eorum rapit et devorat, et ipsum prælatum æternaliter infestat.

XXXIII (LI). — DE QUODAM LITTERATO ET LAICO (1).
XXXIII *a* (LI *a*). — DE LEONE, LUPO ET PORCO (2).

Dixit quidam Laïcus cuidam Litterato : Quale gaudium est in Paradiso? Et ait Litteratus : Tale gaudium, quod non oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quod præparavit Deus diligentibus se. Cui Laïcus, qui multum dilexit canes causa venationis et aves etc., dixit : Cum omne gaudium erit ibi, numquid erunt ibi canes et aves? Cui Clericus : Absit quod canes in locum tam amœnum intrare possent ! Cui Laïcus : Certe, si ibi essent canes et hujusmodi, plus affectarem tale gaudium introire. Cui Clericus respondit dicens :

Leo cum aliis bestiis celebravit convivium, ad quod quamplurimas vocavit bestias, deditque carnium diversa genera et multas delicias. Festo autem completo, bestiæ ad propria sunt reversæ. Contigit quod Lupus invenit in via Porcum feces cer-

(1) P. 35, AS. 36, V. 47, G. 55, MB. 39, MC. 37, MD. 40, AB. 32, H. 33, DA. 32, DB. 18, CA. 37, CB. 38, AR. 72.

(2) P. 35 *a*, AS. 36 *a*, V. 47 *a*, G. 55 *a*, MB. 40, MC. 37 *a*, MD. 41, AB. 32 *a*, H. 33 *a*, AD. 23, DA. 32 *a*, DB. 19, CA. 37 *a*, CB. 38 *a*, AR. 72 *a*.

visiæ comedentem. Tunc Porcus dixit ad Lupum : Unde venis? Qui respondit : Venio de nobili convivio Leonis. Nonne et tu fuisti ibi? Cui Porcus : Fueruntne ibi pulc[h]ra fercula et multæ deliciæ? Cui Lupus : Utique pulc[h]ra fuerunt et bene præparata. Et ait Porcus : Fuitne ibi drasta? Cui Lupus : Maledicte, quid queris? Absit quod in tali convivio efferetur tam turpis cibus!

Mistice. Ita sunt plerique, qui nichil reputant, nihil quærunt nisi drastam, id est luxuriam et hujus seculi vanitatem vel carnis delicias, de quibus dicitur Osee, c. III, [v. 1] : Diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos et diligunt vinacia uvarum. Hoc est, diligunt drastam, et nota quod idem est drasta in cervisia quod est vinacium in vino, id est, diligunt vilia et peccata.

XXXIV (XVII). — DE FALCONE ET MILVO (1).

Falco semel cepit Milvum et firmiter cum uno pede tenuit, et ait : Miser, numquid habes tam grande corpus, capud et rostrum, ut ego, pedes et ungues adeo fortes? Quare permittis me sic te tenere? Nihil enim superest quin te interficiam. Et respondit Milvus : Bene novi quod ita fortis sum et membra habeo robusta; sed cor michi deficit.

Mistice. Sic plerique adeo sunt robusti, adeo potentes, ita divites ad expensas faciendas; sed non habent cor. Sic plerique adeo possunt jejunare et asperitates sustinere, sicut ceteri; sed non habent cor.

(Fol. 21). — LX (LII]. — DE QUODAM RUSTICO LIGANTE STRABONES AD ARATRUM (2).

Quidam Rusticus, accipiens Strabones, ligavit ad aratrum simul cum bobus; quod videns, quidam alius interrogavit eum

(1) P. 61, AS. 66, V. 18, G. 5, MB. 4, MC. 65, MD. 5, AA. 25, AB. 4, H. 34, AD. 39, DA. 60, CA. 63, CB. 61.

(2) AS. 37, V. 24, MB. 41, MC. 38, MD. 42, H. 60, DA. 33, CA. 38, CB. 39.

quare hujusmodi animalia ad aratrum ligaret. Cui Rusticus respondit : Quia totum juvat quicquid non retro trahit. Et stimulavit frequenter Strabones; set, venientibus illis ad stercora vaccarum, semper ibidem moram fecerunt nec rustico aliquo modo obedierunt.

Mistice. Tales sunt plerique quos Deus stimulat, flagellat et castigat; nunquam tamen a sordibus peccatorum se retrahunt; de quibus dicitur, Amos [c.] IIII, [v. 10] : Misi vos in mortem in via Egipti, percussi in gladio juvenes vestros,..... ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non redistis ad me, dicit Dominus.

LXI (LIII). — DE CONVIVIO STRABONUM ET APUM (1).

Apes quondam invitaverunt Strabones ad convivium. Venerunt Strabones, et mensa apposita apposuerunt Apes mel et favum. Strabones parum comederunt, set avolantes recesserunt. Tandem Strabones invitaverunt Apes ad prandium, et mensa apposita apposuerunt Apibus fimum Bovis. Apes gustare nolentes avolaverunt.

Mistice. Apes sunt doctores ecclesiæ et viri contemplativi, qui invitant impios ad convivium spirituale et apponunt eis favum mellis, id est præcepta Domini et legem vitæ et disciplinæ, quæ sunt dulciora super mel et favum; set impii parum aut nichil ex eis gustant; set, si impii aliquem (fol. 22) ad suum convivium invitant, stercora boum, id est immunda verba vel opera, sicut ebrietates et gulositates, apponunt, ita quod justi quandoque corrumpuntur. Unde dicitur, Paulus, [E.] I ad Corinthios, c. XV, [v. 33] : Corrumpunt mores bonos colloquia prava. Set etiam plerosque in hoc mundo vel inebriari vel aliud perversum operari oportet, ne avari habeantur, ut similes aliis efficiantur. Unde Augustinus : Ego, ne vituperarer, vilior fiebam.

(1) P. 36, AS. 38, V. 25, MB. 42, MC. 39, MD. 43, AB. 33, H. 61, AD. 24, DA. 34, CA. 39, CB. 40, AR. 73.

LXII (LIV). — DE ASINO SIMILITANTE (*sic*) SE INFIRMUM (1).

Asinus frequenter vidit, quod Porcis dabantur panis, pulmentum, drasta et hujusmodi, et nichil laborabant, et, quando comederant, iverunt dormitum. Cogitavit Asinus intra semet ipsum dicens : Porci isti bene se habent, comedunt et bibunt, et nichil aliud operantur. Ego vero tota die laboro, set et parum comedo ; fingam me infirmum esse. Qui fecit sic, et quasi infirmus in pace jacuit. Quod videns Dominus ejus stimilavit (*sic*) eum, set surgere noluit ; set gemens assidue in pace jacuit. Tunc dixit Dominus uxori suæ : Asinus noster infirmatur. Quæ ait : Ex quo ita est, demus ei pulmentum, panem et farinam et portemus ei aquam. Feceruntque sic. Set Asinus primo parum comedit, postea vero satis, et inpinguatus est, et in semetipso dixit : Modo habeo bonum seculum. Tandem Porcis inpinguatis, fecit Dominus venire carnifices cum securi et cultello, ut Porcos interficerent. Qui venientes occiderunt Porcos. Quod videns Asinus exter[r]itus est, et, timens ne interficerent eum cum inpinguatus esset, in semetipso dixit : Certe mal(l)o laborare et vitam pristinam ducere quam sic interfici, et exiens stabulum saltavit ante Dominum ; quem statim pristino restituit labori.

Mistice. Porci significant divites, qui bene se inducunt, splendide comedunt et nichil laborant. Tales utique sunt clerici, et usurarii Porci, id est Diaboli, in quos intravit spiritus immundus, qui misit eos in mare, id est in amaritudinem culpæ et tandem in amaritudinem gehennæ. Asinus, super quem equitat Christus, est justus, labori deditus in studio, sive in claustro, sive in campo. Melius est ergo ut vitam laboriosam ducamus cum justo quam miserabiliter interficiamur cum Porco, id est, periamus cum impio ; de quibus dicitur, Job, [c.]XXI, [v. 13] : Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt.

(1) P. 37, AS. 39, V. 48, MA. 32, MB. 43, MC. 40, MD. 44, AB. 34, H. 62, AD. 25, DA. 35, DB. 20, CA. 40, CB. 41, AR. 74.

LXIII (LV). — DE GALLINA COLLIGENTE PULLOS SUOS CONTRA MILVUM (1).

Gallina frequenter colligit pullos suos sub alis suis et præcipue contra Milvum. Contigit semel Milvum venire et supra pullos Gallinæ volitare; quod Gallina percipiens vocavit eos, ut sub alis suis refugium optinerent. Venerunt omnes excepto uno, qui, inveniens vermiculum, picavit super illum ut comederet, Et interveniens Milvus illum pullum rapuit et asportavit.

Mistice. Sic Dominus nos vocat, ut fugiendo peccata ad alas suæ protectionis fugiamus. Sic plerique, supervolitante Diabolo, Christum fugiunt vermiculo peccati adhærentes, scilicet meretrici, ebrietati, seu cupiditati. Tandem venit Milvus, id est Diabolus, et rapiens talem pullum asportat; de quo in Job scribitur, [c. XXIV, v. 20] : Dulcedo est vermis. Fugiamus igitur Milvum, ad alas Christi quærendo subterfugium, de ipso cogitando, ipsum invitando, qui dixit [Joann. evang. c. VIII, v. 12] : Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, set habebit lumen vitæ.

LXIV (LVI). — QUALITER ANIMALIA INVITATA SUNT A LEONE AD MAGNUM CONVIVIUM (2).

Contigit quod animalia invitata sunt a Leone ad magnum convivium; inter quæ fuit invitatus Murelegus, quem interrogavit Leo quid libentius comederet, volens singulis satisfacere; qui ait ratos et mures se libentius velle comedere. Cogitabatque Leo, intra se dicens quod, nisi omnes bestiæ in convivio suo communiter haberent, rusticitas quædam esset. Tandem, habito secum consilio, de muribus et ratis ferculum generale adeptus est; de quo ferculo Murelegus optime comedit, aliis (fol. 23) vero murmurantibus et dicentibus : Pro(t)h! pudor, ut quid

(1) P. 38, AS. 40, V. 26, G. 3, MB. 44, MC. 41, MD. 45, H. 63, AD. 26, DA. 36, CA. 41, CB. 42.

(2) AS. 41, V. 49, MB. 45, MC. 42, MD. 46, H. 64, AD. 27, DA. 37, CA. 42, CB. 43.

àpponitur nobis tam vile ferculum, unde totum convivium enormiter maculatur!

Mistice. Sic plerique faciunt convivium, ubi intersunt aliqui, quibus nichil placet, nisi habeant ratos et mures, id est, immunditias, ebrietates, detractiones, etc.; et sic implent ventrem potu et animam Diabolo; set istud convivium bonis hominibus est valde ab(h)ominabile et detestabile.

LXV (LVII *a*). — DE QUODAM JUSTO ROGANTE DOMINUM PRO QUODAM PECCATORE (1).

Quidam Justus Homo rogavit Dominum pro quodam Peccatore, quoniam Peccator rogaverat eum; set, a peccatis se non retrahens, venit ad Justum, dicens : Domine, non sentio quod orationes tuæ mihi proficiant, quia ita pecco, ita lapsum patior ut prius. Cui ait Justus : Venias ergo mecum. Et simul euntes venerunt in quemdam locum, ubi saccus ceciderat de quodam equo, et dixit Justus ad Peccatorem : Sublevemus saccum. Fiat, dixit Peccator; et apponens manus Peccator nisus est erigere saccum; Justus econtrario trahens saccum semper ad terram. Ait Justus : Quare non erigis saccum? Respondit Peccator : Nequeo, quia semper illum deorsum trahis. Cui Justus : Ita facis michi, cum orarem pro te; ego enim vellem te per orationes meas erigere; set tu semper deorsum trahis, qui te in peccatum labi permittis. Set, si velles mecum niti te ipsum, sursum erigere te posse[mus].

LXVI (XII). — DE VULPE, QUI (*sic*) DICITUR REYNARDUS, OBVIANTE TEBERTO MURELEGO (2).

Vulpes, qui et Reynardus dicitur, obviavit semel Teberto, id est Murelego, cui dixit Reynardus : Dic mihi, quot fraudes vel artificia nosti? Qui respondit se unum artificium tantum-

(1) P. 39, AS. 42, MC. 43, H. 65, AD. 28, DA. 38, DB. 21, CA. 43 *a*, CB. 44, AR. 75.

(2) P. 43, AS. 47, V. 52, G. 21, MA. 18, MB. 49, MC. 48, MD. 50, AA. 19, AB. 37, H. 66, AD. 30, DA. 42, CA. 46, CB. 45, AR. 76.

modo scire. Cui Vulpes : Quod est illud? Respondit Murelegus : Quando canes me sequ[u]ntur, scio super arborem ascendere et sic evadere. Tunc Catus quæsivit a Vulpe, dicens : Quot fraudes noscis et tu? Qui respondit : Scio autem XVIII, et adhuc habeo sacculum plenum. Propterea veni mecum et docebo te artificia mea; quibus agnitis, morsus canum semper evades. Euntibus autem illis simul, ecce venatores et canes insequebantur eos a tergo, et ait Catus : Audio canes et jam timor invasit me. Cui Vulpes : Ne timeas. Et appropinquantibus canibus, dixit Catus : Certe amplius non sequar te; volo enim uti artificio meo, et ascendens arborem evasit, et, ipso dimisso, canes Vulpem insecuti sunt et tandem eum ceperunt. Catus vero, in alto sedens et eventum rei considerans, clamavit, dicens : Reynarde, Reynarde, aperi sacculum tuum, quia jam tempus est. Certe omnes fraudes tuæ non tibi proficiunt.

Mistice. Per Catum intelligendi sunt simplices, qui unicum artificium tantum sciunt, scilicet per contemplationem Domini invocare et super arborem crucis Christi per fiduciam ascendere, et sic a canibus, id est ab humani generis inimicis, liberantur. Per Reynardum vero designantur advocati, causidici fraudulenti, qui XVIII fraudes optinent, insuper et sacculum plenum. Tandem veniunt venatores infernales, et cum canibus suis ipsos insequ[u]ntur, rapiunt et lacerant(ur). Dicat ergo justus ad tales : Aperite sacculum vestrum, etc.

LXVII (III). — QUALITER CORVUS RAPUIT FILIUM COLUMBÆ (1).

Corvus semel rapuit pullum Columbæ, et veniens Columba ad nidum Corvi supplicavit eum, dicens quod pullum suum sibi redderet. Cui Corvus : Scisne cantare? Cui Colomba : Scio, set minus bene. Et ait Corvus : Canta igitur. Cantavit Columba, ut scivit. Cui Corvus : Canta melius, vel pullum non habebis. Set continuo devoravit eum.

(1) P. 44, AS. 48, V. 27, G. 22, MB. 50, MC. 49, MD. 51, AA. 5, H. 67, AD. 31, DA. 43, CA. 47, CB. 46, AR. 77.

Mistice. Sic domini et ballivi capiunt alicujus simplices boves et oves, imponentes ei calumpniam vel aliquod delictum. Venit simplex et petit quod suum est; set nichil proficiens spondet forte quinque solidos vel amplius, secundum quod potest. Dicit ballivus : Frater, nescis melius cantare? Nisi melius cantaveris, hoc est, nisi plus dederis, pignus non habebis; set pignus retinet, pauperem affligit et tandem devorat.

(Fol. 24.) — LXVIII (IV). — DE QUODAM DIVITE MULTAS HABENTE VACCAS (1).

Quidam Dives multas habuit vaccas, et erat quædam Vidua eidem proxima, unam tantummodo habens vaccam; quam Dives ille concupiscens ait Servo suo : Ecce Vidua illa pinguissimam habet vaccam, vade et adduce mihi illam. Qui, præceptum domini sui faciens, domino suo illam adduxit; qui jussit eam interfici quia pinguis erat, fecitque partem decoqui, partemque assari, et ad prandium suum deferri. Set, primo morsello inde assumpto suffocatus, ille Dives interiit.

Unde Ysaias dicit [c. XXXIII, v. 1] : Væ, qui prædaris! Nonne prædaberis? Iste Dives prædatus est vaccam, et Diabolus ejus animam.

LXIX (IV *b*). — DE FORMICA COLLIGENTE CUMULUM FRUMENTI (2).

Formicæ in æstate colligunt cumulum frumenti, ut inde vivant in [h]yeme. Sed venientes aliquotiens Porci totum dissipant et comedunt.

Mistice. Sic multotiens multi divitias colligunt; set venientes ministri regis vel alii raptores, id est heredes et executores, totum dissipant et consumunt. Unde in Psalmo [c. XLVIII, v. 11] : Quoniam relinquent alienis divitias suas; et ibidem [c. XXXVIII, v. 7] : Thesaurizant et ignorant cui, etc.

(1) P. 45, AS. 49, MC. 50, AA. 6, H. 68, AD. 32, DA. 44, CB. 47.

(2) P. 47, AS. 51, V. 53, MB. 53, MC. 51 *a*, MD. 54, AA. 8, AB. 39, H. 69, DA. 46, CA. 50, CB. 48.

LXX (V). — DE LUPO DEFUNCTO (1).

Contigit quod Lupus defunctus est. Leo vero, ob mortem ipsius dolens et bestias multas simul congregans, exequias ejus celebrare fecit. Lepus aquam benedictam portavit, Herecius (*sic pro* Herinaceus) cereos; Hircus campanas pulsavit; Vulpes in feretro ipsum portavit; Berengarius, id est Ursus, missam celebravit; [Bos] evangelium legit, Asinus epistolam. Missa tandem celebrata et Lupo sepulto, de bonis ipsius fecerunt convivium, et omnes bestiæ spendide comedentes consimile funus desideraverunt.

Mistice. Certe sic contingit frequenter, quod, aliquo divite vel usurario mortuo, abbas vel prælatus conventum bestiarum, hoc est bestialiter viventium, facit congregari; plerumque enim contingit quod in magno conventu sunt bestiæ multæ, videlicet leones per superbiam, vulpes per fraudulentiam, ursi per voracitatem, hirci fœtentes per luxuriam, asini per segnitiem, hericii per asperitatem, lepores per metum, quia trepidaverunt timore ubi non erat timor; temporalia enim quærunt, set æterna perdere non formidant.

LXXI (VI). — QUALITER CANIS VOLUIT SUPER CONGREGATIONEM CIRPORUM EGESTIONEM FACERE (2).

Contigit semel quod Canis voluit super congregationem Cirporum egestionem facere. Set Juncus, unus posteriora ipsius stimulans, Canem longius recedere coegit; qui a longe stans versus Juncos latravit. Cui Juncus respondit : Mal(l)o quod a longe super me latres quam de prope me viliter inquines.

Mistice. Sic melius est expellere stultos et perversos a socie-

(1) P. 48, AS. 52, V. 54, G. 25, MB. 54, MC. 52, MD. 55, AA. 9, AB. 40, H. 70, AD, 33, DA. 47, CA. 51, CB. 49, AR. 78.

(2) P. 49, AS. 53, MB. 55, MC. 53, MD. 56, AA. 10, H. 71, AD. 34, DA. 48, CA. 52, CB. 50.

tate bonorum, licet latrent per detractionem, quam coinquinari per eorum societatem. Unde versus :

> Fragrantes vicino rosas urtica perurit.
> Sic multos semper turbat iniqu[u]s homo.

et iterum : E[j]ice derisorem et exit cum eo jurgium.

LXXII (VII). — QUALITER UNICORN(I)US SEMEL UNUM HOMINEM EST SECUTUS (1).

Contigit quod Unicornus semel secutus est quemdam Hominem, qui, cum fugeret, invenit quamdam arborem, in qua erant poma pulcher[r]ima. Subtus erat fovea serpentibus, buphonibus et reptilibus plena, et illius radicem arboris rodebant duo vermes, unus albus et alius niger. Hanc arborem Homo ascendit; pomis vescebatur et frondibus delectebatur. Sed non attendit quod duo vermes arboris radicem corrodunt; quæ tandem cecidit et miser Homo in puteum ruit.

Mistice. Unicornus est mors, cui nemo potest resistere. Arbor est mundus, cujus poma sunt diversa delectabilia, scilicet divitiæ, cibi et potus et pulc[h]ræ mulieres; frondes vero et folia sunt pulchra verba et inanis superbia. Duo quoque vermes sunt dies et nox, quæ omnia processu temporis consumunt et adnichilant. Set miser Homo, qui super hanc arborem sedet et in hiis pomis et frondibus delectatur, utinam saperet et intelligeret ac novissima provideret! Unde Salomon [in Libro Ecclesiastico, c. VII, v. 40,] ait : Memorare novissima (fol. 25) tua et in æternum non peccabis. Unde versus :

> Stat male securus qui protinus est ruiturus.

LXXIII (VIII). — DE VULPE VOLENTE AQUAM TRANSIRE (2).

Vulpes, volens aquam transire, promisit Nauclero mercedem, ut per navem transferret eum. Nam Nauclerus, Vulpem

(1) P. 50, AS. 54, V. 55, MA. 19, MB. 56, MC. 54, MD. 57, AA. 11, H. 72, AD. 35, DA. 49, CA. 53, CB. 51.

(2) AS. 55, G. 26, MA. 20, MB. 57, MC. 72, MD. 58, AA. 12, AB. 41, H. 73, DA. 50, CA. 54, CB. 52.

in navi ultra flumen transportans, mercedem postulavit. Cui Vulpes : Bene dabo. Et mingens super caudam suam aspergit in oculos Naucleri qui ait Vulpi : Pessimam michi reddidisti mercedem. Unde dicitur versus :

Lit[t]us aro, lateremque cavo, dum servio pravo,

et iterum :

Puppe canis latus pro munere reddet hiatus.

LXXIV (IX). — [DE SIMIA ET NUCLEO] (1).

Simia libenter comedit nucleum, quia dulcis est; quando exterius corticem gustaverit, propter amaritudinem nucleum interius relinquit et nucem pro[j]icit.

Mistice. Sic est de stultis hominibus, quia, sub amaritudine pœnæ præsentis, latet gaudium vitæ cœlestis. Set hanc amaritudinem injustus homo gustare renuens, scilicet jejunare, orare et alia opera pœnitentiæ facere, promittit, et sic pro[j]icit nucleum et amittit dulcedinem vitæ cœlestis.

LXXV (X). — DE TESTUDINE (2).

Testudo, portans domum suam supra dorsum suum, parum incedit et parvam dietam facit.

Mistice. Hii sunt divites, Episcopi et Magnates, qui cum quadrigis, utempsilibus (*sic*), vasis argenteis et tota domo incedunt, et ideo tarde veniunt ad Paradisum. Unde in Psalmo, [c. LXI, v. 11] : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ibi dicit quidam : Non sunt vituperandæ divitiæ quibus mereamur regnum cœlorum. Item Apostolus [in Epist. I] ad T(h)imotheum, [c. VI, v. 9] : Qui volunt divitiæ fieri, incidunt in varias temptationes et in laqueos Diaboli.

Glosa. Non ab[h]orret Apostolus divitias, set morbum divitiarum qui est superbia; quando enim videt se dives magna

(1) P. 51, AS. 56, V. 56, MB. 58, MC. 55, MD. 59, AA. 13, H. 74, DA. 51, CA. 55, CB. 53.

(2) P. 52, AS. 57, MA. 21, MB. 59, MC. 56, MD. 60, AA. 14, AB. 42, H. 75, DA. 52, CA. 56, CB. 54.

constipatum familia, pulc[h]ra vasa et equos habentem et hujusmodi, superbit, et hic est vermis et morbus divitiarum. Et sicut vermis corrodit arborem procerem et altum (*sic*), quod aliquando corruit ad terram, sic vermis superbiæ altos homines et superbos corrodit, quod in puteum corruunt inferni. Plerique tamen sunt qui possident divitias, set non amant, nec cor apponunt, nisi ut pauperibus et egenis distribuantur.

LXXV *a* (X *a*). — ITEM DE TESTUDINE (1).

Item Testudo duo cornua erigit; set, si cum palea vel spina taugatur, statim cornua retrahuntur et infra testam se includant (*sic*).

Ita plerique (*sic*) contingit, quod prælati vel episcopi cornuti, quando levi tribulatione vel adversitate tanguntur, cornua sua retrahunt, et quandoque fugiunt, quandoque in cameris se includunt, et sic non se opponunt muros pro domo Domini nec pro grege sibi com[m]isso.

LXXVI (X *b*). — DE ARANEA ET MUSCA (2).

Aranea, quando venit Musca in telam suam, continuo exit et Muscam capiens interficit. Si autem venit Burdo vel Vespa sonitum faciens, Aranea in foramen suum fugit.

Mistice. Sic est de episcopis quibusdam et prælatis : si pauper et mendicus incidat in rethe ipsorum per aliquod delictum vel accusationem, statim illum arripiunt, spolia ejus comedunt et destruunt. Set, si venerit dives minaciter tumultuans, tunc abscondit episcopus vel prælatus faciem suam. Unde dicitur in Osea [c. XIII, v. 1] : Loquente Ephraïm, horror invasit Israël. Sic comminante duce, [h]orror invadit prælatum vitiosum. Unde dicitur : Qui timet Deum, omnia timent eum, et qui non timet Deum, timet omnia.

(1) P. 53, AS. 58, MB. 59 *a*, MC. 56 *a*, MD. 60 *a*, AA. 15, H. 75 *a*, DA. 52 *a*, CA. 56 *a*.

(2) P. 54, AS. 59, V. 30, MB. 60, MC. 57, MD. 61, AA. 16, AB. 43, H. 76, AD. 36, DA. 53, CA. 57, CB. 55, AH. 79.

LXXVII (XI). — DE VULPE FINGENTE SE MORTUUM (*sic*) (1).

Vulpes, quando esurit, fingit se mortuum, et jacens in plano ex ore ejus linguam suam e[j]icit. Venitque Corvus : credens eum mortuum prædamque invenire, venit ut capiat linguam; set sic capitur a Vulpe et devoratur.

Mistice. Sic Diabolus fingit se mortuum, quia nec auditur nec videtur et linguam suam e[j]icit, hoc est omne illicitum et delectabile et concupiscibile, id est pulc[h]ras mulieres, cibos delicatos et vinum sapidum et hujusmodi; quæ cum aliquis illicite capit, arripitur a Diabolo.

(Fol. 26.) — LXXVII *a* (XI *a*). — [DE MURE ET CASEO] (2).

Aliud exemplum.

Similiter caseus assatus ponitur in muscipula. Quem cum sentit Mus vel Ratus, intrat muscipulam, capit caseum et capitur a muscipula.

Mistice. Sic ést de omni illicito. Caseus enim assatur, quando mulier paratur et ornatur, ut stultos per illicita capiat. Capitur homo a muliere fornicando et capitur a Diabolo. Unde glosa in Psalmo : Præda(m) quam cupis in muscipula est; cupis alienum et caperis a Diabolo.

LXXVIII (XIII). — DE VULPE ESURIENTE AD GALLINARIUM VENIENTE (3).

Vulpes aliquando esuriens venit ad Gallinarium, rogans Gallinas ut ap(p)erirent ei. Cui dixerunt : Nolimus (*sic*) aperire tibi, quia inimicus noster es et semper nocuisti nobis. Quibus Vulpes : Per omnes sanctos juro vobis, quod nichil mali vobis conferam. Cui Gallinæ : Non credimus tibi, quia semper mendax repertus es. Quibus Vulpes : Bene potestis michi credere,

(1) P. 55, AS. 60, MB. 61, MC. 58, MD. 62, AA. 17, H. 77, AD. 37, DA. 54, CA. 58, CB. 56, AR. 80.

(2) MB. 61 *a*, MC. 59, MD. 62 *a*, AA. 18, H. 77 *a*, DA. 54 *a*, CA. 58 *a*, AR. 80 *a*.

(3) P. 57, AS. 61, G. 28, MA. 33, MB. 62, MC. 60, MD. 63, AA. 20, AB. 44, H. 78, DA. 55, CA. 59, CB. 57, AR. 81.

quia, fame et frigore conflicta, vitam jam debeo terminare, et, si moriar in hoc periculo, imputabitur vobis. Gallinæ vero, pietate commotæ, ostium aperuerunt. Vulpes intravit et quiescens calefacta est. Tandem, promissione oblita, arripuit unam Gallinam, quam interficiens comedit, et postea aliam, et turbavit omnes alias.

Mistice. Vulpes est aliquis pauper fraudulentus : petit ut ostium claustri aperiatur, ut bene comedat, et ingrediens possit inter simplices quasi simpliciter vivere, et dicit, si(cut) in seculo pereat, ab illis animam suam requiret Deus. Religiosi autem, misericordia moti, illum introducunt, qui tempore probationis quiescit nichil dicens. Cum autem professus fuit, omnes suos socios perturbat, plura cibaria, plures vestes interrogat, aliis invidet, et detrahit alios, supplantat, accusat et ad peccatum allicit.

LXXIX (XIV). — DE VULPIBUS SE INDUENTIBUS PELLES OVINAS (1).

Vulpes, percipientes quod Oves bene se custodirent ne terminos ingredirentur, nec a conspectu canum eas custodientium alicubi exirent, cogitaverunt intra se, dicentes : Scimus quid faciemus. Induamus nos pelles ovinas, et inter eos (*sic*) conversabimur, et tunc poterimus, cum viderimus tempus, agnos et oves comedere.

Mistice. Sic quidam religiosi, qui habent vestes albas, quod oves Christi sint, omnibus apparet ; de quibus evangeliter (2) : Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium ; intrinsecus autem sunt lupi rapaces et vulpes fraudulentiæ. Tales sunt plerique monachi, prædicatores et falsi religiosi, qui nichil aliud quærunt a divitibus nisi terras vineas, et vicinos suos destruunt. Unde potius esset habere vicinum paganum vel judæum quam talem religiosum.

(1) P. 58, AS. 62, MB. 63, MC. 61, MD. 64, AA. 21, H. 79, DA. 56, CA. 60, CB. 58, AR. 82.

(2) Vide Matth., c. VII, v. 15.

LXXX (XIV *a*). — DE QUODAM COMITE IN FRANCIA (1).

Quidam comes in Francia pupplicam (*lege* publicam) stratam spoliare solebat. Homines ejusdem loci jam erant præmuniti, ut, quando ipsum a remotis viderunt, continuo fugerunt vel vi et armis se defenderunt. Quod perpendens, prædictus Comes induit se et suos capis et cucullis monachorum Cisternencium, venitque post consortium mercatorum. Ipsi vero quos prius spoliaverat, videntes ipsos indutos vestimentis monachorum, dixerunt ad invicem : Hic veniunt boni viri et sancti; nunc securi sumus. Comes vero et sui paullatim incedentes consecuti sunt eos, et, cum tempus oportunum vidissent, capas et cucullas statim deposuerunt, et, in ipsos irruentes, penitus spoliaverunt.

Mistice. Sic faciunt quidam religiosi : veniunt forte ut aliquem infirmum visitant, et certe, si possint, sub specie sanctitatis omnibus bonis ipsum spoliant.

LXXXI (XV). — QUALITER QUATUOR GENERA BESTIARUM DE RELIGIONE CONTENDERUNT (2).

Quatuor genera bestiarum de religione contenderunt et conflictum inierunt, videlicet Ovis alba, Ovis nigra, Asinus et Hircus. Ovis alba dicebat : Ecce quam albam pellem ego porto, quæ significat munditiam et innocentiam quas habeo interius, et ideo plus omnibus valeo. Dixit ergo nigra : Immo ego sum nigra exterius, set interius formosa et munda, quia mundo nigra, turpis et despicabilis appareo, et mundum refuto et despicio. Ait Asinus : Immo in me religiositas apparet, quia ego omnibus sanctior sum, qui crucem in humeris porto et in hoc Crucifixum videor imitari, et altius clamo ceteris (fol. 27) ani-

(1) AS. 63, MB. 64, MC. 62, MD. 65, AA. 22, AB. 45, H. 80, DA. 57, CA. 60 *a*, CB. 59.

(2) P. 59, AS. 64, MA. 34, MB. 65, MC. 63, MD. 66, AA. 23, H. 81, AD. 38, DA. 58, CA. 61, CB. 60, AR. 83.

malibus. Hircus ait : Ego sanctior sum omnibus, qui utor cilicio quod fit de pilis caprarum; habeo barbam prolixam, quam nunquam radi patior, ne pulcher et formosus videor et mundo appaream.

Mistice. Istis quatuor animalibus fere omne genus religiosorum designatur : per Ovem albam, omnes qui utuntur vestibus albis, ut Cisternences, Præmonstratenses, ordo Sanctæ Trinitatis et hujusmodi; per Ovem nigram, omnes utentes nigris, ut nigri monachi, canonici et hujusmodi; per Asinum, qui crucem in scapulis portant, omnes qui prætendunt crucem, ut Hospitalarii, Templarii et hujusmodi; per Hircum barbatum grandem, barbatenses, ut Templarii (*pro* Templarii *lege* Grandimontenses) et Conversi ordinis Cisternensis (*sic*) qui barbas habent prolixas et radi non permittunt. Omnes isti quandoque inter se contendunt quis ordo melior sit vel sanctior. Set [hoc] attendant oves nigræ et albæ et ceteræ : nisi aliam sanctitatem optineant quam vestes, scilicet albas et nigras, erunt procul dubio de numero illarum ovium, de quibus Psalmista [c. XLVIII, v. 15] ait : Sicut oves in inferno positi sunt. Unde versus :

Ampla corona nimis, vestis nigra, bota rotunda
Non faciunt monachum, set mens a crimine munda.

Item similiter Templarii et Hospitalarii, nisi aliam in corde et corpore crucem optineant, scilicet ut crucient membra sua a vitiis luxuriæ, gulæ, superbiæ et avaritie, aliter sunt asini Diaboli, asini inferni, qualemcumque crucem specietenus (*sic*) bajulent, quantumve altius clament. Similiter barbati, qualemcumque barbam habeant, nunquam intrabunt in gloriam, nisi in corde habeant coram Deo munditiam et bonam vitam. Unde versus :

Si quem barbatum faceret sua barba beatum,
In mundi circo non esset sanctior Hirco.
Sanctum nulla facit nigra, candida vestis ovina,
Nec quemquam justum crux asinina facit.

LXXXII (XVII *a*). — QUALITER MURES INIERUNT CONSILIUM QUOMODO A CATO PRÆMUNIRI POSSENT (1).

Mures inierunt consilium qualiter a Cato se præmuniri possent, et ait quædam sapientior ceteris : Ligetur campana in collo Cati. Tunc poterimus præcavere ipsum, et audire quocumque porrexerit, et sic ejus insidias evitare. Placuit omnibus consilium hoc, et ait una : Quæ igitur est inter nos tanta annata audacia, ut in collo Cati liget campanam? Respondit una Mus : Certe non ego. Respondit alia : Certe non ego audeo pro toto mundo ipsum Catum appropinquare.

Mistice. Sic plerumque contigit quod clerici, monachi et subditi insurgent (*sic*) contra prælatum suum, dicentes : Utinam esset talis amotus et alium prælatum haberemus! Placet istud consilium omnibus. Tandem inter se dicunt : Quis apponet se contra eum? Quis accusabit eum? Tunc omnes et singuli, sibi timentes, dicunt : Non ego certe, nec ego; et sic subditi prælatos vivere permittunt.

LXXXIII (XVIII). — DE VOLATILIBUS CONTENDENTIBUS CUI ROSA PRIMULA DARETUR (2).

Volatilia semel congregata invenerunt rosam primulam pulcherrimam, et contendebant cui daretur, et communiter decretum est quod pulcherrimæ omnium concederetur. Contendebant igitur quæ esset pulcherrima. Quædam vero dixerunt quod Columba, aliæ quod Citacus, aliæ quod Pavo. Venit tandem Bubo se dicens esse pulcherrimam, rosamque sibi reddi postulavit. Omnes igitur in risum commotæ [sunt], dicentes : Tu es avis pulcherrima per antifresim, quoniam turpissima. Expectaverunt tamen usque mane sententiam diffinitivam daturi. Interim, in nocte clare videns, Bubo, aliis dormientibus,

(1) P. 62, AS. 67, G. 27, MB. 67, MD. 68, AA. 26, AB. 46, H. 82, DA. 61, CA. 64, CB. 62, AR. 84.

(2) P. 63, AS. 68, V. 19, G. 6, MA. 3, MB. 5, MC. 66, MD. 6, ME. 2, AA. 27, AB. 5, H. 83, DA. 62, CA. 65, CB. 63, AR. 85.

rosam furata est. Quo comperto mane, omnes Aves pariter dederunt sententiam quod Bubo in die non volaret nec amplius inter Aves habitaret, et, si in die forsitan appareret, omnes Aves ipsam clamore et læsione infestarent.

Mistice. Rosa ista est beneficium ecclesiasticum, cum cura animarum, quam Dominus super omnia appretiatur. Cui igitur debetur hæc rosa? Certe pulcherrimæ Avium, homini videlicet sanctissimo, qui pulc[h]ritudinem habet interiorem, scilicet picturam virtutum. Set venit Bubo, avis turpissima, scilicet impius vitiis et (fol. 28) (et) perversis operibus deturpatus; postulat sibi dari rosam. Set viri justi rident et abjudicant ei omne beneficium. Set quid? Justis dormientibus venit Bubo, id est filius tenebrarum, qui videt clarius de nocte, id est negotia tenebrarum. Sciunt enim rusticos excoriare, villas, terras, et denarios adquirere et conservare, episcopis et dominis adulari, ita quod ab ipsis ecclesias optinent, et sic non per ostium intrant, id est per amorem, set aliunde ascendunt, et ideo fures sunt et latrones. Similiter monachus qui vult melius negotia secularia tractare, mendacia et adulationes multiplicare, obedientias et dignitates in claustro adquirere, cum Bubone rosam furatur. Unde, in futuro judicio, omnes electi tormentis et clamoribus tales infestabunt, quoniam judicium durissimum hiis qui præsunt fiet. Item potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus potior (*sic pro* fortior) instat cruciatus. Tunc procul dubio de talibus dabitur judicium, quod numquam hujusmodi Bubones inter Aves cœli volabunt, set in tenebris exterioribus habitabunt, ubi erit fletus et stridor dentium.

LXXXIV (XIX). — QUALITER MUS CECIDIT IN SPUMAM SERVICIÆ (*sic*) (1).

Mus semel cecidit in spumam cervisiæ, quando bullivit. Catus vero transiens audivit Murem in spumam pipantem, eo

(1) P. 64, AS. 69, G. 29, MA. 35, MB. 68, MC. 67, MD. 69, AA. 28, AB. 47, H. 84, AD. 40, DA. 63, CA. 66, CB. 64, AH. 86.

quod exire non potuit, et dixit : Quid clamas? Cui respondit : Quia exire non valeo. Cui Catus : Si te hac vice liberabo, venies ad me, cum te vocavero? Cui Mus : Firmiter promitto ad te venire, cum volueris. Cui Catus : Jura michi. Et juravit. Catus Murem extraxit et abire permisit. Tandem Catus semel esuriens venit ad foramen Muris, vocavitque eam, præcipiens ut ad eum veniret. Mus vero timens dixit sibi : Certe non veniam. Cui Catus : Nonne jurasti michi? Mus vero dixit : Ebria fui, quando juravi; ideo juramento non teneor.

Mistice. Sic plerique, quando sunt infirmi, in carcere vel in periculo, proponunt peccata dimittere et vitam emendare, jejunare, orare et alia penitentiæ opera facere; set cum pericula evaserint, votum implere non curant, dicentes se in periculo fuisse et ideo votum non tenere. De quibus dicitur [in Luca, c. VIII, v. 13] : Ad tempus credunt et in tempore temptationis recedunt.

LXXXV (XX). — DE NATURA PELLICANI (1).

Pellicanus, quando pulli sui erigunt rostrum suum contra ipsum clamantes, interficit eos. Postea, videns pullos suos impie interfectos, pietate motus, extra[h]it sanguinem de latere proprio et super eos respergit, et inde pulli reviviscunt.

Mistice. Sic Dominus Jhesus sanguine lateris sui Adam et Evam et ceteros christianos vivificavit. Unde versus :

Ut Pel(l)icanus fit patris sanguine sanus,
Sic genus humanum fit Christi sanguine sanum;

unde in Psalmo [c. CI. v. 7] : Similis factus sum Pellicano solitudine (*sic*).

LXXXVI (XXI). — QUALITER LUPUS ET LUPUS SIBI OBVIAVERUNT (2).

Lupus et Lepus sibi obviaverunt, et ait Lupus Lepori :

(1) AS. 71, V. 20, G. 7, MA. 5, MB. 6, MC. 69, MD. 7, ME. 3, AA. 31, AB. 6, H. 85, AD. 41, DA. 64, CA. 68, CB. 66, AR. 87.
(2) P. 65, AS. 72, MB. 69, MC. 70, MD. 70, AA. 32. H. 86, AD. 42, DA. 27, CA. 69, CB. 67, AR. 88.

Super omnia animalia es animal timidum. Audesne contendere cum aliquo animali? Cui Lepus : Ita certe tecum, licet corpus grande optineas, ego vero modicum. Cui indignatus Lupus ait : Firmabo tecum decem aureos contra unum quod te vincam; et firmato pacto constituti sunt in campo ad pungnandum. Lupus currebat versus Leporem ad capiendum et devorandum. Lepus fugam arripuit; set Lupus, ut potuit, insequebatur, Lepore velociter currente. Lupus jam fatigatus gradum sistebat et super terram se projecit, quia amplius currere non poterat. Cui Lepus : Jam victus es et ad terram prostratus. Ad quem Lupus : Certe non sum victus, quia me non expectasti. Cui Lepus : Quæ pugna esset, cum sis in triplo major me, et ore aperto me totum posses devorare? Ego non pugno, nisi fugiendo, et quia victus es, redde quod debes. Lupo vero contradicente, orta est contentio, et a Leone diffinitum est quod Lupus victus fuit.

Mistice. Similiter qui vult pugnare cum Venere, cum mundo et hoste, securus (fol. 29) pugnat et certius vincit, cum fugit. Unde Paulus [in Epistola I] ad Corinthios [c. VI, v. 18] : Fugite fornicationem. Ibi dicit sanctus Augustinus : Cum aliis vitiis potest ex[s]pectari conflictus; sed hanc fugite, ne approximetis; sicque Venus vincitur, cum fugiatur.

LXXXVII (XXII). — DE SERPENTE SEMEL JACENTE SUPER TERRAM GELATAM (1).

Serpens semel jacebat super terram gelatam et præ frigoris magnitudine fere moriebatur. Quem videns Homo, pietate motus, cepit Serpentem, et ponens in sinum suum calefecit eum. Serpens calefactus Hominem fortiter pungebat. Cui Homo : Quare malum pro bono reddis? Nonne ego in sinu meo pro bono te collocavi? Cui Serpens : Nonne scis quod semper inimicitiæ sunt inter genus meum et genus tuum? Nonne iterum nosti quod Serpens in sinu, Mus in

(1) AS. 73, MA. 36, MB. 70, MC. 71, MD. 71, AA. 33, AB. 49, H. 87, AD. 43, DA. 65, CA. 70, CB. 68, AR. 89.

pera, ignis in gremio, mercedem pessime hos[pi]tibus reddunt?

Unde dicitur, ut supra : Lit[t]us aro, etc.

LXXXVIII (XXIII). — DE PANT[H]ERA DE EO EMITTENTE BONUM SAPOREM, ETC. (1).

Pant[h]era, quoddam animal de se emittens saporem et odorem, ita quod animalia crudelia, ut Leo, Lupus et Leopardus, ipsam Pant[h]eram nocere volentes, bono ipsius odore percepto, continue mansuescunt eamque amplius non infestant.

Mistice. Ita sunt quidam ita benigni in sermone et opere, ut etiam inimici eorum, illos audientes, ex dulci colloquio mitigati, iram et odium auferunt et eos diligunt. Unde Salomon in Parabolis [Lib. Proverb. c. XV, v. 1] : Responcio (*sic*) mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem; et iterum: Sermo bonus supra domum optimam.

V.

FABULÆ

EX BIBLIOTHECÆ MAZARINÆ CODICE MS. LAT. 122 EXCERPTÆ.

XL (LVII *b*). — [DE QUODAM STULTO] (2).

Quidam transivit per papam, per imperatorem, per reges et principes. Venit tandem ad quemdam pauperem. Pauper rogavit eum quod cum eo remaneret. Et ait ille : Quomodo tecum remanerem, ex quo tot nobiles dimisi? Pro stulto te habeo.

Sic sunt divitiæ quæ aliquatenus volunt morari cum divitibus, et, si(c) ad tempus secum sint, nunquam credam quod semper velint morari. Absit, sed tamen vide. Ideo divitiæ hujus mundi.

(1) AS. 75, MB. 72, MC. 74, MD. 73, AA. 35, H. 88, DA. 66, CA. 72, CB. 69.

(2) P. 40, AS. 43.

XL *a* (LVII *c*). — [DE QUODAM INCANTATORE] (1).

Quidam Incantator transiit per reges et principes et omnes excæcavit.

Nunquam, talis si(bi) vellet intrare in domum, reciperes eum, et, quoniam vellet tibi oculum a[u]f(f)erre, certe ymmo (*sic*) intrare non permitteres, sed ipsum fugares. Item serviens iste dicit[ur] Robertus dives. Istæ sunt divitiæ quæ excæcant oculos divitum. Quoniam reges pro terris et divitiis pugnant et homicidia perpetrant propter divitias et amorem divitiarum, non recipias.

VI.

FABULÆ

EX BIBLIOTHECÆ REGIÆ MONACENSIS MANUSCRIPTO CODICE LATINO 8356 EXCERPTÆ.

(Fol. 221 *a*, col. 2.) — XXVIII (XLIII *b*). — DE MURE, RANA ET MILVO (2).

Contra stultos rectores.

Mus semel voluit transire aquam et rogavit Ranam quod eam transmearet. Ait Rana : Liga te ad tibiam meam ; sic ducam te ultra. Qui sic fecit. Et venit Milvus et asportavit utrumque in aria.

Sic, quando parrochia committitur stulto et insufficienti, venit Dyabolus, et asportat utrumque, scilicet capellanum et parrochianum.

(1) P. 40 *a*. AS. 44, MC. 44, DA. 39.
(2) P. 24, AS. 24, V. 38 *a*, MB. 28, MC. 25, MD. 29, AB. 24, AD. 13, DA. 19, DB. 17, CA. 25 *b*.

(Fol. 225 *b*, col. 2.) — LI (LX). — DE UP(P)UPA ET PHILOMENA (1).

Contra injuriosos et de religiosis qui eos fugiunt.

Up(p)upa, varietate colorum distincta et eximie cristata, dixit Philomenæ : Tota nocte cantas, super ramos duros saltas, veni et quiescas in nido meo. Quæ acquievit et in nidum Up(p)upæ descendit. Sed stercora fetentia invenit, quod ibi morari non potuit, et avolavit, dicens : Magis volo super duros ramos saltare quam in tali fetore quiescere.

Up(p)upa, quæ in stercoribus nidificat, significat mulierem fornicariam, domicellum luxuriosum, qui quando habet lectos ornatos et suavos (*sic*), tamen sub stercore culpæ fetidissimos. Philomena significat religiosos qui saltant super duros ramos, id est in austeris præceptis religionis habitantes, et Deum in horis nocturnis laudantes. Hii magis eligunt super tales ramos exultare quam in fetore luxuriæ computrescere.

Sic de monacho Cluniacensi contigit, quod hospita venit de nocte ad ipsum, rogans quod rem secum haberet. Qui ait : Venias igitur ad hunc locum; et posuit se super carbones vivos. Et illa [verbis] nisa [est] eum extrahere. (Fol. 226 *a*, col. 1.) Se[d] ille noluit, dicens : Hic faciamus quod desideras. Abbas, hanc contentionem videns, incepit XV (*sic pro* CXIX) Ps., [v. 1] : Ad Dominum, cum tribularer, clamavi. Et mulier recessit. Abbas autem, cum tandem laboraret in extremis, et quærerent de quo consuleret quod fieret abbas post eum, respondit : Qui fuit in igne et non comburebatur. Qui audientes quasi delirum reputabant. Tamen tandem exposuit eis de monacho prædicto.

Sic contigit [in] diebus nostris de quodam fratre prædicatore in Hispania : quædam mulier dixit quod se interficeret, nisi cum ea rem haberet; ille locum assignavit et magnum rogum accendit et intus se posuit; et dixit mulieri quod ignem intraret, si vellet se delicias implere. Et sic mulier confusa recessit.

(1) V. 29, G. 23, MB. 51, MD. 52, CA. 48.

(Fol. 228 b, col. 1.) — LXVI (XVI). — DE TRAHA ET BUFONE (1).

Traha semel transivit super Bufonem, et unus dens percussit eum in capite, alius in corde, alius in renibus. Et ait Bufo : Deus confundat tot deos (*sic pro* dentes) !

Ita potest quandoque dicere Capellanus : Archi-(col. 2) diaconus petit procurationem, Officialis, æstivales, Sc(r)utari[i], sotulares, Trotarii, camisiam vel pecuniam; Bal[l]ivi, Subbalivi, Servientes, Portarii Regis vel Vice-Comitis petunt a paupere. Tunc potest dicere : Deus confundat tot dominos. Versus :

Rufo Trahæ dixit : Maledictio tot dominis sit !

(Fol. 229 a, col. 1.) — LXVIII a (XIX a). — [DE PULICE] (2).

Sic dicitur de Pulice, quem cepit Abbas, dicens : Nunc teneo te ; sæpe me punxisti ; nunquam te dimittam, sed statim te interficiam. Dixit Pulex : Pater sancte, ex quo me interficere proponis, pone me in palma tua, ut libere valeam peccata mea confiteri. Cum confessus fuero, poteris me interficere. Abbas, pietate ductus, posuit Pulicem in medio palmæ. Pulex statim exiliit et per saltum evasit. Abbas Pulicem fortiter vocavit, sed redire noluit.

Sic plerique, in ar[c]to positi, multa promittunt, sed, cum evaserunt, nihil persolvunt.

(Fol. 230 a, col. 2.) — LXXIV (LXII). — DE RANA INFLATA (3).

Contra magna appetentes ex invidia.

Rana vidit semel Bovem in prato comedentem. Cogitavit si posset ita magna esse sicut Bos ille, et vocavit filios suos, dicens : Ecce quanta recentia (*lege* decentia) et magnificentia sunt in me, si possem ad magnitudinem Bovis pervenire ! Et intumuit et inflata est, quantum potuit, et ait filiis suis : Sum

(1) P. 60, AS. 65, MB. 66, MC. 64, MD. 67, AA. 24, DA. 59, CA. 62.
(2) MB. 68 a, MD. 69 a, CA. 66 a.
(3) MA. 38, MB. 74, MD. 75, CA. 74.

adhuc ita magna sicut Bos? Et dixerunt filii : Nondum es sicut caput Bovis. Et iterum intumuit ita quod medius crepuit.

Sic sunt multi qui vident episcopos, abbates, archidiaconos, quasi boves cum magna pompa incedentes; cogitant qualiter possent ita magni fieri, et in tantum conantur quod in anima et corpore moriuntur.

LXXIV *a* (LXII *a*). — [DE FILIO MILITIS] (1).

Vidi quendam qui habuit patrem militem optimum, et voluit illi assimilari, ubi natura negavit, et iterum (*lege* in tantum) conatus est in torneamentis volens patri probitate assimulare, quod ex debilitate exspiravit.

Similiter layci vident alios laïcos bene indutos splendide comedere, magnos equos equitare, familiaritatem cum principibus habere. In tantum conantur eis assimilari quod moriuntur. Frater, si factus es Bos talis magnus, lauda Deum; si Rana efficieris, id est mendicus et pauper, esto contentus. Noli Bos fieri. Disponat Deus de re sua sicut voluerit : hunc humiliat et hunc exaltat. Ideo dicitur in Ecclesiastico [c. VI, v. 2] : Ne te extollas in cogitatione animæ, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam.

VII.

FABULÆ

EX CORPORIS CHRISTI COLLEGII CANTABRIGIENSIS CODICE MS. LATINO 441 EXCERPTÆ (2).

(Pag. 485.) — X (XXX). — [DE OCULIS CALVI LACRIMANTIBUS ET PERDICIBUS] (3).

[Contra fictos justos principantes.]

Quidam Calvus, habens oculos lacrimantes, interficiebat Perdices. Et ait una : Ecce quam bonus homo [et] sanctus! Et ait

(1) MB. 74 *a*, CA. 74 *a*.
(2) Harum fabularum tituli e Monacensi cod. ms. lat. 8356 excerpti sunt.
(3) V. 12, G. 13, MA. 12, MB. 16, MD. 17, ME. 11, AA. 43, AB. 14, CA. 10.

alia : Quare dicis eum bonum ? Et respondit : Nonne vides qualiter lacrimatur ? Et respondit altera : Nonne vides qualiter nos interficiet ? Maledictæ sint lacrimæ ipsius, quia lacrimando nos perimit !

Sic plerique episcopi, prælati, magnates, ut videtur, bene orant, elemosinas dant, lacrimantur ; sed simplices et subditos ex[c]oriant et perimunt. Maledictæ sint orationes et lacrimæ talium !

(Pag. 489.) — XXIV (XLII). — [DE LEONE ET LUPO ET VOLPE ET VENATORIBUS.] (1).

Leo, Lupus et Vulpes condixerunt (pag. 490) sibi ad invicem quod venarentur. Vulpes cepit anserem, Lupus arietem pinguem, Leo bovem macilentum. Debuerunt prandere. Dixit Leo Lupo, quod prædam partiretur. Dixit Lupus : Unusquisque habeat quod cepit : Leo suum bovem, ego arietem, Vulpes anserem. Leo iratus erexit palmam et cum unguibus extraxit totum corium de capite Lupi. Et dixit Leo Vulpi quod divideret. Et ait Vulpes : Domine, vos comedetis de pingui ariete, quantum vol[u]eritis, quia teneras habet carnes, et postea de ansere, quantum volueritis, tandem de bove temperate, quia duras habet carnes, et quod remanserit detis nobis qui homines vestri sumus. Ait Leo : Certe bene dicis. Quis te docuit ita bene partiri ? Et ait Vulpes : Domine, ille rubens capellus socii mei, demonstrato capite excoriato.

Sic Dominus percussit primum parentem pro peccato inobedientiæ, scilicet multis infirmitatibus, fame, siti, nuditate, et tandem morte; quod rubens capellus Adæ deberet nos castigare, atque nunquam Deum offendere debe[re]mus. [Unde] in Parabolis [c. XIX, v. 25] : Castigato pestilente stultus sapientior erit. Quandoque verberatur Catulus coram Leone, ut timeat et mansuescat. Sic Dominus ergo verberavit triplicem Leonem, ut

(1) P. 22, AS. 22, V. 37, G. 16, MA. 23, MB, 26, MC. 23, MD. 27, ME. 17, AB. 22, AD. 11, DA. 20, DB. 15, CA. 24, CB. 28, AR. 65.

nos, Catuli miseri, timeamus et a peccato abstineamus. Verberavit in quantum Sathan, verberavit primum Adam, verberavit secundum Adam, id est Christum. Unde vox Christi ad Patrem : In me transierunt iræ tuæ ; quoniam flagellis, cruci et clavis ipsum exposuit et proprio filio non pepercit. Adhuc nos miseri non timemus. Potest Dominus dicere : Mitius inveni quam te genus omne ferarum. Maledictus talis Catulus, qui, tam magnis Leonibus verberatis, non timet nec curat castigari.

(Pag. 490.) — XXV *a* (XLIII *a*). — [DE CANIBUS ET CORNICIBUS] (1).

Ita quando Canes devorant cadaver, Cornices supra arbores expectant, donec Canes satiati recesserint. Tunc veniunt Cornices, et ea quæ circa ossa remanent devorant.

Certe ita quandoque contingit quod cardinales, legati, episcopi, archidiaconi devorant capellanos et pauperes clericos. Postea veniunt garciferi et nuntii, et devorant si (pag. 491) aliquid circa ossa sacerdotum remanet.

(Pag. 492.) — XXIX (XLVI). — [DE LUPO ET AGNO BIBENTIBUS] (2).

[**Contra opprimentes pauperes.**]

Lupus et Agnus biberunt de eodem rivulo, et ait Lupus : Quare turbas a(c)quam meam ? Et ait Agnus : Non turbo, quia vos bibitis superius, et aqua fluit de vobis ad me. Et ait Lupus : Maledicte, contradicis mihi, et es ita audax? Et statim devoravit Agnum.

Ita divites pro nulla causa, qualitercumque respondeant pauperes, ipsos devorant.

(1) MB. 27 *a*, MD. 28 *a*, CA. 25 *a*.

(2) P. 28, AS. 28, V. 42, MA. 27, MB. 32, MC. 29, MD. 33, AD. 16, DA. 67, CA. 29, CB. 3.

XXX (XLVII). — [DE VOLPE QUÆ CONFITEBATUR PECCATA SUA GALLO] (1).

[**Contra gulosos.**]

Vulpes sèmel fuit in gallinario. Supervenerunt homines cum baculis et miserabiliter fustigaverunt Vulpem, quod (*sic*) per foramen evasit; recessit ut potuit, et super cumulum feni se projecit et gemere incepit. Petiit capellanum, quod ad eum veniret et peccata sua audiret. Venit igitur Chanticler, scilicet Gallus, qui est capellanus bestiarum. Aliquantulum timens mores Reinardi, a longe sedit. Reinardus peccata sua confitebatur, et inter cetera rostrum suum posuit versus capellanum. Et ait capellanus : Quare appropinquas mihi ? Et ait Reinardus : Infirmitas magna me compellit hoc facere; parcatis michi. Iterum dixit alia peccata, et, ore aperto, posuit caput versus Gallum, et cepit eum et devoravit.

Tales sunt plerique monachi subditi et layci, qui fingunt se infirmos et debiles, semper tamen habent mentem ut capellanos et majores suos devorent.

(Pag. 499.) — XLIII (LVII). — [DE AUCA ET CORVO] (2).

[**Contra nimis oneratos peccatis.**]

Auca pinguis et ponderosa rogavit Corvum quod juvaret eam, ut in altum posset volare et cacumina montium et arborum respicere. Annuit Corvus et pedes apposuit ut Aucam sursum erigeret, et Auca in tantum ponderavit quod Corvus nichil potuit. Et ait Auca : Quare me non elevas? Ait Corvus : Quantum nitor ut te erigam, tantum ponderas, ut (pag. 500) erigere non valeam.

XLIII *b* (LVII *d*). — [DE LUDO SCACORUM] (3).

Simile est de hiis divitibus in ludo scacorum. Primum

(1) P. 29, AS. 29, V. 43, MA. 28, MB. 33, MC. 30, MD. 34, DA. 24, CA. 30, CB. 4.
(2) V. 50, MA. 17, MB. 46, MD. 47, AB. 35, CA. 43.
(3) P. 40 *b*, AS. 44 *a*, V. 51, G. 20, MB. 46 *a*, MC. 45, MD. 47 *a*, DA. 39 *a*, CA. 43 *b*.

ponuntur extra sacculum. Quidam dicuntur reges, quidam milites, quidam duces, quidam pedones; et ludunt [homines]. De talibus qui aliquando poterit vincere, probus dicitur. Ite[ru]m in bursa sine ordine collocantur.

Sic omnes homines venient de suo sacco, de utero matris ; postea ludit unus cum alio. Unus aufert alii suum ludum, tandem mat(t)at. In fine colliguntur, et iterum sine ordine in sacco ponuntur. Sic in hoc mundo ludit unus cum alio : unus amittit, alius lucratur, alius mattatur; qui alium potest vincere, probus et inclytus dicitur; sed tandem projiciuntur in eumdem sacculum, scilicet corpora in terram, animæ in gehenn(e)am, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

XLIV (LVIII). — [DE PULLO INDOMITO] (1).

Pullus indomitus se ipsum præcipitat in aquam vel foveam, nisi habeat frenum.

Certe sic caro tua, per ebrietates, fornicationes, projiciet te in puteum culpæ et gehennæ, nisi frenum opponas. Sit frenum de clavis Christi. Si ad præsepe, id est ad commestionem, aufers frenum, tu non obliviscaris eum (*lege* illud) in præsepio, ne equus tuus te præcipitet. Constantia est necessaria, ne sis miles qui corruit de curru ad impulsionem venti. Ventus est verbum detractorium, vel adulatorium, vel ad iram provocatorium; quod qui audit, si stultus est, cadit in iram, vel odium, vel tristitiam. Talis non est constans [et firmus]. Igitur esto constans et firmus, ne corruas a curru caritatis. Non contristabit justum quicquid ei acciderit.

(Pag. 512.) — LXXIII (LXI). — [DE CANE ET FRUSTO CARNIUM] (2).

[Contra diligentes vana et derelinquentes vera et cetera.]

Canis, semel frustum carnis tenens in ore, flumen transivit. Umbram frusti videns, quæ major frusto apparuit, frust(r)um

(1) P. 41, AS. 45, MB. 47, MC. 46, MD. 48, AB. 36, DA. 40, DB. 21 *a*, CA. 44.
(2) G. 30, MA. 37, MB. 73, MD. 4, CA.

dimisit ut umbram caperet. Et umbra tam cito evanuit. Sic frustum pro umbra perdidit.

Sic plerique habent soliditatem gratiæ, firmitatem virtutum, ipsum Deum, et videntes umbram istius mundi, scilicet divitias, pulc[h]ra cibaria, mulieres, dignitates, illis adhærent. De quibus Sapient. [c. V, v. 9 et s.] : Transierunt omnia illa, tanquam umbra et tanquam nuntius [præcurrens], et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, aut tanquam avis quæ transvolat in aere, et post [hoc] nullum invenitur argumentum itineris illius, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum : divisus aer continuo in se reclusus est. Talia dixerunt in inferno hii qui peccaverunt, quoniam spes impii tanquam lanugo [est], quæ a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tanquam fumus qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Ecce quod bonum et solidum et inco[m]mutabile pro hac umbra perdunt et utroque privantur. Jer. [c. II, v. 13] : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, quæ non valent continere aquas. Hoc est, laboraverunt ut haberent hæc transitoria, in quibus nulla refectio vera. Hii dimittunt rosam pro urtica, granum pro palea, solem pro luna, oleum pro amurca, pro morte vitam, fraxinum pro salice. Talis dicitur adulter. Augustinus : Si deseris eum, qui te fecit, et amas illa, quæ fecit, deserto (pag. 513) illo, adulter es. Talis dicitur idolatra. [Ep. S. Pauli] ad Romanos, [c. I, v. 25] : Qui[a] commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in secula.

(Pag. 513.) — LXXV (LXIII). — [DE MURE, QUI VOLUIT MATRIMONIUM CONTRAHERE] (1).

[Contra illos qui superbe agunt, alta cogitantes et sapientes et cetera.]

Mus semel voluit matrimonium contrahere et cogitavit quod

(1) MB. 75, MD. 76, AB. 51, CA. 75.

maritum acciperet fortissimum; et cogitavit penes se quid esset strenuissimum. Tandem videbatur sibi quod Ventus, quia prosternit cedros, turres, domos. Misit nuntios Vento, quod esset maritus ejus. Dixit Ventus : Quare vult mecum contrahere? Dixerunt nuntii : Quia inter omnes creaturas es fortissima. Respondit Ventus : Imo castrum Narbonense fortius est me, quia jam plus quam per mille annos stetit adversum me et [s]cindit et confringit vires meas et nunquam potui eum prosternere. Reversi sunt nuntii et retulerunt responsum, et dixit Mus : Ex quo fortior est Turris, volo quod sit maritus meus. Significaverunt hæc Turri, et ait Turris : Certe mures sunt fortiores me, quia tota die me perforant et frangunt et faciunt viam per me. Et ita habito consilio oportebat quod Mus Murem sibi associaret.

Sic plerique ardua excogitant et mirabilia facere pro- (pag. 514) ponunt, et :

Parturiunt montes et exit (*sic*) ridiculus Mus.

L. IV Regum, [c. XIV, v. 9 et s.], dixit rex Israel ad Amasiam regem Juda : Carduus Libani misit ad Cedrum, quæ est in Libano, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, et conculcaverunt Carduum. Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum. Contentus esto gloria [tua], et sede in domo tua. Quare provocas malum, ut cadas, tu [et] Judas tecum? Noluit adquiescere, et factum est prælium, et cæsus est populus Juda. Amasiam vero regem Juda cepit Joas rex Israel, et multa mala intulit. Si[c] plerique alta aggrediuntur et vilissime corruunt. Jer. : Rectius fuisset homini subiisse conjug[i]um et ambulasse per plana quam ad altiora tendere et in profundum inferni cadere. Etiam in bonis operibus et in virtutibus periculosum est gloriari. L. I Machabæorum, [c.] VI, [v. 43 et s.] Eleazar, volens facere sibi nomen in æternum, supposuit se elephanti, et occidit eum, et cecidit bestia super ipsum et mortuus est. Greg. : Quasi sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa

quam superat non elevatur. Greg. : Auctoris sui gloriam negare convincitur quisquis sibi tribuit quod operatur; ex quo igitur non in virtutibus nec in bonis operibus gloriandum, quoniam periculosum est in malitia gloriari.

Alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
[Hoc retine verbum] : Frangit Deus omne superbum.

LXXVI (LXIV). — [DE PULCHRA UXORE CATI] (1).

[**Contra torneamenta.**]

Quidam Catus habebat pulchram Sponsam, et illa contempnens maritum suum vagabatur extra ad alios Cattos. Conquerebatur Cattus amicis suis de Sponsa. Ait quidam amitus (*sic*) : Combure pellem illius in diversis locis et domi remanebit. Quo facto, remansit Catta in domo nec ultra vagabatur extra.

Sic plerique habent pulchras uxores, sorores, filias, et quando habent pulchros capillos, pulchra vestimenta, domos exeunt, vicinos, vicinas visitant, per plateas vagantur :

Spectatum veniunt; [veniunt] spectentur ut ipsæ.

[Gen. c. XXXIV, v. 1] Egressa est Dina ut videret mulieres regionis illius; et corrupta est. Tunc debet pater familias noclare et comburere capillos earum et inducere illas non pannis pretiosis, sed pellibus ; et sic domi remanebunt.

LXXVI *a* (LXIV *a*). — [DE QUADAM DOMINA] (2).

Quærebatur a quadam Domina quare ita uteretur vestibus tam pretiosis, et respondit : Non ut mundo placeam, sed marito. Et ait : Falsum est, Domina; imo, quando es in multitudine [uteris] pretiosis; quando es in domo coram marito, induis vilia, super perticam ponis pretiosa.

(1) MA. 39, MB. 76, MD. 77, AB. 52, CA. 76.
(2) MB. 76 *a*, MD. 77 *a*, CA. 76 *a*.

LXXVII (LXV). — [DE CICONIA ET SERPENTE.] (1).

[Quod principiis est obstandum et cetera.]

Ciconia venit ad foramen Serpentis, et vocavit eum ut exiret. Respondit Serpens : Quis es tu, qui ausus es me infestare? Et ait : Ego sum Ciconia et libenter tecum contenderem. Et ait (pag. 515) Serpens : Misera, cum graciles habeas tibias et fragiles, collum gracile et longum, quomodo mecum pugnares, quoniam vici strenuissimum animal, scilicet, Adam primum hominem a Deo plasmatum et uxorem ejus, et multos homines in deserto peremi? Centum tales Ciconiæ non possent unicum hominem expugnare : quomodo præsumis mecum contendere? Et ait Ciconia : Tantum exeas foramen et videbis. Serpens iratus, sibilando et os aperiendo, foramen exivit, quasi vellet Ciconiam totam devorare. Ciconia statim dedit ei cum rostro super capud, et Serpens statim occubuit, dicens : Ecce jam me peremisti. Ait Ciconia : Certe, si Adam et ceteri homines scirent ubi est vita tua et fortitudo et hoc artificio usi essent, [et]te in capite percussissent, nunquam a te victi fuissent.

Tali igitur arte utendum est :

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Cum sentis primos motus luxuriæ vel iræ, statim resiste, statim allide parvulos ad petram; petra autem est Christus; hoc est, amore Christi primos motus interfice. Si permittes crescere donec totum corpus per ignem luxuriæ accendatur, non habebis vires extinguendi, quia tunc parvuli creverunt [in tantum] quod efficiantur pugiles magni. Primo quasi stupæ de facili solvuntur, et, si creverunt, efficiuntur vincula plaustri, quæ rumpi non poterunt. Unde Dominus antiquo Serpente [Gen. c. III, v. 15] : Ponam inimicitias inter te et mulierem : ipsa conteret capud tuum. Mulier est Beata Virgo, sancta eccle-

(1) MA. 40, MB. 77, MD. 78, CA. 77.

sia, quælibet fidelis anima, quæ caput Serpentis, quasi initium suggestionis, debet conterere. Sic vincitur Serpens antiquus.

LXXVIII (LXVI). — [DE PAVONE DEPLUMATO] (1).

[Contra vanam gloriam et cetera.]

Pavo inter ceteras aves, plumis ornatus et diversis coloribus distinctus, mansuetus et curialis, venit ad congregationem avium. Venit Corvus et rogavit quod daret ei pennas duas. Ait Pavo : Quid facies pro me? Et ait Corvus : Alta voce in curiis coram avibus te laudabo. Pavo pennas duas ei concessit. Similiter Cornix petiit et impetravit. Sic Cucula et multæ aliæ aves, quod Pavo totus deplumatus remansit. Debuit pullos suos cum ali(i)s nutrire et protegere; non potuit quare pennas non habuit. Supervenit frigus et periit. Pulli ab eo recesserunt, et prout pot[u]erunt vixerunt.

Sic quandoque rex, vel comes, miles, vel episcopus, habet multas villas, castra, campos et vineas, et est quasi Pavo multis variis pennis bene ornatus. Veniunt et adulatores Hospitalarii, Templarii, monachi, canonici; ad talem Pavonem petunt terras, vineas, castra, donaria; promittunt laudes, missas, orationes. Stultus Pavo quando adquiescit, et possessiones, unde ipse et sui deberent vivere, aliis (p. 516) distribuit. Sic fecit quidam rex Aragonum; unde successores sui non potuerunt, ut decuit, milites tenere nec inimicis resistere, nec regnum suum defendere. Sic quandoque de militibus videmus, quod tantum dant religiosis, quod totique remanent deplumati et heredes exheredati.

LXXIX (LXVII). — [DE BUFONE ET RANA] (2).

[Contra avaros et laycos tenaces.]

Bufo, qui habitat in terra, rogavit Ranam, quæ habitat in flumine, quod daret ei de aqua ad potandum. Ait Rana : Placet; et dedit ei quantum volebat. Rana esuriens rogavit quod daret

(1) G. 31, MA. 41, MB. 78, MD. 79, AB. 53, CA. 78.
(2) MB. 79, MD. 80, CA. 79.

ei de terra. Respondit Bufo : Certe nichil dabo, quia ego ipse timens ne deficiat, [non] comedo ad sufficientiam.

Sic sunt plerique in tantum tenaces, quod expectant quod panes sint muscidi, carnes rancidi, pastilli sint putridi; nec possunt manducare nec pro Deo dare. Timent quod terra eis deficiat. Hii sunt Bufones Diaboli. [H]abacuc, [c.] II, [v. 6] : Væ ei qui multiplicat non sua! Benedicit non sua; quia non audeat ea(s) expendere, invitus aliis relinquet; [Psalm. c. XXXVIII, v. 7] t[h]esaurizat et ignorat cui congregabit ea.

LXXIX *a* (LXVII *a*). — [DE CANE ET DUOBUS HOMINIBUS] (1).

Item Canis comitatur duos homines. Nescitur cujus sit. Sed cum ab invicem recedunt, Canis dominum suum sequitur.

Sic divitiæ sunt cum possessore et mundo. Sed cum possessor moritur, divitiæ cum mundo remanente morantur. Manifestum est igitur quod divitiæ sunt mundi sequa[ce]s. Unde [H]abacuc [c. II, v, 6] : Usquequo aggravat contra se densum lutum? Quicumque divitias avare congregat, murum luteum facit inter se et Deum, inter se et cœlum, quod intrare non poterit. Si scirent cupidi vel crederent quæ sunt eis ventura, plorarent et ulularent. Jacobus, [c.] V, [v. 1] : Agite nunc, divites, et plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis sunt comesta. Aurum et argentum vestrum eruginavit, et erugo eorum erit vobis in testimonium et manducabit carnes vestras sicut ignis.

LXXX (LXVIII). — [DE ASINO ET LEONE] (2).

[Contra eos qui appetunt esse in curiis magnatorum et cetera.]

Leo rex animalium semel quæsivit sibi [ministros], ut servirent ei in diversis officiis. Ingessit se Asinus, dicens quod optime sciret cantare et viellare (*sic*). Dixit [Leo] : Audiamus.

(1) MB. 79 *a*, MD. 80 *a*, CA. 79 *a*.
(2) MA. 42, MB. 80, MD. 81, AB. 54, CA. 80.

Et Asinus aperuit os suum; horribiliter recanavit. Et ait Leo : Miser, quare mentitus es, cum sonus tuus horribilis sit? Potius me a sompno excitaret quam dormire faceret. Exeas cito de curia mea.

Sic plerique vellent se in curias regum et principum ingerere. Sed, quia sunt inhabiles, a curiis repelluntur. Plerique cupiunt saturare ventrem suum de siliquis porcorum, et nemo illis dabat; siliquæ porcorum sunt pretiosa cibaria divitum (pag. 517) et gulosorum qui sunt porci Diaboli; multi, monachi, scolares, clerici, laïci, cupiunt saturare ventrem de hujusmodo, et nemo illis dabat. Sic cor ad mundum recurrit et cor mundus repellit; desiderant mundum et amant; mundus tum de hiis non curat. Revertantur igitur ad patrem suum, veniant ad Christum, et ipse re[ci]piet eos, amplectatur ipsos et faciet magnum festum; interficiet vitulum et instruet convivium, quoniam majus gaudium est in regno cœlorum super uno peccatore pœnitentiam agente quam super centum justis qui nunquam peccaverunt. Si asinus fieris, scilicet simplex et inhabilis, esto contentus, noli quærere fieri curialis. Petrus per unam noctem fuit in curia Caifæ, et Christum negavit. Quando fuit in curia Christi, justus et sanctus perseveravit. In curiis enim sedet Diabolus cum divitibus in o[c]cultis, ut interficiat innocentem. Heu, quot et quot magis desiderant esse de curia Herodis et Chaifæ, quam de curia Jhesu Christi, quoniam, ut dicit veritas, Luc., [c.] XXII, [v. 25] : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major [est] inter vos, fiat sicut junior, et qui præcessor est, sicut ministrator. Utinam simus Boves (Abrahæ) vel Asini qui pascuntur juxta Boves! Job, [c. I, v. 14].

LXXXI (LXIX). — [DE CANE ET ASINO ET DOMINO SUO] (1).
[Contra ingratum servitium.]

Quidam Paterfamilias habuit Canes, qui, quando domum

(1) G. 32, MA. 43, MB. 81, MD. 82, AB, 55, CA. 81.

negotiis ven[i]ebat, applaudebant ei, de pedibus et rostro ipsum tangentes. Asinus hæc videns penes se cogitavit : Ita deberem Domino meo applaudere. Semel rediit Dominus de negotio; occurrit ei Asinus; volens ei applaudere, pedes anteriores evexit et Dominum suum dure in facie, pectore, percussit, et Dominus iratus fecit Asinum fere usque ad mortem fustigare et in stabulum detrudi.

Sic plerique volunt assumere officium quod nesciunt tractare. Sicut quidam volunt esse sacerdotes, archidiaconi, episcopi, et tunc sunt Asini ad liram, Asini ad officium, quia nesciunt cantare, legere, prædicare; immo Dominum, quantum in ipsis est, in facie perversis operibus percutiunt. Sed Dominus iratus faciet tales Asinos fustigare, in carcere[m] gehennæ perpetuo detrudi.

LXXXII (LXX). — [DE CASEO ET CORVO] (1).

[**Contra vanam gloriam.**]

Sicut narrat Ysopus (*sic*),

Caseus in rostro Corvi pendebat ab alto,

et Vulpes, cupiens caseum comedere, dixit Corvo : Quoniam bene cantabat pater tuus, vellem audire vocem tuam. Corvus aperuit os suum, et cantavit; et caseus cecidit, et Vulpes eum comedit.

Sic plerique portant caseum, hoc est nutrimentum, unde anima debet vivere, scilicet patientiam, gratiam, caritatem. Sed venit Diabolus et excitat illos ad opus vanæ gloriæ, ut cante[n]t, se ipsos commendent, fimbrias suas magnificent, et sic, quia gloriam mundi, non gloriam quæ Dei est, quærunt, patientiam et omnis (*sic*) virtutes amittunt. (Pag. 518) Sic David, quia populum suum ad vanam gloriam muneravit, in magna parte amisit.

(1) MA. 44, MB. 82, MD. 83, AB. 56, CA. 82.

LXXXII *a* (LXX *a*). — [DE QUODAM ATHENIENSI] (1).

Mos erat apud Atehnas (*sic*), quod qui voluit haberi [pro] philosopho, bene verberaretur, et, si patienter se haberet, pro philosopho habe[ba]tur. Quidam autem bene verberabatur, et antequam judicatum esset quod philosophus haberetur, statim post verbera exclamavit, dicens : Bene sum dignus vocari philosophus ; et respondit ei quidam : Si tacuisses, esses.

LXXXIII (LXXI). — [DE CICONIA ET CATTO] (2).

[**Quod per quod vocatur, nec laudibus, nec vituperiis movetur aliquis.**]

Melius est assimilari Ciconiæ, quæ anguillam sibi et pullis suis ad vescendum portavit. Quod videns Catus, qui libenter comedit pisces, sed non velit humectare pedes, ait : O avis pulcherrima, [quæ] rostrum habes rubeum et plumas albissimas, nunquid rostrum tuum ita rubeum est, interius ut exterius ? Ciconia noluit aliquid respondere nec rostrum aperire, quia noluit anguillam dimittere. Iratus Murilegus vituperabat Ciconiam : Vel es surda vel muta. Non poteris respondere mise[r]rima ? Nonne quandoque comedis serpente(i)s quæ sunt animalia venenosa et inmundissima? Quodlibet animal mundum munda diligit, et tu, turpia et inmunda. Igitur es inter ceteras aves inmundissima. Ciconia, nichil respondens, cum anguilla(m) tenuit viam suam.

Sic vir justus nec in laudibus extollitur nec in vituperiis de[j]icitur. Dicant homines quod voluerint ; anguillam non dimittas, caritatem, patientiam teneas. Cum silentio procedas, et salvus eris.

LXXXIV (LXXII). — [DE CLAUSTRALI AD IDEM] (3).

Quidam voluit claustralem vitam ducere. Dixit Abbas : Laudes hæc ossa et benedicas, demonstrato acervo ossium

(1) MB. 82 *a*, MD. 83 *a*, AB. 57, CA. 82 *a*.
(2) MB. 83, MD. 84, CA. 83.
(3) G. 33, MB. 84, MD. 85, CA. 84.

mortuorum. Laudavit igitur et benedixit. Quo facto, quæsivit Abbas : Benedixisti ossibus? Respondit: Benedixi. Quærebat Abbas : Quid responderunt? Dixit Juvenis : Nichil. Iterum Abbas : Maledicas et vituperes. Qui sic fecit quantum potuit. Et ait Abbas : Maledixisti? Et ait Juvenis : Maledixi. Et quæsivit Abbas : Quid responderunt? Et ait Juvenis : Nichil. Ait Abbas : Frater, talem te oportet esse ut, si verus monachus vis fieri, ita (quod) benedictionibus et maledictionibus nichil respondeas, quoniam, ut dicitur Isa., [c.] XXX, [v. 15] : In silentio et spe erit fortitudo vestra.

Amos, [c.] V, [v. 13] : Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. Unde quidam :

Væ mihi nascenti, væ nato, væ morienti!
Væ mihi, quod sum! væ, non vivit filius, eue!

Boëtius (Lib. II Prosa 4) : Quis ita est [enim tam] compositæ felicitatis, ut non ex aliqua parte cum status sui qualitate rixetur? Quantum est in me, singulis diebus video, audio quæ mihi displicent.

LXXXV (LXXIII). — [DE HIRCO EQUITANTE] (1).

[**Contra irreverentes dominos suos.**]

Hircus semel factus est servus Asini, et vidit eum simplicem et humilem. Ascendit Asinum et voluit equitare. Asinus iratus erexit pedes (pag. 519) anteriores et cecidit retro super dorsum suum, et Hircum oppressit et interfecit, dicens : Si Asinus est dominus tuus, ne equites ipsum.

Sic plerique vident dominos suos simplices, vel senes, vel cæcos, vel inhabile[s]; contempnunt eos et derident.

LXXXV *a* (LXXIII *a*). — [DE PATRE SENE ET FILIO] (2).

Sic quidam, habens Patrem senem, fecit illum custodem ovium, cum miles esset. Audiens rex quod ita male tractaverat Patrem suum, misit Filium in carcerem.

(1) G. 34, MB. 85, MD. 86, AB. 58, CA. 85.
(2) MB. 85 *a*, MD. 86 *a*, CA. 85 *a*.

LXXXV *b* (LXXIII *b*). — [DE PATRE SENE ET FILIO SUO] (1).

[Contra non reverentes patres suos.]

Alius, habens Patrem senem et tussientem, ait : **Rusticus** iste cum tussi et excreationibus suis tædium **nobis infert.** Pro[j]iciatis eum longius et veterem pellem ovium **ipsum** induatis. Et Pater, quia nichil aliud habuit ad induendum, **frigore** mortuus est. Filius parvulus illius Filii accepit pellem **vete**rem et suspendit in parieti. Quæsivit Pater ejus quid **vellet** facere de pelle. Respondit : Ad opus tui cum senueris **reservo**, quia ita facis Patri tuo et a te addisco qualiter debeam **me** habere erga senectutem tuam.

Ecclesiastico [c.] VIII, [v. 7] : Ne spernas **hominem in** senectute sua; etenim ex nobis senescunt.

LXXXVI (LXXIV). — [DE LUPO ET VULPE] (2).

[Et applicatur avaris quos [quisque] decipit et eis qui nimis [se] tradunt deliciis].

Lupus obvians Vulpi ait: Compater, unde venis? **Et ait** Vulpes : De quodam vivario, ubi pisces optimos cepi, **et suffi**cienter comedi. Quæsivit Lupus : Quomodo cepisti ? Ait **Vulpes** Caudam in aquam posui et diu tenui, et pisces credentes quod esset aliquid comestibile vel quod essem mortua, caudæ adhæserunt, et traxi eos ad terram et comedi. Et ait Lupus : Numquid sic ego pisces capere possem? Ait Vulpes : Optime poteris, cum sis fortior quam ego. Perrexit ergo Lupus festinanter ad vivarium et caudam in aquam posuit et diu tenuit, donec esset congelata. Gelu enim faciebat. Post longam moram voluit caudam extrahere, credens quod multitudo piscium ei adhæreret ; sed non potuit propter gelicidium quod caudam tenuit. Detentus est ibi usque mane, et venerunt homines et Lupum fere usque ad mortem fustigaverunt. Et cum vix evasisset [et caudam amisisset], maledixit compatri suo, qui pisces sibi promisit et verbera et vulnera et fere mortem persolvit.

(1) G. 35, MB. 86, MD. 87, CA. 85 *b*.

(2) G. 36, MA. 46, MB. 87, MD. 88, AB. 59, CA. 86.

Sic plerique promittunt amicis et filiis divitias, et faciunt eos usurarios, simoniacos, latrones, et persolvunt [eis] supplicia æterna. De talibus dicitur [Lib. Psalm. c. CV, v. 37] : Immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis. Item adaptatur illis, qui ponunt se in aquis deliciarum et tam diu in deliciis morantur, quod in eis gelantur, detinentur [et] quod exire nequeunt; quoniam infixæ sunt gentes interitu, quem fecerunt. In laqueo isto, quem absconderunt, [comprehensus] est pes eorum (1). Augustinus : Delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem et ad utilia vertere non audeant. Si enim conentur, dolor est deserere quæ delectant, et ille do-(pag. 520)lor non sinit abscedere.

LXXXVII (LXXV). — [DE MUSCA ET FORMICA.] (2)

[Contra eos qui postquam sumpserunt corpus dominicum, dant et exponunt se peccatis.]

Musca semel contendebat cum Formica, dicens se esse nobiliorem et mundiorem : Quia vescor frequenter de scutellis episcoporum et regum et aliorum divitum, bibo de ciphis illorum, immo in faciem regis quandoque insilio. Tu autem habitas in terra et grana recondis, donec sint putrida. Respondit Formica : Nobilior et mundior sum quam tu, quoniam pro tua immunditia omnes habent te odio, infestant et fugant. Quoniam licet quandoque de scutellis divitum comedas, quandoque tamen de vilissimo sputo, diversis putrefactionibus, de stercoribus boum et aliorum animalium te [satias]. Ego autem tantum vescor de grano purissimo. Igitur manifestum est te esse sordidiorem, immo inter omnia volatilia sordidissima. Data est sententia pro Formica.

Per Muscam, quandoque quæ mundis quandoque sordidis utitur, intelliguntur quidam sacerdotes, qui ad [exemplum] apostolorum, qui dicuntur reges terræ, et aliorum sanctorum, pretiosa cibaria, scilicet Euc[h]aristiam et sanguinem Christi se collocant, et postea vilissimis stercoribus luxuriæ et gulæ et

(1) Vide Lib. Psalm., c. IX, v. 16.

(2) MA. 47, MB. 88, MD. 89, AB. 60, CA. 87.

aliorum vitiorum se mortifere reficiunt. Ascendunt in cœlum, descendunt usque ad abissum. Ezechiel, [c. XXII, v. 26] : Polluerunt sanctuaria mea ; inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam; inter pollutum et mundum non intellexerunt; et coinquinabar in medio illorum. Ecce quod ipse Deus qui inquinari non potest, dicit se coinquinari ab illis, quia, quantum in ipsis est, ipsum coinquinant. Similiter layci in Pasc[h]a et Pentecoste Eucharistiam sumunt frequenter, divina audiunt, postea ad luxuriam, ad gulam, ad alias delicias sordidas se transferunt ; de ecclesia ad prostibulum, de mundissimo ad inmundissimum, de Deo ad Diabolum transeunt. Istæ sunt Muscæ Diaboli, quas araneæ infernales devorabunt. Assimilare igitur Formicæ, purissima grana collige, in armario cœli reconde, ut possis vivere in hyeme de quibus collegisti in æstate. [Lib. Proverbiorum, seu Parabol. c. VI, v. 6] : Vade ad Formicam, o piger, considera vias ejus et disce sapientiam; quæ, cum non habeat ducem ac præceptorem et principem, parat æstate cibum sibi et congregat in messe quod comedat. Colligamus igitur grana, id est bona opera, mundata a sordibus luxuriæ et gulæ, a vermibus sollicitudinis et avaritiæ, a pa(l)lea superbiæ et vanæ gloriæ. Hæc grana cœlis reponuntur, quando bona opera desiderio summi boni adimplentur. Dominus concedit quod talia grana ad cœlestem patriam mittamus, ut ibidem veram, dulcem et indeficientem refectionem inveniamus, præstante domino nostro Jhesu C[h]risto.

VIII.

FABULA

EX VRATISLAVIENSIS UNIVERSITATIS BIBLIOTHECÆ CODICE MS. LAT. IV. Q. 126 EXCERPTA.

(F. 312 *a*, c. 2.) — V (LXXVI). — [DE AQUILA ET CUCULA.]

Volucres quondam invenerunt nidum ex rosis contextum floribus aromatum. Et dixit Aqui(l)la quod nidus ille dare-

tur albi (*sic pro* avi) nobilissimæ. Et facit convocare volucres cœli. Et quærebat ab eis omnibus audientibus quæ esset avis nobilissima. Et respondit Cuculus : Kuk, kuk. Item quærebat Aquila quæ esset avis velocissima. Et respondit Cuculus : Kuk, kuk. Item quærebat quæ avis esset formosissima. Respondit Cuculus : Kuk, kuk. Et quærebat quæ esset avis melius cantans. Et respondit Cuculus : Kuk, kuk. Cui Aquila indignata ait : Cucula infelix, te ipsam semper laudas, et ideo summam condempnationis contra te promitto. Quod nec istum nec alium nidum unquam habebis. Unde Cucula semper ponit ova sua in nido alterius avis.

Sic plerique semper se ipsos commendant, et opus suum exaltant. Nam [si] quæras a religiosis quis ordo sit melior, dicunt fratres minores Cistercienses monachi : Noster melior; Prædicatores etiam ; et sic de aliis qui omnes dicunt : Kuk, kuk, se ipsos laudantes. Sic etiam plures magistri dicunt suas sententias et suos tractatus esse meliores. Et sic milites et aliud quodcunque genus hominum semper cantant : Kuk, kuk. Sed justi et humiles semper se ipsos vilipendunt. Unde Gregorius [edicit] : Opera nostra per meritum crescunt, cum aput nosmet ipsos per humilitatem decrescunt. Ita, dum nostram gloriam quærimus, (fol. 312 *b*, c. 1) placere ei, qui nos de cœlo conspicit, non curamus. Job, c. XXXI, [v. 27] : Osculatus sum manum meam in ore meo, quæ est iniquitas maxima. Manum suam osculatur qui laudat quod operatur. Et hæc est iniquitas maxima. Unde Augustinus : Qui laudari ab hominibus vult, is vituperante te non deffendetur, ab hominibus judicante te non eripietur, dampnante te non liberabitur. Item Augustinus : Quisquis enumerat merita sua. Gregorius : Isti merita sua non vident quæ aliis videnda præbent. Idem : Inde mens dignior efficitur, unde sibi indigna videtur. Unde etiam Veritas nos instruit dicens, [c.] XVII Lucæ, [v. 10] : Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, (e)dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, (non) fecimus.

IX.

FABULA

EX BIBLIOTHECÆ REGIÆ MONACENSIS CODICE MS. LAT. 16195 EXCERPTA.

(Fol. 240 *a*, col. 1.) — XIV (LXXVIII). — [DE MURE ET FILIIS SUIS.]

Quidam Mus domesticus habuit filios protervos. Cum exiebat ad pascua, exterius cucurrerunt, alter lædens alterum. Cum vero Mus erat reversus, omnes fugam inierunt. Uno vero tempore, Mure exeunte ad pascua, venit Murilegus quærens exitum filiorum a fovea, et unum cepit, post alium, et omnes devoravit.

Sic plerique homines sunt, nolentes obedi(e)re matri Ecclesiæ, sive parentibus, sive magistris; sed proterve insultant. Contra eos venit ergo Murilegus, id est Dyabolus, temptans eos, et omnes devoret (*sic*) et in jehennam pro[j]ici(e)t.

ODONIS DE CERITONA FABULIS

PRIOR ADDITIO,

EX MUSEI BRITANNICI BIBLIOTHECÆ CODICE MS. LAT. HARL. 219 NUNC PRIMUM EDITA (1).

(Fol. 9.) — I (XXXV). — QUALITER REX ANIMALIUM CONGREGAVIT OMNIA ANIMALIA CORAM EO, ET PRÆCEPIT EIS UT OMNIA OSCULARENTUR AD INVICEM.

Rex animalium convocavit omnia animalia bruta, et constituit ut oscularentur ad invicem, ubicunque obviarent, in signum fœderis, pacis et amoris. Postea quidam Lupus obviavit cuidam Ovi, quæ se longo retraxit ab illo, malitiam suam per[h]orrescens. Cui Lupus : Accede, carissima, ut edicto regis nuper edito pareamus, multis affatibus blandis interpositis. Respondens (*sic pro* Respondet) Ovis, in promissis suis non confidens, eo quod tot mala in animalia sui generis sæpius molestus est. Unde Lupus convenit cum ea, quod resupinus clausis oculis jaceret et sic oscularetur eam, ne incideret in edictum. Cui Ovis inprovida adquievit, et subito accessit ad eum, et osculans vix evasit a faucibus ejus iniquis, dicens : Quamvis dulciter loquaris coloratum amorem prætendendo, malitiam tamen tuam consuetam in opere non poteris simulare.

Mistice. Sic est de falsis amatoribus et nocere assuetis.

I (XXXVI). — DE DUOBUS VICINIS TERRAS CONFINES HABENTIBUS.

Duo erant Vicini terras confines habentes et sibi invicem invidentes, ut de talibus sæpe contingit. Postea contigit quod ambo in infirmitate detenebantur; quorum alter moriebatur

(1) Priore numero in hac editione et altero in manuscripto codice ordo cujusque fabulæ indicatur.

Quod audiens alius præ lætitia prosiluit a cubiculo, et sanum se esse dicens, præcepit cibum sibi dari; qui vescendo statim suffocatus est. Et cum alter eorum quemdam Religiosum habuit sibi multo amore obligatum propter beneficia quæ sibi veniens conferebat, contigit quod Religiosus ille, timens pro pœna et dampnatione amici sui, eo quod invidia tentus decessit, sæpius Deum deprecatus est, ut sciret statum ejus, si quidem oratio vel quid aliud sibi posset subvenire. Tandem quasi dormiens ductus est a quodam angelo ad quemdam locum fumosum et valde fœtentem, ubi in quodam igne fœtorem intolerabilem emittente vidit duos homines se securibus percutientes, usque in pecias minutas se lanientes, quas decidentes flamma consummabat; et didicit ab angelo, duce suo, quod illi erant Vicini, de quorum statu petiit certificari, et audivit ab angelo quod oratio quorumcumque illis numquam esset valitura, nec ulla opera caritatis qua viventes penitus caruere.

Conclusio. Discamus ergo Deum diligere, quoniam prior dilexit nos, deinde proximum sicut nosmetipsos, etc.

III (XXXVII). — DE DUOBUS SOLUTIS MILITIBUS IN EADEM VILLA HABITANTIBUS.

Duo erant Milites soluti in eadem villa habitantes, quorum alter uxorem traduxit formosam in nuptiis discumbentem. Alter Miles pro sua pulc[h]ritudine concupivit, et captata op[p]ortunitate, multis blanditiis et variis promissis interpositis, de amore interpellavit eandem. Ipsa tamen nec prece nec pretio potuit emolliri. Quod cum vidisset, Miles precatus, non paucis minis intersertis, dicebat quod partes transmarinas adiret et nigromantiam addisceret, ut voti compos fieret inchoati. Ipsa autem, crucis signaculo insignita et in Christi virtute confisa, dixit quod nec ipsum nec artem suam præsentem vel futuram expavit. Itinere autem ar[r]epto, in secunda dieta ad missam audivit pulsare, et ab equo descendens capellam intravit. Missa vero celebrata, Sacerdoti confessus est, et causa sui itineris expressa, videlicet pulc[h]ritudinem prædictæ matronæ, Sacerdos

quæsivit ab illo si ab incepto vellet desistere pro amore cujusdam dominæ multo pulc[h]rioris, quæ illi nuberet, si placeret. Milite quidem annuente, Sacerdos injunxit ei ut singulis diebus illius anni psalterium Mariæ Virginis diceret gloriosæ, et in fine anni dominam sibi promisit centies pulc[h]riorem. Miles ipse, domum rediens, sibi injunctum fideliter adimplevit, et, in ultimo die anni illius promissionem Sacerdotis expectans, quamdam capellam intravit, et, coram (fol. 10) ymagine beatæ Virginis psalterio perorato, vidit quamdam dominam incomparabilem ad se venientem quæ dicebat : Quia sacerdos meus tibi me promisit fore copulandam, veni ut tibi nuberem. Et in signum amoris et memoriæ an[n]ulum aureum digito Militis apponebat : et dixit, quandocumque an[n]ulus ille evanesceret, statim ad sponsam suam esset pacifice migraturus. Per processum autem temporis Miles ille, dives mirum in modum factus, magnum convivium faciebat. Finito autem prandio, in tempore loturæ Miles inter convivantes pro nimia cogitatione immobiliter, quasi extra se positus, erectus astabat. Omnibus autem admirantibus et pro stupore silentibus, voce clarissima loquebatur, petens a Domino ut quilibet quod magis diligeret possideret, et, respiciens ad digitum, an[n]ulum non videbat ; unde decessum suum i[m]minere cognoscens, coram conviventibus rei gestæ seriem revelavit, et ipsis præsentibus ab hac luce migravit.

IV (XXXVIII). — DE QUODAM PATREFAMILIAS QUEMDAM (*sic*) ASPIDEM HABENTE DOMESTICUM.

Quidam Paterfamilias quemdam Aspidem adeo domesticam fecerat, ut singulis diebus, a camera prodiens, ad mensam ejus, quasi victum petiturus, mansuetus accessit, nemini inferens læsionem. Deinde per processum temporis duos catulos quos pepererat secum adduxit, quorum alter nondum domesticus filium Patrisfamilias toxico infecit. Quem quidem catulum ob tantam ingratitudinem in præsentia circumsedentium mater crudeliter interfecit, et, quasi rubore et pudore confusa, in cameram rediit nec ultro comparuit.

Conclusio. Ex quo in tali bestia tanta (*sic*) pudor extitit, quod ingratitudine confusa nunquam comparuit, multo magis nobis rationabilibus, tam versus Deum, a quo omnia habemus quam bersus nobis benefacientes, ingratitudo imponenda est, et eruvescere tenemur, quando debitum nostrum benefaciendo non persolvimus.

V (XXXIX). — DE BEATO GREGORIO SOLITARIAM VITAM PERAGENTE, HABENTE URSUM MANSUETUM.

Beatus Gregorius, solitariam vitam peragens velut heremita, fudit preces ad Dominum ut sibi daretur quicquam in solatium, et, egrediens oraculum, Ursum reperit mansuetum, cui curam ovium suarum paucarum licet commisit, sibi injungens ut singulis diebus, hora prandii domum rediens, secum vesceretur; quod factum est. Et cum sanctus memorans super hoc casu non modicum jocundabatur, vicini quidem languore et livore marcescentes, occiderunt Ursum. Ceterum, cum hora consueta Ursus non rediret, sanctus stupefactus tetendit ad pascua; et Ursum interfectum advertens condolebat non solum super interfectione bestiæ, verum etiam super peccatis interficientium, et cuma quodam hil(l)araretur et consolaretur, respondit se pro casu interficientium proximo futuro ultra modum perter[r]eri. Quo finito, lepra percussi sunt ignominiosa.

VI (XL). — EXEMPLUM ANSELMI SUPER EODEM.

Anselmus cor humanum molendino semper molire constituto comparat signanter, quod Dominus servo suo commisit, ut suam annonam tantum molat; quod, cum vacuum fuerit, adversarius Domini superveniens nititur occupare, arenas et calculos in[j]iciens ut elidet, sordes et palias ut occupando suffocet, cœnum et picem ut conglutinet, quæcumque noverit nociva.

Constructio. Sic cor nostrum, Christi conclave(m) et molendinum, ut quæ Dei sunt solum contempletur et molat imper-

petuum consecratum, si noster adversarius, ut leo rugiens et quærens quem devoret, vacuum inveniat, annonam suam in[j]icere conatur. Et scitote quod humani generis seductor morem castrum obsidientium imitatur, qui debiliorem partem murorum diligenter explorant, ad quam jacula sui bellica, et maxime per quæ sæpius solent expedire, projectant; sic in proposito; cor enim hominis castrum est, cum quinque sensibus et septem donis Spiritus sancti circumvallatum; custodias ergo diligenter, etc.

(Fol. 11.) — VII (XLI). — DE ASINO NOLENTE VENIRE AD PARLIAMENTUM LEONIS.

Leo edixit ut omnia animalia coram eo comparerent, et, illis congregatis, petiit si quod animal abesset. Cui responsum erat quod quidam Asinus aberat, in quodam prato viridi et delectabili se depascens delicate. Pro quo producendo, Lupum tanquam fortem et Vulpem tamquam prudentem, suorum poscente consilio, transmittebat. Qui, accedentes ad Asinum memoratum, sibi nuntiarunt ut more aliorum coram domino suo compareret, illius edictum humiliter auditurus. Qui respondens dixit se tali previlegio tutum, quod ab omnibus bannis et edictis qualitercumque emergentibus fuerat exemptus. Nuntii jam dicti, ut ejus privilegium legerent, petierunt; quod Asinus concedebat. Altercatione quidem exorta inter Lupum et Vulpem quis eorum legeret, sors cecidit super Vulpem, quæ petiit previlegium (*sic*) sibi demonstrari. Cui Asinus dixit : Sub pede dextro levato lege confidenter. Et Vulpis accedentis oculos percutiendo avulsit. Unde Lupus præcavens dixit : Qui clerici probantur periliores, non sunt in opere cautiores.

Mistice. Per Leonem moraliter intelligo rationem, quæ de omnibus quæ fecerat homo disponit, per Lupum fortitudinem, per Vulpem prudentiam, per Asinum carnem pondorosum (*sic*) et deliciis appetentem, quæ rationi contempnit obedire et prudentiam nimis appropinquantem excæcat et confundit etc.

VIII (XLII). — DE QUODAM REGE INFIRMO, CUPIENTE SCIRE SI SUPER HOC MORERETUR.

In libro Regum [IV, c. I, v. 2-16] scribitur : Quidam Rex ægrotavit, et jussit cuidam clientulo suo ut, pergens ad quemdam deum suum, quæreret ab eo si in illa infirmitate esset moriturus necne. Cui nuntio obiter a Domino missus, Elias propheta dixit : Dominus tuus morietur, quia falsum deum consulere volebat. Nuntius reversus domino suo retulit quæ viderat. Cui Rex : Quæ statura, quæ indumenta talia tibi nuntiantis? Quæ cum a nuntio audierat, dixit : Elias propheta est et jussit cuidam militi suorum, qui sub se L homines habebat, ut Eliam quæreret et inventum adduceret. Qui pergens invenit eum in monte orantem, et dixit : Homo Dei, descende, ut cum domino meo loquaris. Qui dixit : Si homo Dei sum, deprecor ut ignis, de cœlo descendens, te et tuos consumat. Et ita factum est. Consequenter Rex alium militem cum totidem misit ad eundem, et homo idem evenit quod de priore. Jam patet quod nullam molestiam intulerunt prophetæ, et tamen consumpti erant propter voluntatem, quam habuerunt, in ipsum delinquendi, si adduxisse potuissent etc.

Conclusio. Ergo ammoveamus et evitemus tam malas cogitationes quam opera iniqua, quia ex cogitatione sequitur opus etc.

IX (XLIII). — DE QUODAM SANCTO HEREMITA URENTE DIGITOS SUOS OB CAUSAM FORNICATIONIS EVITANDÆ.

Quidam erat Heremita, cujus habitatio a quadam civitate non multum distabat. Quam sæpe ingrediens, verbum Dei populo prædicabat præcipue contra vitium luxuriæ, a qua, mediante Dei gratia, multos revocavit. Cui quidam lenones invidebant et famæ suæ splendorem obfuscare proponebant, et consilium inierunt ut quamdam Juvenculam, quasi media hora noctis, ad portas ejus sedere facerent et clamare, ut in domum suam reci-

peretur. Quod ita factum est. Heremita, vocem Mulieris audiens et pietate commotus, ipsam ingredi jubebat et in domo sua recipiebat. Quæ cum ibi esset et vir sanctus in suo thalamo, exclamabat, dicens se timore perter[r]eri non modico. Quam vir misericors in cameram suam recepit, et statim incendio luxuriæ excitabatur, et sibi ipsi quod sequitur dixit : O miser et miserrime, contra spurcitiam luxuriæ semper prædicasti, dicens quod lenones igne gehennali essent imperpetuum comburendi ; videas primo si igne seculari, qui multo frigidior est, comburi pati poteris. Et ad candelam pollicem sinistræ manus cum digitis co[l]lateralibus porrigens, omnes fere flamma consumpsit præ libidinis fervore quasi non sentiens. (Fol. 12.) Quo facto, fabricatores sceleres (*sic*) [h]ostiis fractis introibant, virum diu acriter reprehendentes. Quibus manum combustum ostendebat, et hoc videntes, ad terram prostrati, veniam flagitabant, enarrantes rem et rei causam; et ad Juvenculam venientes eam exanimem invenerunt, et dolore percussi pro se et pro anima Puellæ, virum Dei lacrimabiliter flagitabant, ut illis remittens tantam iniquitatem pro Puellæ resuscitatione Christum deprecaretur. Et vir Dei, precibus eorum obtemperans, orabat ; et, resuscitatam Puellam videntes, resipiscebant et convertebantur ad Domimum etc.

X (XLIV). — DE CLERICO LUXURIOSO, DIMITTENTE FORNICARI IN QUADAM VIGILIA BEATÆ MARIÆ PROPTER AMOREM EJUSDEM.

Quidam Clericus dives multarum et variarum mulierum potiebatur amplexibus, et habebat quemdam famulum, qui ex officio suo singulis noctibus puellas sibi adduceret polluendas ; et quadam vigilia beatæ Virginis mulierculam quam providerat optulit domino suo, qui, comperiens vigiliam beatæ Virginis esse, dixit se ad honorem Mariæ, matris et virginis, nocte illa a peccato suo velle abstinere. Consequenter eadem nocte Virgo dulcissima sibi apparuit sompnienti, propter vitæ immunditiam vehementer ipsum reprehendens. Verumtamen dixit se a Filio

suo ad co[m]modum sui litteram impetrasse quam sibi tradidit, et evanuit. Qui expergefactus invenit litteram in pugillo suo, in quo versus iste scribebatur.

Cessa, condono; pugna, juvo; vince, corono.

Ideo, si quis velit abstinere ab illicitis, patebit et processus optimus.

XI (XLV). — DE DUOBUS SCOLARIBUS, SEPULCRUM OVIDII ADEUNTIBUS PROPTER ERUDITIONEM.

Duo erant Scolares, qui adierunt sepulchrum Ovidii, ut ab eo quicquam addiscerent, eo quod sapiens fuerat. Quo pervento, unus petiit ut sibi versus efficacior quem Ovideus (*sic*) composuerat, sibi ostenderetur. Cui vox intonuit dicens :

Virtus est licitis abstinuisse bonis.

Alius sociorum quæsivit pejorem versum quem Ovidius composuerat, et sibi dictum est :

Omne juvans statuit Jubiter esse bonum.

Hiis auditis, consilium inierunt ut pro anima Ovidii Christum exorarent per *Pater noster* et *Ave*, et, quia malum judicium sibi præelegerat et orationem sibi dampnato proficere non noverat, dixit :

Nolo *Pater noster;* carpe, viator, iter.

Augustinus : Si dives es, lauda fortunam ; si generosus, lauda parentes; si pulcher, expecta parumper, et non eris.

XII (XLVI). — DE QUODAM MILITE LATRONE, CONVERSO PER QUEMDAM SANCTUM EPISCOPUM.

Quidam erat Miles, qui dux et magister erat latronum multorum, multisque annis injurians transeuntibus, paucos reliquit inspoliatos. Qui quadam vice, in armilustrio, a manerio suo non multum distante, cum suis complicibus causa mali perpetrandi existens, jussit quemdam Episcopum cum suis trans-

euntem sibi adduci, adductumque spoliavit, spoliato injungens ut, ad manerium suum tendens, cum sua familia secum jantaretur. Qui quidem Episcopus, Militis habitaculum ingressus, quæsivit ab eo ut de solempnitate diei more consueto verbum Dei prædicare licentiaretur, optentaque licentia quæsivit si omnes de curia Militis essent præsentes, et circumspiciens Miles dixit Pincernam abesse, quem quæri præcepit et produci. Qui, quæsitus et latenter inter cistam et parietem horribiliter ingemescens inventus, productus est ita deformis apparens, quod omnibus videntibus incussit pavorem. Qui, cum ab Episcopo in virtute Jhesu Christi requisitus quis esset et quare se talem gessit, dixit se quemdam diabolum esse et illi Militi XIIII annis insidiatum fuisse, ut, inspecta o[p]portunitate, ipsum de medio causante sua nequitia eriperet; set se non valentem ostendebat, eo quod singulis diebus quinquies orationem dominicam cum salutatione beatæ Virginis totiens exorata dicebat; et ab Episcopo jussus est ut in propria figura revolaret; ad infernum recessit, timorem quasi into(l)lerabilem videntibus incutiens. (Fol. 13.) Et hiis visis et auditis, Miles cum suis complicibus, omissa pristina pravitate, pœnitentia ducti (*sic*), ab Episcopo absoluti sunt, et Episcopus cum suis recessit indempnis.

Augustinus : Quanto modpramine ab illicebris (*sic*) [et] aspectibus mortalibus est abstinendum, ex quo per visum in mortem corruit mater viventium, id est Eva. Sæpe regula increpat quod oculus commendat.

XIII (XLVII). — DE QUODAM, OPERE MANUALI VELUD ORTHALANUS (*sic*) VIVENTE.

Quidam erat opere manuali velut Orthalanus vivens; qui mediocriter cotidiano deducto residuum Christi pauperibus erogavit optimamque salutem corporalem possidebat. Cui adversarius generis humani invidens in forma hominis suggessit ut sibi ex labore suo pro ætate senili provideret; et Orthalanus, suæ suggestioni obtemperans, per processum temporis lagenam plenam denariorum in occulto deponebat, et statim

infirmitate incurabili pedem habuit detentum. Quem multis Medicis ostendebat, et ex prædictis denariis congregatis nichil proficiebat. Et ultimo quidam superveniens dixit se curari non posse, nisi pes amputaretur, et statuebant inter se ut in crastino absciderctur. Nocteque sequente reclinans in grabato dixit : Deus, pater misericordiarum, confiteor me in immensum deliquisse, nec imperpetuum rerum cumilationi (*sic*) insistam, ut me in præsenti adjuves. Cui Christus inmisit Angelum suum qui dixit : Miser, jam sensisti quid rerum prodest accumulatio elemosinæque retractio. Et pedem infirmum manu sua tangens, plene curavit. Et mane facto, more solito, in [h]orto suo valide fodiebat, et Medicus, veniens et per relatum operantis qualiter sanatus est cognoscens, Christum magnifice collaudabat.

XIV (XLVIII). — DE QUADAM MATRONA, QUÆ AB OMNIBUS SANCTA PRÆDICABATUR.

Quædam erat Matrona, quæ, limina basilicæ crebro ter(r)ens et orationibus ibidem insistens, ab omnibus sancta prædicabatur. Quæ graviter infirmata jussit Presbiterum sibi adduci, et, vitam suam sibi confitens, ab eo com[m]unicabatur. Et, cum Sacerdos ille domum venisset, requisitus est ut ad quemdam pauperem ægrotantem properanter veniret, et hac eadem hora, ut ad dictam Matronam rediret, rogatus est. Et cum Sacerdos ipsam omnino mundam speraret, ea relicta, ad pauperem tendebat. Qui interim mortuus est. Unde Presbiter ingemens deprecatus est Christum ut ad corpus anima rediret, ne periculum incurreret, et ita factum est; mortuusque resuscitatus, quasi fetorem sentiens innumerabilem, hinc inde expuebat; et, cum a Presbitero rogatus esset causam talis gestus exprimere, dixit quod angeli dæmonum animam dictæ matronæ cum tanto fetore ad infernum deportabant, quod totus mundus vix sustineret. Quod cum dicto Presbitero videretur incredibile, quæsivit causam talis dampnationis. Responditque resuscitatus ipsam bonam in omnibus extitisse, excepto quod in eam delinquentibus non novit remittere, hocque causam perditionis extitisse.

XV (XLIX). — DE QUODAM SACERDOTE, SOMPNIENTE QUOD PUTEUS PROFUNDISSIMUS ERAT AD PEDES EJUS CILICIO COOPERTUS.

Quidam erat Sacerdos, cui sompnienti in lecto suo apparuit quod ad pedes lecti erat puteus fœdus et profundissimus cilicio coopertus, et Angelus accedens optulit ei patenam calicis plenam oblatis, quas jussit ut com(m)ederet. Presbiter autem perter[r]itus misericordiam expostulavit, quid talia signarent diligenter inquirens. Cui Angelus, in misericordia Christi jurans, dixit quod, oblatis illis com(m)estis, per puteum ibi parentem in infernum statim esset descensurus, nisi obstaret et juvaret hesterna confessio quam Sacerdos emiserat (Confitemini ergo hujus relatus territi pavore), et ut cognosceret quales essent illæ oblatæ, jussit ei ut manum extenderet; et quamdam oblatam superposuit, quæ manum incontinenti penetravit. Hiis visis et auditis, Presbiter pœnituit.

Omnia igitur sanat vera confessio cum contritione et satisfactione condignis etc.

XVI (L). — DE MULIERE ADULTERINA MORTUA, FILIO SUO SA-(fol. 14)CERDOTI APPARENTI.

Mulier quædam conjugata Filium habuit legitimum ex viro suo; qui, ad sacerdotium promotus, religiose vivebat. Alios vero duos in adulterio concepit. Qua defuncta, legitimus ejus Filius sacerdos, so[l]licitus de salute animæ Matris suæ, multas pro ipsa missas celebravit, orans Deum instanter ut ejus statum scire mereretur. Quodam igitur die, oranti apparuit forma cujusdam Mulieris, de cujus capite flamma obscura exire videbatur ; labia quoque ejus et linguam bupho horribilis rodere non cessabat ; ab uberibus autem ejus duo serpentes dependebant sugentes eam, cutis vero corporis reversa et quasi ignita in terra dependebat. Ego, inquid, fui mater tua, et ecce quibus suppliciis pro peccatis meis æternaliter deputata sum. Et requisita de singulis, respondit : In capite

crucior, ut vides, pro ornatu meretricio capillorum ; in lingua et labiis, pro locutionibus malis et vanis et osculis adulterinis ; in mamillis, quia hiis lactavi filios spurios ; in cute, pro ornatu vestium, quas post me fluentes in terra[m] trahere consuevi. Et hiis dictis disparuit.

XVII (LI). — DE QUODAM DIVITE, PAUCA CUM PAUPERIBUS COMMUNICANTE ET OB HOC BONORUM SUORUM DETRIMENTUM PATIENTE.

Quidam Dives, cum pauperibus pauca communicans, bonorum suorum sentiebat detrimentum, et ad se conversus cotidie quinque denarios er(r)ogari pauperibus instituit, et instinctu Diaboli bonis invidentis ab illa elemosina manum retrahebat, et majorem rerum sentiens diminutionem, jussit suo Servienti ut singulis diebus, ipso nesciente, quinque denarios pauperibus erogaret, quia, tanta avaritia detentus, personaliter non potuit. Serviente enim jussum Domini sui perimplente largiusque mendicis erogante, mirum in modum adauctæ sunt Domini facultates. Quod Dominus comperiens Famulum advocatum rogabat si quod jussit perimplesset. Qui se in omnibus mandato suo affirmabat obtemperasse et ultra fines mandati egentibus erogasse, et cum Dominus ille virtutem elemosinæ tantam animadvertebat, largius pauperibus distribuebat, Christi per omnia obediens mandatis.

XVIII (LII). — DE QUODAM PATRE DUORUM FILIORUM, DIVITE ET VALDE CUPIDO.

Erat quidam Pater duorum Filiorum, dives et valde cupidus, multarumque rerum injustus congregator. Junior Filius monasterium ingressus est. Pater decessit, heresque Patris deterior de medio sublatus est. Religiosus ille superstes, de statu Patris et Fratris sui certificari desiderans, optinuit petitionem, ductusque est a quodam se deducente in infernum, et ibidem Patrem et Fratrem innumerabili pœna prospexit afflictos, audivitque Patrem Filio suo dicentem : Maledicaris imperpetuum,

quoniam amore tui, ut tibi providerem, talia patior. Cui filius et heres : Verum etiam tu maledicaris in ævum, quoniam pretextu tuæ falsæ accumulationis has pœnas intol(l)erabiles sustineo. Ecce quale solatium a falsa cumilatione (*sic*) procedit.

XIX (LIII). — DE QUODAM MILITE INFIRMITATE DETENTO, QUI SUUM ARMIGERUM EXECUTOREM SUUM CONSTITUIT, ETC.

Miles erat quidam, qui, cum Armigero suo et suo nepote sub rege Carolo expeditionem ingressus, infirmitate detinebatur, et Armigero suo, executori suo constituto, injunxit ut equ[u]m suum bellicosum venderet, et pretium ejus pro sua anima erogaret. Quo defuncto, Armiger ille equ[u]m sibi ipsi reservavit, Domini mandato omnino prætermisso. Cui Dominus apparens soli vaganti dixit : Ecce jam septennio pœnas passus sum in purgatorio, a quibus, si fideliter peregisses, me totaliter eripuisses. Unde tibi nuntio quod hac eadem die morieris, in infernum ob hanc causam deportandus, ibidem imperpetuum moraturus.

XX (LIV). — DE QUODAM CONTEMPLATIONI DEDITO, DESIDERANTE SUPER OMNIA SCIRE QUID ESSET DEO ACCEPTABILIUS, CUI SATHAN APPARET.

Vir quidam, contemplationi deditus, super omnia scire desiderabat quid esset Deo acceptabilius. Cui Sathan, in forma hominis apparens, dixit : (Fol. 15) Medietas lunæ, rotunditas solis et quarta pars rotæ. Cui talia ignoranti et vehementius studenti Angelus Christi apparuit, tantæ sol[l]icitudinis causam perquirens. Cumque vir ille causam revelasset, Angelus dixit : Talia tibi nuntians verum dixit, dolose tamen; sicque parabolam Angelus edisserebat : Medietas lunæ hanc literam C demonstrat, cujus figuram luna semiplena representat; solis autem rotunditas O figurat, et quarta pars rotæ R significat. Quibus tribus litteris copulatis, hæc dictio cor efficitur, volens denotare quod aliud quam cor hominis Deus non desiderat.

XXI (LV). — DE QUODAM CANONICO SECULARI ET FILIA CUJUSDAM JUDÆI LUXURIOSE ADAMANTIBUS.

Quidam Canonicus secularis et christianus Filiam cujusdam Judæi luxuriose adamavit; set per longa dierum spatia ad eam nullo modo attingere poterat, ut eam carnaliter cognosceret, licet illa sibi consensisset, quia circa eam custodiendam magnam diligentiam pater adhibebat. Unde accidit ut dicta mulier, quodam tempore Quadragesimali, Canonico sibi subito obvianti, talibus verbis alloquitur. Enim, inquid, scio quod per longum tempus me dilexisti, et te michi dilectissimum super omnes recognosco, et quia tempus o[p]portunum ad nostrum propositum perficiendum adhuc nequaquam acciderit, te ad præsens præmunio, ut, si propositum tuum complere desideres, in nocte Parasceves jam proxima instante, ad me secure venias, quia pater meus et plures alii de gente nostra diversis angustiis et infirmitatibus illo die sunt fatigati et multipliciter flagellati, ita quod illa nocte nullus de nobis aliquod malum suspicere præsumet. Suis dictis Canonicus adquiescens, licet hoc cuilibet christiano scire esset nephandissimum (*sic*), illa nocte sacra Parasceves cum illa concubuit. Unde contigit quod pater Puellæ summo mane ad lectum Filiæ veniens, ipsum Canonicum cum illa invenit, et cupiens illum interficere non audebat, quia dictus Canonicus nepos erat Episcopi illius civitatis, et sic illum abire permisit. Unde, cum ille Canonicus in illo sancto sabbato Paschæ episcopo missam celebranti ministrari oporteret, conscius sibi de peccato suo, vehementer ingemuit. Set confidens de Dei misericordia ad ministerium suum trepidus accessit, et circumspiciens vidit patrem Puellæ cum multis Judæis ecclesiam cum magno impetu intrantem, ut ipsum coram episcopo et omni populo publice detestaret[ur], et ut peccatum suum coram omnibus manifestaret et sic penitus eum confunderet. Set ille Canonicus, ut vidit, corde contritus, oculos ad cœlum erexit, et cum gemitu a Christo veniam postulavit, promittens se de cetero, dum in hoc seculo viveret,

mediante Dei gratia, soli ipsi esset serviturum. Mira res, omnes illi Judæi episcopo accurrunt, et quilibet eorum ore aperto coram episcopo inhiabat; set omnes quasi elingues in conspectu populi stabant. Unde episcopus, æstimans ipsos in opprobrium fidei christianæ advenisse, et ut divina obsequia impedirent, commonuit omnem populum christianum dictos temerarios Judæos extra ecclesiam effugare. Quod et factum est. Quod miraculum videns, Canonicus Deo gratias reddidit et omnia lacrimanti episcopo per ordinem narravit. Qui perfectam vitam duxit postea et honestam ac dictam Puellam ad fidem Christi convertit et baptizatam sanctimonialem fecit; cujus vita extitit laudabilis utrisque animis in fine Deo commendatis.

XXII (LVI). — DE QUODAM HEREMITA CONTRA DOMINUM MURMURANTE, QUIA VITAM INIQUORUM IN HOC SECULO ESSE PROSPERAM ET VITAM BONORUM ADVERSAM COMMUNITER ASPICIT.

Heremita quidam Deo devotus, videns quamplures homines flagitiosos et peccatores in omni mundana prosperitate gaudere, omnes vero juste et sancte viventes multas et varias tribulationes et infirmitates paupertatesque opprobria communiter sustinere, contra Dominum sæpius murmuravit. Volens vero (fol. 16) Deus causam tanti dubii eventus servo suo manifestare, misit sibi Angelum, qui, ad eum veniens, secum ire præcepit. Qui, simul proficiscentes, venerunt prima nocte ad hospitium cujusdam patrisfamilias, qui Deum multum diligebat, et devote ac recte vivebat; qui eos, hospitalitatis gratia, curiose suscepit et benigne cuncta quæ eis necessaria libenter ministrabat, et de quodam cipho sibi valde caro, quem super omnia mundana diligebat, potum eis ministrabat. Set Angelus et Heremita mane surgentes abinde recesserunt. Angelus vero ciphum prænotatum secum asportavit, Heremita solo vidente, omnibus aliis ignorantibus. Et sic recedentes ad hospitium cujusdam viri flagitiosi et pessimi nocte altera venerunt, apud

quem, licet corde malivolo recepti, hospitati sunt. Cui Angelus illum ciphum tribuit, et, sic ab illo mane discedentes, ad palatium cujusdam viri potentis tertia nocte sunt recepti. Erat autem ibi quidam Senescallus, ad cujus nutum omnia pendebant, quæ ad dominum dicti palatii quovismodo pertinebant. Mane autem facto, Angelus et Heremita exeuntes invenerunt dictum Senescallum stantem super pontem cujusdam magni fluminis, quem Angelus, in vertice capitis accipiens, in profundum projecit, ubi protinus expiravit. Proficiscentes autem venerunt quarta nocte ad domum cujusdam viri conjugati, qui de uxore sua tantum infantem noviter natum jam in cunabilis vagientem habebat; de quo multum gaudebat. Quos ille cum gaudio suscipiens omnia illis op[p]ortuna fecit benivole ministrari. Die autem lucente, Angelus infantem in cunis jacentem strangulavit et mortuum reliquid (*sic*). Et sic iter arripientes abierunt. Heremita vero, de ejus operibus timens et stupefactus, ita eum alloquitur: Certe, inquid, non bonum Angelum, sed dæmonem te reputo, quia sic aperte opera tua testantur. Cui Angelus : Frater, crede michi quod vere Dei Angelus sum ego, et ab ipso ad te missus, ut per opera, quæ jam te vidente peregi, intelligas et addiscas ut ulterius de operibus Dei judicare non præsumas, nec contra eum audeas murmurare, quia temerarium est et a Deo prohibitum. Unde propter hoc veni, ut tibi desiderium suum manifestarem. *Expositio.* Unde primo, ubi apud patremfamilias fuimus hospitati, ejus ciphum abstuli hac de causa, quia sanctus erat ille et Deo devotus ; set quia illum ciphum multum habuit cordi, ita per talem amorem ab amore Dei aliquantulum declinaret et sic decrescendo præmium amitteret; et illum ciphum pessimo homini nocte sequente tradidi, ut pro opere nobis per ipsum collato remuneraretur, quia bonis æternis est privatus. Senescallus autem, qui in flumine erat præcipitatus, iniqu[u]s et malitiosus erat, ac etiam, si vivere potuisset, nunquam se emendare curasset et quanto diutius in culpa permaneret, tanto acriori pœna in inferno torqueretur, et ideo extinctus est ut mors

vitiis finem imponat, et illi misero pœna levior inferatur. De puerǫ autem, quem in cunabilis strangulavi, sit tibi notum, quod pater et mater ejusdem ante ortum dicti pueri de bonis suis sibi a Deo collatis elemosinas et alia opera caritatis largiflue fecerunt; set, ex quo natus est puer, talibus non intenderunt, set avare ad hæredem noviter natum collegerunt, ut et ipse dives fieret tenaciter detenuerunt (*sic*), et idcirco, nisi puer suffocatus fuisset, præ amore illius et eorum avaritia dampnarentur. Et sic accidit de mirabilibus operibus Dei. Et hiis dictis evanuit, et Heremita, ex præmissis bene eruditus, ad propria remeavit, et motiones hujusmodi a mente sua penitus expellebat, Deo gratias in omnibus exhibendo.

XXIII (LVII). — DE QUADAM CONTENTIONE INTER AQUILAM ET RATUM.

Facta fuit contentio inter Aquilam et Ratum quis eorum clarius videre poterit. (Fol. 17) Dicente Rato quod citius prædam suam locis tenebrosis capere scivit et verius videre quam in luce, licet fuerit parva mica panis, et ab Aquila quærente si prædam suam in tenebrosis videre sic poterit: Non, inquid Aquila; hoc non habeo ex natura. Ergo, ait Ratus, clarius te video. Certo, inquid Aquila, videtur michi quod deformis est talis natura, qui tantum gaudet et operatur in tenebris, cum omnis naturalis bestia delectatur in luce, quia qui male agit odit lucem, sicut tu, bubones, buphones, nicticorates et cetera de spurco genere animalia progenita, quæ, velud latrones seu fures, vivunt de rapina; set potius probabo claritatem visionis meæ, ex hoc quod rex sum omnium valatilium (*sic*) et inter alias virtutes meas innumerabiles loca aeria alis penetrabo, altius omni volatili volando, et quantumque superius in aere elevatus fuero a terra, ex prælucida tantum et præclara visione oculorum meorum in profundis vallibus prædam meam quamcumque exiguam a longe prospicio, et aliquando video, tam vallibus, montibus, planis, quam sep[t]is, silvis, fossis pluribus et diversis vicibus, uno ictu oculi; ubique desidero, habere potero, eligendo et descendendo;

quod volo, pro libito capio. Hæc sunt verba, dixit Ratus; set probemus in facto quis nostrum clarius videre poterit. Et quomodo probare poterimus hujus rei veritatem, dixit Aquila, nisi mecum per aera volare poteris? Cui Rato : Si vis, ascendam humeros tuos, et me supportabis in altum, et sic apparebit quod verum est. Illis taliter concordatis, ascendente Rato super scapulas Aquilæ, supportavit eum in tantam altitudinem aeris, quod Ratus nichil videbat de terra. Tunc ait Aquila : Jam video terram, montes et valles, et in fossis, foveis, sep[t]is diversis, cadavera jacentia, ad prædam meam parat(ur)a. Et dixit Rato : Nonne ista vides? Qui respondit : Nichil terrenum video. Tunc ait Aquila : Ergo clarius te video. Tunc Ratus, perter[r]itus quia videre non poterat, ait : Descende ergo ut prædam accipias, ut appareat verum quod asseris. Descendente ergo Aquila, Rato in humeris suis tabescente cum nimio impetu, Ratus aperuit oculos propinquius terra(m), et vidit quemdam aucipem (*sic*), sub dumo latentem, qui super quoddam cadaver retia et laqueos (te)tendebat, protinusque ab humeris Aquilæ a longe saltavit et laqueos deceptorios prudenter evasit. Aquila vero, super cadaver de periculo inproviso descendens, incidit in laqueos, et ab aucupe captus est et sic miserabiliter captivatus. Cui Ratus, prope stans, exprobavit Aquila[m], dicens : Heu, pro(t)h pudor! ut qui tam a longe præ omnibus te clarius prospexisse jactasses, propinquos tibi laqueos non vidisti. Ego autem, videns periculum, evasi providus. Ex quo patet verior mea conclusio, quia jam tibi superest inevitabilis confusio propter tui visus defectum, evidenter ut apparet.

Expositio. Aquila ista est prælatus, vel doctor scientiæ temporalis vel spiritualis, qui, dignitate, potestate aut scientia præditi, super omn s sibi inferiores per aera volant, scrutantes et a longe videntes, id est intime studentes, id est cupientes bona temporalia, et ea extorquentes, pauperum possessiones sibi usurpantes; quia sunt quamplures, quamvis villas, castilla, reditus quasi infinitos habeant, nichilominus ad mesuagium vel placeam, licet parvam, proximi prope adjacentes vel

pauperis, oculos dirigunt, ut per vim sibi rapiant. Ut Regum tertio [libro] (1), qualiter rex Achab concupivit vineam Nabothi per consilium uxoris suæ Jesabellæ, et inique amovebat eam etc., sic cimulantes (*sic*) sibi thesauros, ut divitiis habundent ad superbiam et inanem gloriam, quibus loquitur Propheta : Væ qui prædaris, nonne [et ipse] prædaberis (2)! Dicunt enim tales, quod quamplures regiones peragrati sunt, debellantes, et multa mira se fecisse affirmantes, et de suis actibus, ad recitandum quasi nulla, pompose seipsos gloriantes, thesauros et patrimonia sua pro patriæ defensione se expendisse ficte protestantes, ut ex hujus colore de suis pauperibus tenentibus et aliis valeant aliqua extorquere. (Fol. 18) Similiter prælati in correctionibus suis a longe vident et subditos suos pro minimis culpis infestant et pecuniis ex[s]poliant non zelo justitiæ, immo amore Domini mone[n]te, se[d] vere propinquius se non vident, et faciunt ut metrice scribitur :

Prælati temere credunt sibi cuncta licere;
Credit enim Cayphas omne nephas (*sic*) sibi fas.

Seipsos male dispositos non vident nec com[m]ensales sibi propinquiores et caros, moribus omnibus inhonestos, superbos, luxuriosos, avaros, gulosos, detractores, accidiosos et in omni gestu spirituali indispositos, non corripientes, sed potius faventes et nutrientes, taliter bona ecclesiastica inique devorantes; sic supplicium æternum sibi adquirunt, quia non sapiunt quæ Dei sunt, set talia terrena, secundum apostolum Paulum, quasi canes avidi omnia devorantes. Tales vero tam domini spirituales quam temporales licet oculis corporeis per scientiam et potestatem clare dicuntur videre, nichilominus spiritualiter oculi eorum tenebrescunt, nec vident spiritualem inimicum Diabolum latentem et invisibilem, qui super talia transitoria mille laqueos ponit deceptorios, quibus involvit quamplures miseros et secum ducit ad inferos. Quæ quidem pericula Ratus

(1) Vide cap. XXI, v. 1 et s. — (2) Vide Prophetiam Isaiæ, cap. XXXIII, v. 1.

evasit, hoc est : homines simpliciter et recte viventes, Deum timentes, proximo non injuriantes, diem mortis semper præ oculis habentes, de minimis sibi a Deo datis ipsi intime gratias agentes, elemosinas et pœnitentiam agentes, bonis operibus semper insistentes, perfecta caritate Deo placentes, in eo firmiter credentes, bona vel mala, tribulationes aut infirmitates patienter sustinentes, misericordiam consequentes, omnia pericula bene evadent; sic laqueos Diaboli prævidentes et se prudenter ab eis custodientes, et salvi et liberi, ad vitam pervenient sempiternam, ad quam perducat Deus ipse. Amen.

XXIV (LVIII). — DE DUOBUS SERPENTIBUS DEBELLANTIBUS ET QUODAM MILITE UNI EORUM ADJUVANTE.

Accidit quod quidam Miles per silvam equitans vidit duos Serpentes ad invicem debellantes, quorum unus, ab altero fere superatus, clamavit dicens : O Miles in armis strenuus, qui me in bello isto vides in articulo mortis positum et me juvare non curas, descende ergo ut salves me, et tibi exinde reddam mercedem. Descendensque Miles lanceam suam infixit inter Serpentes, eos sic separando, potentiorem effugando et inpotentem def(f)endendo. Quo facto, Serpens ille, quem a periculo mortis liberaverat, per lanceam Militis scandens impetuose usque ad scapulos, Militis circa collum se circumvolvens, violenter infestare temptavit, firmiter astringendo. Cui Miles : O cruenta bestia, cur taliter pro meo beneficio me niteris strangulare? Et Serpens : Certe reddam tibi mercedem per me promissam. Tunc Miles : Perversa est hujusmodi merces : ego te a morte liberavi, et tu contra michi mortem intentas; set rogo te ut discedas a me, et aliud non quæro a te meritum. Non discedam a te, inquid Serpens; set, secundum naturam meam, reddam tibi pro bono malum, quia talis est jam cursus hujus mundi; super quibus habeamus judices, si velis, videlicet tres bestias, quibus primo obviabimus, singillatim causam istam inter nos judicaturas, et eorum judicio finali pareamus. Quo pacto inito, obviaverunt primo cuidam Equo, Staloni seni, cui Miles salutando

dixit : Rogo te, judica inter nos, narrans per ordinem qualiter factum fuerat. Et, auditis ex utraque parte propositis, dixit Stalonus : Vero experimento didici in hac causa judicium dare. Eram enim in curia regia a juventute nutritus, et præ pulc[h]ritudine, fortitudine, velocitate et ceteris virtutibus meis domino regi præcipuus fui, frenis, sellis aureis et vestibus nobilibus ornatus, optime pastus, lotus, comptus et stramentis omnibus omni die renovatus. Per me autem dominus meus multa bella peregit et plures honores adquisivit; set, quia jam senui et vires deficiunt, omnibus beneficiis oblitis, expulsus sum a curia, vagus et profugus, (fol. 19) debilis, fame, nuditate et frigore oppressus hic et prostratus. Ecce quale meritum cursus mundi reddit propter acceptum beneficium, et sic de vobis simile est judicium. Quo dicto, Miles dolens et ulterius proficiscens obviavit cuidam Bovi senio contracto; cui, causam prædictam seriatim exprimens, petit justum judicium inter ipsum et Serpentem discerni. Certe, inquit Bos, sicut ego pro beneficio meo judicatus sum, ita a simili vos judicabo. Per multos enim annos servivi domino meo, trahens in plaustro et caruca arans terras suas, omni tempore subdendo collum meum jugo suo, et semper paratus ad omnia pro com[m]odo et libitis suis michi imposita, et nunc, quia deficit virtus operandi, extractus sum, ut senex, a sociis meis in istam pasturam, non pro meo commodo, set ut, cum pinguis fuero, me occidant et com(m)edant. Ecce ego pro labore corporis mei omnibus diebus meis quale beneficium in fine habebo. Hic est cursus seculi, et aliter de vobis nescio judicare. Audisne, inquit Serpens, o Miles, judicium istorum sapientum. Quæramus ergo tertium, ut ex ore eorum trium scias te verum habere judicium. Procedentes vero viderunt Vulpem coram eis ambulantem, vocavitque eum Miles, dicens : Attende, prudentissima bestia, et judica æquitatem inter me et istum Serpentem. Quo attendente et querelas causæ ex utraque parte audiente, dixit Vulpes : Et si me judicem inter vos constituitis, oportet me sedendo judicare. Vidensque ibi tumulum terræ sedebat ut judex, ipsis Milite et Serpente in

Vulpem judicem consentientibus. Tunc ait Vulpes : Dic mihi, Serpens, ubi fuisti, quando, tu et Miles, primo ad invicem locuti fuistis. Certe, inquit Serpens, super terram. Et Vulpes ad eum : Descende ergo ad terram, quia omnino oportet vos separari, ut singillatim et separatim vestram causam potero examinare; aliter nequeo verum judicare. Serpens vero, ad præceptum judicis descendens per lanceam, pausavit super terram, sententiam auditurus. Tunc Vulpes ad Militem : Et tu, Miles, quomodo vidisti primo Serpentem. Miles inquit : Equitans super equum meum, et lanceam habui in manu erectam. Tunc Vulpes : Ascendas igitur palefridum tuum cum lancea modo quo prius. Quo ascenso, dixit Vulpes : Nunc estis ut primo fuistis; ideo nunc instat tempus judicandi. Et addidit : Vale, Miles, et vale liber, quocumque volueris, et amodo cum pravis non te inmisceas, quia nunquam nisi malum a talibus optinebis nec reportabis; ideo caveas de cetero. Et tu, Serpens, revertere ad naturam tuam; super pectus tuum gradieris, terram comedes inter vepres, tribulos, spinas et rampnos, habitabis etiam in cavernis terræ, et ibi miserabiliter peribis.

Expositio. Sic multotiens contigit, quod, licet boni christiani iniquos et perversos bonis suis sustentant et supportant et a morte liberant, nichilominus quasi serpentes illos, per detractiones et invidiam ex eorum malitia procedentes, in quantum possunt, gravant et mortificant; de quibus vulgariter dicitur : Erue furem a furcis et te non desinet abinde infestare; quod valde serpentinum et diabolicum est, malum pro bono reddere, set quid dicant Equ[u]s et Bos et pessimi homines dierum malorum inveterati, qui secundum cursum mundi judicant? Erit eis secundum quod dicitur per prophetam (1) : Væ, qui dicitis malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. E contrario quid dicit prudens Vulpes, id est Christus, per David? Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Iste Vulpes in rubea pelle, per stigmata passionis suæ, in die judicii separabit oves ab [h]ædis,

(1) Vide Prophetiam Isaiæ, c. V, v. 20.

serpentes a militibus, id est, tales filios Diaboli a suis fidelibus, facietque Militem ascendere super palefridum, hoc est, reintegrabit corpus cujusque fidelis cum anima supersedente, et ibunt liberi in vitam æternam. Serpentes vero, id est filii hujus lucis, inter vepres et rampnos, id est inter pœnas infernales, comedent terram, hoc est, ibi luent (fol. 20) delectationes terrena sillicitas æternaliter quas hic habent, et peribunt de terra viventium, quam Dominus promisit fidelibus suis et diligentibus se, cujus terræ participes atque nos Christus faciat coheredes. Amen.

XXV (LIX). — DE MURE VOLENTE FILIAM SUAM DESPONSARE.

Mus quædam habens filiam, tenens eam pulcher[r]imam omnium creaturarum, cogitavit in se cui eam poterat gradus et status pari debite desponsare, et videns Lunam noctanter claram et fulgidam, salutando eam, dixit : Salve, Luna. Cui Luna : Bene tibi sit, domina Mus. Ad quam Mus : Quia præpotens, pulcherrima, viribus et virtutibus es potentissima, volo quod habeas filiam meam in uxorem, quia alteri quam domino potentissimo, prout te reputo, eam nubere cum honore non potero, nec intendo. Certe, inquit Luna, non sum talis, nec tantæ potestatis quantæ me asseris, quia nichil proprium habeo splendoris, set solomodo (*sic*) a domino meo Sole, qui me suffraganeum suum in absentia sua ad ministrandam lucem constituit, dum ipse quiescit. Ideo, si [nulli] nisi domino summo filiam tuam in matrimonium dare intendis, dominum meum Solem inquiras, qui virtute et potestate dominata (*sic pro* dominatur) in toto mundo. Et ait Mus : Ubi est ille dominus tuus Sol? Certe, domina, inquit Luna, cras summo mane invenies eum in loco præsenti. Tunc Mus, valedicens Lunæ, cum filia sua recessit. Veniensque mane ad Solem, salutavit eum, dicens : Venio ad te, domine Sol, cum generosissima filia mea, ut eam habeas in uxorem, quia bene decet talem dominum præpotentissimum eam in conjugem suam optinere. Tu enim, domine, radiis splendoris mundum illuminans, expellis

tenebras, crescere facis et virescere omnes herbas et arbores, scilicet in mira pulc[h]ritudine excellis omnes creaturas. Ad hæc Sol : Si filiam tuam michi quasi potentissimo, ut dicis, velis maritare, scias pro certo potentiorem me esse, qui sæpius splendorem, calorem et ceteras vires meas impedit et perturbat. Et quis est ille, ait Mus, qui te superare poterit quovismodo? Certe, inquit Sol, dominus (*sic*) Nubes, qui quotiens voluerit, obumbrat splendorem lucis meæ, et quicquid per calorem aridum feci, ipse per ymbres et rores madificat. Quo audito, processit ad Nubem, dicens salutando : Validissime domine, ex quo præcellis omnes alios dominio et potestate, volo quod habeas filiam meam in uxorem. Cui ille : Vera domina Mus, non obstante aliqua potestate mea est quidam dominus præpotens et pomposus, qui me semper insequitur, et violenter percutit et dispergit, et me de loco ad locum agitare non cessat, præ cujus timore per omnia fugitivus incedo, et si me arripere poterit, ad terram et mare prosternit et demergit. Et quod est nomen ejus? inquit Mus. Qui respondit : Ventus, qui per quatuor partes mundi dominatur. Recedens Mus venit ad Ventum, et, facta salutatione, dixit Mus : Metuende domine præ omnibus domin(ar)is, quem omnia tremiscunt, ecce filiam meam adduco et tibi principi fortissimo eam matrimonio trado copulandam, ex quo potestati tuæ nichil potest resistere. Cui Ventus : Licet fortis viribus existam, quod domos, arbores et cetera magna prosternere pluraque mirabilia facere potero, nichilominus est hic in proximo quoddam Castellum super rupem petrinam firmissime fundatum, quod per CCC annos omnibus viribus meis subruere et præcipitare non potui; unde fateor illud fortius me. Quibus dictis, Mus cum filia Castellum adiit; cui et dixit : Invictissime domine, tibi quem nullus potest vincere, duco filiam meam, ut eam habeas in uxorem. Cui respondit Castellum : Licet forte sim, et quasi insuperabile, est tamen quædam parva bestia, quæ me multum infestat, murosque meos suffodit, et, me invito, per cavernas ingreditur et egreditur; cibaria mea comedit

et consumit, et, quod pessimum est, me sub pedibus suis conculcat et super capud meum stercora sua dimittit; cui nulla janua, (h)ostia, (fol. 21) fenestræ, seu aliqua firma clausura possunt resistere aut excludere, et sic supra me præsumit habere dominium inevitabile. Certe, dixit Mus, potentissimus est ille, et quod est nomen ejus? Respondit Castellum : Domina Mus vocatur. Eya ergo, dixit Mus ad filiam suam, ecce nunc expertum est quod non est æquivalens generi nostro; propter quod redeamus et celebremus nuptias tuas in genere proprio. Celebrantibus illis convivium nuptiarum cum omnibus de genere suo, subito de quodam angulo venit niger Catus saltans; sponsum et sponsam arripiens ungulis suis, devoravit, omnesque convivantes effugavit. Et sic nuptiæ conversæ sunt in luctum et lamentum.

Expositio. Ita sunt quamplures de seipsis temerarie præsumentes, omnem intentionem suam curis secularibus imponentes; de nullo gradu sunt contenti, set per terrenas dignitates de gradu in gradum in altum tendentes, cadunt ab alto; ut pote filius pauperis, cum sit aliqualiter literatus, contrahit cum Luna quæ interpretatur defectus, id est, in illo gradu habet defectum rerum temporalium. Deinde venit ad Solem, id est ad beneficium ecclesiasticum. Set quia beneficiati per extortiones dominorum temporalium sunt oppressi, ascendunt ad Nubem, id est ad dominos temporales, ut sint officiarii in tenebris obumbrantes Solem, id est justitiam, curam animarum perinpendentes. Deinde ad dignitatem vel temporale dominium, id est ad Ventum translati sunt; in quo statu Ventus dominatur, id est vana gloria et adulatio ribaldorum. Postea Castellum adeunt, id est, affectant episcopatus vel cardinalis aut papæ dignitatem, seu fastigium imperiale vel regale. Qui deberent esse muri et turres hujus Castelli, id est ecclesiæ, ad debellandos omnes tirannos et ecclesiæ sanctæ inimicos; set subintrant in hoc Castellum per cavernas et secreta foramina, Mures parvi, id est [h]ypocritæ, fingentes se simplices, id est sanctitate[m] simulantes per adulationes, per preces, cantantes : Si

dedero [Psalm. lib., c. CXXXI, v. 4], et in fine contrahunt matrimonium in sua natura, id est in carnalibus desideriis. Quos niger Catus, id est mors vel Diabolus, (qui) tales devorabit, et estrangulabit tam sponsum quam sponsam, id est tam corpus quam animam. Tunc fugient omnes amici convivantes parumper eo pauperibus er(r)ogantes, etc. (1).

(Fol. 29.) — XXVI (LXXXIX). — DE QUODAM FILIO DIVITIS CLAUSTRUM INTRANTE.

Quidam Filius divitis, considerans se in brevi moriturum, claustrum intravit. Pater ipsius claustrum destruere voluit. Set Filius ei obviam venit et ait : Domine, quare istud cœnobium destruere proponis? Qui respondens ait : Fili mi, totum destruam, nisi ad seculum mecum revertaris. Respondit Filius : Libenter ad seculum revertar, si quandam consuetudinem a terra tua amoveas. Respondit Pater quod libenter faceret, et dixit juvenis : In terra tua ita cito juvenes ut senes moriuntur. Hæc audiens, Pater ad verbum Filii sui mundum reliquid (*sic*) et claustrum intravit.

Attende igitur quod mors est clava imperatoris quæ nemini parcit, hic est mallius (*sic pro* malleus) ipsius qui cœlum et terram fabricavit, cui nemo resistere potest.

XXVII (XC). — DE QUODAM (*sic*) ARBORE IN PARTIBUS INDEÆ (*sic*), QUÆ GRÆCE DICITUR PEREDIXON (*sic*).

Arbor quædam est in partibus Indeæ, quæ græce dicitur Peredixon, latine vero Circa-dexteram, cujus fructus dulcis est nimis et valde suavis. Columbæ autem satis delectantur in istius arboris dulcedine, quoniam de fructu ejus reficiuntur et sub umbra ejus requiescunt et ramis ejus proteguntur. Est autem Draco crudelis inimicus Columbarum, et quantum Columbæ timent Draconem, fugiunt ab eo, tantum Draco evitat et pertimescit illam arborem, ita ut umbræ illius appropinquare non sit ausus. Set, dum ille Draco insidiatur Columbis,

(1) Fabula ista est prolixa paraphrasis Odonis fabulæ LXIII, quæ sic incipit : *Mus semel voluit matrimonium contrahere*, etc.

ut aliquem (*sic*) illarum rapiat, considerat illam arborem de longe, si umbra illius fuerit in dextera parte, et se facit ille in sinistra parte. Si autem fuerit umbra illius in parte sinistra, ille se fugit et se facit in dextera. Columbæ autem scientes inimicum suum Draconem timere illam arborem et umbram illius et non leviter eis posse appropinquare, ideo ad illam arborem confugiunt, et ibi se commendant, ut salvi (*sic*) esse possint ab insidiis Draconis. Dum ergo in illa arbore fuerint et in ipsa continuerint, nullo modo potest eas capere Draco. Si autem invenerit aliquam ex eis segregatam ab arbore vel extra umbram illius, statim eum (*sic*) rapit et devorat.

Mistice. Nos ergo, Christiani, scientes arborem quæ est Peredixon, circa quam omnia dextera sunt, nichilque in ea sinistrum. Dextera autem ejus est Unigenitus Dei, sicut ipse Dominus ait; de fructu enim arbor cognoscitur. Umbra vero arboris est Spiritus sanctus. Ut dicit Angelus beatæ Mariæ [in Luca, c. I, v. 35], Spiritus sanctus superveniet in te, etc. Columbæ sunt omnes fideles, sicut testatur in Evangelio [Matth., c. X, v. 16] : Estote ergo prudentes sicut Serpentes (fol. 30) et simplices sicut Columbæ. Astuti sicut Serpentes, ne alienis insisidiis supplantemini, et estote ut Columbæ simplices, ne cuiquam machinamini in dolos. Attende ergo semper tibi, homo Dei, et permane in fide apostolica, et ibi te contine, ibi commorare, ibi habita, ibi persevera in una fide Patris et Filii et Spiritus Sancti, et in ecclesia cat[h]olica, sicut dicit sacra Scriptura [in Psalm. lib., c. CXXXII, v. 1] : Ecce quam bonum et quam jocundum, etc. Et alibi dicitur [in eod. lib., c. CXII, v. 9] : Qui habitare facit unanimes in domo. Cave ergo quantum potes, ne extra hanc domum inveniaris et comprehendat te Draco, ille serpens antiqu[u]s, et devoret te, sicut Judam, qui, mox ut exivit a Domino et fratribus ejus apostolis, statim a Diabolo devoratus est et periit.

XXVIII (XCI). — QUALITER RUSTICUS INVITATUS FUIT A DOMINO SUO AD CONVIVIUM.

Quidam Rusticus invitatus fuit a Domino suo ad convivium

nobile, et quando venit ad portas domus Domini, vidit aquam putridam in fovea; et, quia aliquantulum sitit, de illa aqua putrida ventrum (*sic*) suum implevit unde, licet socius ejus diceret sibi : Frater, prandium et vinum optimum paravit tibi Dominus. Ideo ab ista putredine te abstineas. Set noluit dimittere. Cum perventum fuerit ad prandium, de optimis cibariis sumere non potuit, sed coram omnibus aquam putridam evomuit.

Mistice. Ita in præsenti quidam utuntur deliciis fetentibus, ut, cum perventum fueri(n)t ad cœnam Domini, miseri peccatores de illa gustare nequeunt, set potius turpitudinem quam turpiter biberunt, turpissime coram omnibus e[j]icient, nisi per medicinam pœnitentiæ in præsenti fuerint purgati. Unde Dominus per Jeremiam (1) : Quid tibi vis in via Ægipti, ut bibas aquam putridam, aut in via Assiriorum, ut bibas aquam fluminis, id est in via mundi et dæmonum aut in via vitiorum et voluptatum, quæ sunt aquæ putridæ delectariæ? Potius ab illicitis abstineamus, ut cibo Angelorum variis deliciis condito refici valeamus.

XXIX (XCII). — DE MULIERE NON CONTENTA PULC[H]RITUDINE SUA.

Quando Mulier delicata non est contenta pulc[h]ritudine quam sibi Deus contulit, plus vult facere quam Deus fecerit, quia pulc[h]rior esse desiderat quam Deus eam fecerit; quasi diceret : Domine, non bene me formasti, nec pellem meam in facie mea sufficienter decorasti. Unde Jeronimus : Mulier ad speculum depungitur (*sic pro* depingitur) et in contumeliam artificis conatur pulc[h]rior esse quam nata sit. Et inde infantes garriunt, familia perstrepit, computantur sumptus, stipendia præparantur. Hinc accincta manus cocorum carnes terit, hinc textricum turba commurmurat. Responde, quæso, inter ista ubi sit Dei cogitatio? Item dicit : Plus faciam quam

(1) Vide cap. II, v. 18.

tu. Et tunc permittis, et plicaturis vestem disting[u]it, unguento lucido faciem ungit, in speculo seipsam, utrum pulc[h]rior appareat ridendo vel aliter se habendo, diligenter (se) attendit. Contra tales dicit Dominus in Osea (1) : Aufer fornicationes tuas a facie tua. In facie enim ornata, mulier facit adulterium, quando plurimi per ejus co[r]rumpuntur aspectum. Unde Paulus ad Corinthios (2) : Mulier debet habere velamen super capud propter Angelos; quoniam Angelus deputatus ad custodiam animarum, cum videt animam quam debet custodire per ornatum mulieris corrumpi, conqueritur Domino de illa officium suum perturbante et quasi thesaurum suum auferente, et cum semper videt faciem Dei, quasi semper conqueritur. Unde Veritas de talibus dicit (3) : Væ illi, per quem scandalum venit! Mulieres vero, si essent male ornatæ, per plateas non incederent ut animas caperent (4).

XXIX *a* (XCII *a*). — [DE MURELEGO PULCHRO ET PINGUI.]

Exemplum.

Unde quidam habuit pulc[h]rum Murelegum et pinguem, et dixit ei vicinus : Murelegus tuus pro pulc[h]ritudine sua fugiet et ipsum amittes. Unde consilio ejus caudam abscidit et partem pellis combussit, et sic Murelegus domi remansit.

Similiter si caudæ mulierum essent abscissæ et capilli ablati vel combusti, certe domi remanerent. Unde Apostolus ad Corinthios (5) : Si turpe est mulieri tonderi, aut (fol. 31) decalvari, velet capud suum. Ornamentum autem permittitur uxoribus, ut tantum placeant viris suis (6).

XXIX *b* (XCII *b*). — [DE ABBATE ATHANASIO ET MULIERE.]

Exemplum.

Item abbas Athanasius vidit quadam die in Alexandria Mulierem textricem ornatam, et flevit dicens hiis qui interro-

(1) Vide cap. II, v. 2. — (2) Vide Epistolam I, cap. XI, v. 10. — (3) Vide Matth. Evang. cap. XVIII, v. 7. — (4) Vide Odonis fabulam LXIV *a*. — (5) Vide Epistolam I, cap. XI, v. 6. — (6) Vide Odonis fabulam LXIV.

gabant eum cur fleret : Duæ sunt causæ fletus, una, quia hæc [est] perdita, alia, quia non habeo tale studium placendi Deo, quale ista habet placendi hominibus.

XXIX c (XCII c). — [DE ABBATE ARSENIO ET MATRONA.]

Exemplum.

Item Matrona quædam rogavit abbatem Arsenium ut oraret pro ea. Qui respondit : Auferat te Dominus a corde meo. Illa vero tristis quæsivit a quodam cur hoc dixit. Qui dixit quod hoc dixit de temptatione auferenda, set orat pro te (*lege* ipsa) verumtamen.

Licet mulieres sint vitandæ, sunt tamen honorandæ. Unde quædam Mulier currebat post sanctum Hil(l)arium, orans ut filium resuscitaret, et ille fugiebat. At illa ait : Memento quod talis sexus genuit Christum. Quo audito, statum reversus est et filium ejus resuscitavit.

XXX (XCIII). — DE BEATO MACHARIO ABBATE IN CELLA SUA RESIDENTE.

Residens in cella sua [erat] quadam die beatus Macharias abbas; occurrit ei Diabolus cum falce, volens eum interficere. Set non potuit eum percutere, et ait : Multam violentiam patior a te, quia tibi prævalere non possum : tu jejunas et ego non comedo, tu vigilas et ego non dormio, et in uno solo me superas, scilicet in humilitate, propter quod non possum aliquid adversum te.

XXX a (XCIII a). — [DE JULIANO APOSTATA.]

Exemplum.

Julianus Apostata, cum vellet descendere in Persidam, misit Dæmonem in occidentem ut afferret inde responsum quid facturus esset. Cum autem venisset Dæmon ad quendam locum ubi erat quidam religiosus orans, stetit ibi per decem dies immobilis, nec poterat transire, quia ille sanctus non cessabat orare die ac nocte, et reversus rediit sine effectu.

Cui Julianus ait : Quare tardasti? Qui ait : Quia nichil feci et non potui transire. Tunc iratus Julianus ait : Cum rediero, puniam eum. Sed post paucos dies a milite quem beata Virgo suscitavit interfectus est. Quod videns quidam, qui cum eo erat, factus est monachus.

XXXI (XCIV). — [DE MULIERE DELICATA ET PIGRA.]

Exemplum contra accidiosos.

Multi sunt sicut Mulier delicata et pigra. Talis enim Mulier, dum jacet mane in lecto et audit pulsare ad missam, cogitat secum quod vadat ad missam. Set, cum caro, quæ pigra est, timet frigus, respondit, et dicit : Quare ires ita mane? Nonne scis quod clerici pulsant campanas propter oblationes ? Dormi adhuc. Et sic transit aliqua pars diei. Postea iterum conscientia pungit eam quot vadat ad missam. Set caro respondit, et dicit : Quare ires tu ita cito ad ecclesiam ? Certe tu destrueres corpus tuum, si ita mane surrexeris, et hoc Deus non vult ut homo destruat seipsum ; quiesce et dormi. Et sic transit alia pars diei. Iterum conscientia pungit eam quod vadat ad missam ; set caro dicit : Ut quid ires tam cito ? Ego bene scio quod talis vicina tua nondum vadit ad ecclesiam ; dormi parum adhuc. Et sic transit alia pars diei. Postea iterum pungit eam conscientia ; set caro dicit : Non oportet quod adhuc vadas, quia sacerdos est ita curialis, quod bene expectabit te ; attende et dormi. Et sic dormiendo transit tempus. Et tum, ad ultimum verecundia coacta, surgit et vadit ad ecclesiam, et invenit portas clausas.

Mistice. Ita similiter multi, qui in mane pueritiæ suæ, quando audiunt pulsare campanas, id est, quando audiunt prædicationes, cogitant secum quando faciunt pœnitentiam ; set tamen caro, quæ pigra est, dicit quod adhuc tempus non est : Adhuc potes expectare. Et sic transit tempus pueritiæ. Postea conscientia pungit quod homo faciat pœnitentiam ; set dicit caro : Si tu ita cito inciperes facere pœnitentiam, tu destrueres corpus tuum, et hoc est contra Dei præceptum ; unde bene

potes ex[s]pectare. Et sic transit tempus adolescentiæ. Postea conscientia pungit quod faciat pœnitentiam; set respondit caro, et dicit : Talis (fol. 32) homo plura peccata et majora facit quam tu, et tamen adhuc non facit pœnitentiam ; certe bene potes differre tantum [quantum] ipse. Et sic transit tempus juventutis. Postea pungit conscientia ; set caro dicit quod Deus est ita curialis, quod bene expectabit te ad pœnitentiam. Et sic transit tempus senectutis. Postea quando venit in fine, et peccatores vident quod tempus transiverit et quod mors appropinquat et nichil fecerunt, coacti verecundia mundi et timore pœnæ infernalis, non amore vel timore Dei, faciunt vocari sacerdotes et confitentur superficialiter et sine contritione, et faciunt aliquas elemosinas. Et sic moriuntur, et inveniunt portam gloriæ clausam, quia nimis tardaverunt.

XXXII (XCV). — HOMO QUIDAM MONUIT FILIUM SUUM UT FACERET SIBI AMICOS.

Homo quidam monuit Filium suum ut faceret sibi amicos. Qui, videns tres vicinos sibi esse necessarios, quæsivit ab uno qualiter posset ejus amicitiam comparare. Qui dixit : Satis sum dives; set indig[e]o operariis; si vis obligare te ad opera mea, volo tibi esse amicus. Quod fecit, et multo tempore pro eo graviter laboravit. Postea ab alio idem quæsivit. Qui dixit se pauperem esse, et, si multa ei daret, amicus ejus fieret. Quod fecit, quia sæpe eum pavit, et munera larga dedit. Item quærente eo a tertio, simile respondit tertius se nec pecuniis nec operariis indigere ; set, si caderet ad pedes ejus et faceret ei homagium, sicut servus domino faceret, amicus ejus esset. Quod et fecit. Hiis factis, cum diceret Patri suo se habere tres amicos, monuit eum Pater ut se fingeret proclamatum a rege de crimine læsæ majestatis et probaret amicos suos de auxilio. Veniens igitur Filius ad primum amicum, auxilium quæsivit, et ille, audito quod contra regem crimen commiserat : Hoc, inquid, tibi faciam : proditorem regis de domo mea e[j]iciam, et de bonis ejus, quicquid potero, rapiam. Secundus vero dixit :

Proditorem regis ducam ad carcerem et incarcerabo. Tertius ait : Proditorem regis ducam ad patibulum et illum suspendam. Cum igitur Filius totum hoc Patri narrasset, dixit Pater : Nullum habes amicum, Fili ; set primus amicus est nominalis, secundus mensalis, et tertius inimicalis. Set vade, inquit, ad meum amicum, solum quem habeo, et dic ei casum tuum. Quo facto, respondit ille : Si furtum habes, porta ad me ; si perditio (*melius* proditio) sit, impone michi, et ego moriar pro te. Et judicatum est hunc solum inter alios esse amicum.

Mistice. Primus amicus est mundus, vel pecunia pro qua homo se totum consumit nocte et die, laborando et sol[l]icitando. Eccles. (1) : Cuncti dies ejus lab. etc. ; nec per noctem sinit dormire ; set in morte, quando magnus rex vocat ad curiam suam ut respondeat unusquisque pro transgressionibus suis, nichil sibi dimittit, set aliis quæ habet tribuens mundus eum e[j]icit, ut dicat talis illud, Jeremias, XX (2) : Comedit me et devoravit me rex Nabugodonosor ; replevit me temeritudine mea et e[j]iciet me. Item Proverbiorum quinto [c.] (3) : Ne des alienis (robur vel) honorem tuum et annos tuos crudeli. Secundus est caro et amici carnales, qui pastum et procurationem large recipiunt, set usque ad carcerem, id est sepulcrum, deducunt, et in profundum pro[j]iciunt. Tertius est Diabolus, qui usque ad ultimum judicium deducit et ibi fœderatum sibi suspendit. Set quartus est Christus solus, qui pro amicis suis mortem sustinuit, et solus verus amicus fuit. Tullius de Amicitia (4) : Qui in prosperis et adversis constantem stabilemque se in amicitia prostiterit, hunc maxime ex raro hominum genere judicare debemus amicum, et generi divino comparabitur.

XXXIII (XCVI). — DE QUATUOR GENERIBUS ARBORUM.

Quatuor genera arborum sunt. Est enim una, quæ non viret nec floret, nec fructificat, ut vetus arbor de qua potest dici : Suc,

(1) Vide Ecclesiastem, cap. II, v. 23. — (2) Vide cap. LI, v. 34. — (3) Vide cap. V, v. 9. — (4) Vide §° XVII in fine.

cide (fol. 33) illam, ut quid terram occupat, ad nichilum valet, nisi ut ardeat. Hic est malus homo, qui inveteratus est peccato, et nichil boni provenit ab eo. Talis homo occidetur et morietur et in ignem mittetur æternum. Secunda enim arbor est, quæ germinat et viret et folia habet et flores, set non fructificat; talis erat Ficus, in qua Dominus folia tantum invenit et maledixit ei et statim aruit. Hic est [h]ypocrita, qui habet folia et bona verba tantum et viret et floret exterius, quia jejunat, orat et sicut alius elemosinam dat, set non fructificat, quia bona quæ facit, propter vanam gloriam facit, et ut videantur ab hominibus. De talibus dicitur (1): Receperunt mercedem suam. Tertia arbor est, quæ facit fructum malum, de qua dicitur Matthæo, III (2) : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Hic est qui aperte facit mala opera et dat malum exemplum ; quasi malum fructum, hic homo mittetur in ignem æternum. Quarta arbor est, quæ facit fructum bonum et durabilem. Hic est homo qui bonum inchoat et perseverat, id est, bene operatur usque in finem vitæ; de quo dicitur (3) : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et alibi : Inchoantibus regnum Dei promittitur, set perseverantibus datur.

XXXIV (XCVII). — DE QUADAM PUELLA POTENTE ET DITISSIMA QUÆ REGNUM POSSEDIT, ETC.

Quædam erat Puella potens et ditissima quæ regnum possedit, cunctis bonis et amœnitatibus dotata; quod videns quidam rex invidus et dolosus cogitabat eam de regno suo expellere, sciens tamen quod per potentiam eam superare, vel per dona eam excæcare non valebat. Dolo igitur insistens, ad eam ficta amicitia accessit, et sic eam latenter contrivit et a regno proprio injuste de[j]ecit et fraude vicit. Puella igitur, in paupertate et miseria diu vivens, virtute et divitiis carens, ad hæreditatem suam remeare non valebat. Filius cujusdam

(1) Vide Matth. Evang. cap. VI, v. 2, 5, 16. — (2) Vide cap. III, v. 10. — (3) Vide Matth. Evang. cap. X, v. 22.

regis potentissimi Puellam adamaverat, et, pietate motus, eandem quam diu amaverat desponsavit, [ut] per victoriam belli Puellam ad hæreditatem suam, quam injuste perdiderat, introduceret. In bello igitur contra tirannum letaliter fuit vulneratus, egregius tamen victor existens; set hoc dixit sponsæ quod in bello eum mori oporteret et sic victoriam optinere. Puella igitur, surgens de stratu miseriæ, regnum possidebat; arma sponsi accipiens sanguine respersa in camera sua secretissima appendebat, ut ejus semper aspectui ob[j]icerentur. Per processum vero temporis venerunt ad eam multi nobiles ut eam desponsarent. Respondit quod sponsus suus tanta signa amoris sibi ostenderat ut in perpetuum alium in sponsum non admitteret. Si autem quandoque propter fragilitatem mens sua ex delectatione flecti inciperet, statim surgens cameram intravit, arma sponsi sanguine respersa intuens, et mortem sponsi pro nimio amore deflevit; et sic omnis voluntas cessavit nubendi.

Mistice. Quid per Puellam regnum amœnum possidentem, nisi naturam humanam in paradiso existentem, intelliges? Fuit enim natura humana in statu innocentiæ potentia resistendi adversariis et divitiis spiritualibus a Deo d[ot]ata. Unde Augustinus in quadam [h]omelia : Princeps vitiorum, dum vicit Adam, de limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compositum, caritate splendidum, primos parentes illius donis ac bonis tantis spoliavit pariterque peremit. Postquam autem natura humana de paradiso ejecta fuerat, diu in paupertate et miseria fuit. Adamavit eam tamen Filius Altissimi, scilicet Dei; sicut dicitur : Caritate perfecta dilexi te; ideo attraxi te miserans; quam, scilicet filiam, incarnatione desponsavit. Filius autem Dei in tantum humanam naturam sibi univit usque ad mortem, et si anima a corpore fuerit separata, anima tamen et corpus in triduo deitati fuerunt unita. Pugnans Dei Filius, Christus, deus et homo, cum Diabolo, in prælio occisus est, et ex victoria ejus (fol. 34) natura humana in regnum cœléste est introducta. Arma igitur sponsi

nostri Christi, qui tot et tanta signa dilectionis nobis ostendit, in camera nostra secretissima, scilicet in corde, memoria nostra, si[n]t appensa, cotidie oculis nostræ mentis ob[j]icienda; secundum illud : Mors dilecti mei, quam pro salute mea sustinuit, semper in memoria mea versabitur. Set etiam inimici nostri, ad delectabile allicientes, nos desponsare volunt. Convertamus oculos mentis ad arma sponsi nostri sanguine respersa; cessabit omnis consensus et delectatio ad peccandum.

XXXV (XCVIII). — DE QUODAM SOLITARIO PER VIAM TRANSIENTE (*sic*), ETC.

Quidam Solitarius, per viam transiens, unum peccatum se facturum in corde revolvebat, et veniens juxta quoddam nemus in tali cogitatione perseverabat, et vidit Diabolum sub quadam arbore scribentem. Cui accessit et quid scriberet inquæsivit (*sic*). Qui respondit : Peccata tua scribo, et cogitationes turpissimas quas dudum cogitasti. At ille, contritus, parum ab illo se divertit et pro peccatis suis lacrimas fudit, et ad ipsum se convertens, interrogavit iterum quid de ipso sentiret. Qui dixit : Heu michi! quia parva aqua calida rotulum meum lavit et omnia quæ de te scripsi omnino delevit. Et contristatus statim evanuit.

XXXVI (XCIX). — DE QUADAM MULIERE TOTAM VITAM SUAM APERIENTE SUO CONFESSORI.

Quædam Mulier totam vitam suam aperuit suo Confessori, excepto uno solo peccato quod commiserat in juventute, quod pro verecundia confiteri non audebat nec volebat. Tamen multas peregrinationes et graves pœnitentias fecit. Tandem nocte quadam sompniens videbatur sibi Ihesum advenire, ipsam alloquens, vulnera ostendens, et dixit ei : Mitte manum tuam in latus meum et vide quantum pro te sustinui, et tamen nichil prodest nec proderit, nisi tu illud peccatum occultum revelaveris. Qua expergefacta et stupente, reperit manum suam sanguinolentam, quam nec aqua nec alio liquore mun-

dare potuit a sanguine. Quo viso, cuidam discreto adiit, et rem gestam et peccatum tamdiu occultum ostendit. Quo facto, manus sua fuit a sanguine munda.

XXXVII (C). — DE VIRTUTE CONFESSIONIS; QUALITER VICIT DIABOLUM.

Narrat Gregorius libro Dialogorum, quod, cum Papa quidam Romæ infirmitate gravissima langueret, Diabolus, in specie medici intrans ad eum, et pixides et medicamina deferens, requisivit ab eo si curari vellet. Cui Papa respondit se plus confidere in orationibus cujusdam Viduæ in civitate quam in omnibus suis medicaminibus. Cui Dæmon : Hæc fatua præsumptio est. Nam illa Vidua pessima mulier est et incestuosa, quæ de proprio filio suo filium concepit, quem natum manibus suis necavit. Et hoc dixit se velle probare. Ad hæc Papa stupefactus jussit illam Viduam vocari. Qua vocata, Diabolus constanter eam accusavit de peccato commisso. Illa vero negavit. Quam culpam cum diceret se velle probare, jussit Papa utrumque die tertia coram eo venire. Mulier vero, se in ar[c]to positam cernens, peccatum suo sacerdoti confessa est, simul et beatæ Mariæ, patrocinium implorans. Die tertia simul coram Papa revertuntur. Tunc dixit Papa Dæmoni : Quid habes tu adversus hanc mulierem quam nuper accusasti. Respondit Dæmon : Contra eam nichil habeo nec ipsam cognosco; set, sicut sol, clara refulget insuper, et super humerum ejus altera mulier manum apponit, quæ præ nimia claritate non potest intueri. Et hiis dictis, cum tanto tumultu disparuit, quod ipsum esse Dæmonem cun[c]tis apparebat.

Mistice. Sic qui de vilitate peccati sibi timet, lacrimose confitendo abscondat, quia ipsum peccatum post veram confessionem Diabolus ignorat, et hoc est quod ab eo absconditur.

XXXVIII (CI). — DE FILIA CUJUSDAM JUDÆI, QUÆ A QUODAM CHRISTIANO AMORE FATUO AMABATUR.

Erat filia cujusdam Judæi, quæ a quodam Christiano ama-

batur amore fatuo, et inprægnata fuit. Unde, cum pater ab ea quæreret quis eam imprægnasset nec ipsa eum prodere vellet, quæsivit ab ydolo suo, qui respondit quod Christianus esset. Et quo(ti)tiens filiam suam cognovit, fontem (fol. 35) quæsivit et ibi se lavit. Unde penitus notitiam ejus amisit. Tum Judæus culpam filiæ remisit, ut ab amasio inquireret quis fons iste esset in quo se lavaret. Quæ inquirens, dixit Christianus fontem illum esse confessionem. Cujus fontis amore Judæus se baptizari fecit, et eum, quotiens indiguit, quæsivit et invenit, et sanatus est.

XXXIX (CII). — DE QUODAM FATUO CARCERI MANCIPATO.

Erat quidam Fatuus carceri mancipatus, cui Pater compatiens pretium sufficiens carceratori offerebat. Pater autem volens filium attrahere, respondit filius: Non possum hinc recedere, quia infinito amore detineor incarceratoris filiæ. Ideo hic cum illa commorabor et tecum non exibo.

Mistice. Per istum Fatuum incarceratum peccatorem obstinatum intelligimus, per carcerem infernum, per incarceratorem Diabolum, per filiam vero divitias temporales, per Patrem Christum creatorem omnium, qui pretium ad peccatorem educendum obtulit, scilicet sanguinem suum pretiosum. Sed quid sequitur? Certe suæ redemptionis pretium oblitus maluit cum creatura dampnari quam a creatore salvari.

XL (CIII). — DE QUODAM NOVITER CONVERSO.

Contigit quod quidam noviter Conversus, in noviciatu existens, quadam die multum esurivit et hoc suo Magistro indicavit. Cui dixit Magister: Si buccella tua modica fuerit et dura ad comedendum, ipsam madesce sanguine Christi. Qui hoc intelligens, videns in cella sua ymaginem Crucifixi depictam et habens in manu sua buccellam panis ar[c]tam ad comedendum et duram, cogitans de doctrina magistri, adiit ad ymaginem Crucifixi, et illam buccellam posuit in vulnere lateris, et super panem emanavit gutta sanguinis, et gratias reddidit beneficiis divinis.

Mistice. Sic vere pœnitens de pœnitentia sua non debet conqueri, licet sit aspera hic in vita, quia animam sustentabit et salvabit in patria, et, si cui pœnitentia videatur amara, dulcorabitur Christi passionis memoria, cujus tota vita fuit pœnitentia. Unde Bernardus : Revolve totam vitam Salvatoris ab utero usque ad patibulum crucis, et non invenies in eo nisi stigmata paupertatis et pœnitentiæ. Unde, sicut bonus miles vulnera sua non sentit, cum dominum suum videt vulneratum, sic quisque fidelis pro nichilo reputat suam pœnitentiam, cum in cruce aspiciat dominicam passionem.

XLI (CIV). — DE QUADAM BESTIA QUÆ VOCATUR HARPIA.

Legitur in Natura rerum de quadam bestia, quæ vocatur Harpia, et habet in facie similitudinem hominis, set non in operatione. Hæc bestia, ubi hominem in deserto invenerit, eum laniat et occidit. Sed cum ad aquam venerit et cum prospexerit quod sibi similem interemit, usque ad mortem planget et dolet.

Mistice. Ista bestia significat peccatorem, qui, licet habeat similitudinem Dei in facie vel in ymagine, nequaquam tamen in operatione. Talis homo hominem interiorem, qui secundum Deum creatus est, occidit per peccatum. Set cum venerit ad aquam gratiæ, videlicet contritionis internæ, et ibi in verbo Dei tanquam in speculo viderit se malefecisse, debet multum dolere, nec debet modum dolori ponere, set dolere juxta consilium Jeremiæ, capitulo VI (1) : Luctum Unigeniti fac tibi.

XLII (CV). — PHILOSOPHUS NARRAT QUOD QUIDAM AMISSIS TRIBUS LIBERIS, ETC.

Philosophus narrat quod quidam, amissis tribus liberis, nullum aliud solatium habuit, quam cotidie ad eorum sepulcra sedere, plangere et plorare. Set contigit tunc quod quidam juvenis dissolutus convivium celebraret; qui dolentem rapuit et convivio interesse coegit. Finito convivio, a[g]it contra eum

(1) Vide cap. VI, v. 26.

de injuria; unde judices judicabant quod, quamdiu coegit eum interesse convivio, tamdiu secum assideret sepulcro.

Mistice. Per istos liberos intelligi possunt opera nostra meritoria, et hoc pro tali convenientia. Nam, sicut liberi primo in utero concipiuntur, sic opera meritoria, quando Deus, qui est pater, inmittit in animam, quæ est mater, aliquam sanctam cogitationem; post nutriuntur per delectationem et tandem pariuntur per operationem. Et bene isti liberi dicuntur esse tres, quia omnia opera nostra debemus dividere in tribus, primo ut sint ad honorem Dei, secundo (fol. 36) ad salutem propriam, et tertio ad utilitatem et ædificationem proximi. Omnia autem ista mortificantur per peccatum. Quid est ergo peccatori faciendum? Debet utique assidere sepulcro, videlicet propriam conscientiam quæ tunc fetet, ut sepulcrum, et istos lugere. Set tunc juvenis eum rapit et convivio interesse cogit, quando caro, quæ semper vellet habere convivia, rationem a consideratione periculi, in quod cecidit, per peccatum trahit; set aliquando per tribulationem vel per ecclesiæ ordinationem finiuntur convivia, sicut in Quadragesima et aliis jejuniis. Agit tunc ratio contra carnem et hoc coram judicibus, id est ecclesiæ prælatis; et quid judicabunt ipsi? Certe quod, sicut caro læta traxit ad culpam, ita afflicta reducatur ad veniam, sicud dixit beatus Gregorius. Hujus figuram habemus in Isaia de rege Ezechia, ubi dixit Dominus (1) : Vidi lacrimam tuam et sanatus es. Lacrima tria habet : humida est, et in hoc calorem gehennæ ignis extinguit; amara est, et sic rubiginem peccati consumit; calida est, et sic in amore Dei calefacit, et ista calefactio est necessaria ad peccatum delendum.

XLIII (CVI). — DE SCORPIONE.

Scorpio est quædam vermis admodum venenosus. Cum enim iste serpens læserit hominem, non melius curatur quam aspersione pulveris ejusdem speciei. Unde in provincia Pro-

(1) Vide cap. XXXVIII, v. 5.

vinciæ, ubi tales [h]abundant, habent semper in ampullis pulverem talium ut eum pro[j]iciant super læsum.

Mistice. Sic spiritualiter homo curari poterat, si memoria pulveris, in quem revertetur, fuerit frequenter aspersus; ut ergo istam memoriam habeat homo recentem, faciat juxta consilium Apostoli ad Colocenses (*sic*). Mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram. Membra vocat opera carnis et carnales delectationes.

XLIV (CVII). — DE DUOBUS GEMELLIS ÆGROTANTIBUS.

Narrat philosophus de duobus Gemellis, quod ægrotare cœperunt; consulti medici dixerunt eandem esse infirmitatem. Desperantibus reliquis, promittit se unus ad alterum sanaturum, si alterius vitalia inspexisset. Permittitur a Patre, accusatur a Matre male tractationis. Dicit Pater ut unus sanaretur, alius interi[r]et. Respondit Mater : Ut unus sanabatur, ita alius sanari potuit. Tandem Pater : Considera utrumque periturum et gaudebis unum esse retentum.

Mistice. Gemelli, corpus et anima, tunc ægrotant, quando peccare incipiunt, quia, sicut ægrotans duo amittit, scilicet fortitudinem et decorem, ita peccatōr fortitudinem resistendi et meritoria operandi; hanc fortitudinem deplangit Jeremias in T[h]renis, dicens (1) : Abierunt, inquid, absque fortitudine ante faciem subsequentis. Item amittit colorem et decorem gratiæ. Quem etiam deplangit, dicens (2) : Egressus est a filia Sion omnis decor ejus. Medici sunt prælati ecclesiæ et confessores recepti; et quid dicunt omnes ipsi? Revera quod, si anima debeat reviviscere et fortitudinem et decorem recuperare, oportet quod alter Gemellus occidatur. Pater est ratio (*sic*) qui consentit; Mater vero sensualitas quæ fortiter contradicit. Tandem sic Pater concludit : Considera utrumque periturum, etc. Unde Paulus ad Corinthios (3) : Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

(1) Vide cap. I, v. 6. — (2) Vide eumdem locum. — (3) Vide non Epistolas ad Corinthios, sed Epistolam ad Romanos, cap. VIII, v. 13.

XLV (CVII *a*). — [DE VIRO ET UXORE.]

Exemplum.

Seneca dicit quod, cum quidam desponsaret quamdam Mulierem, quæ pulc[h]ram habuit hæreditatem, commisit quoddam scelus, pro quo proscribi debuisset ad cautelam. Uxor nimio amore Viri in exilio secuta est, et, cum quodam tempore Vir poculum teneret et Uxor ab ipso quæreret quid hoc esset, respondit Vir venenum esse et mori se velle. Rogavit Uxor ut partem sibi daret et dixit se nolle sine ipso vivere. Partem primam bibit ipse, partem secundam dedit Uxori. Periit tunc ipsa sola; Vir autem evasit; set arguitur et reus judicatur veneficii.

Mistice. Vir iste caro est, cui anima copulatur tanquam Uxor. Set ista Uxor habet pulc[h]ram hæreditatem, videlicet in ymagine sua Dei filium, et in hoc debet habere magnam delectationem, quam caro sibi usurpare desiderat, et ideo committit se delectationibus pro quibus proscribi debet a delectationibus paradisi, videlicet a contemplatione Dei, in qua consistit summa contemplatio et felix beatitudo. Set Uxor sequitur, (fol. 37) scilicet anima, per delectationem ad consensum peccati inclinatur, et qualiter decipitur certe per venenum peccati.

Exemplum. I(i)lli vero qui venenum daturi sunt, illud miscent cum aliquo delectabili. Sic est de peccato, quia in peccato sunt duo, scilicet delectatio et culpa. Set caro bibit primam partem, anima autem secundam, et ideo statim moritur; set caro veneficii arguitur, quia sibi occasionabiliter culpa imputatur.

ODONIS DE CERITONA FABULIS
POSTERIOR ADDITIO,

EX BIBLIOTHECÆ GUELFERBYTANÆ CODICE MS. LAT. GUD. 200
NUNC PRIMUM EDITÆ (1).

(Fol. 187-194.)

INCIPIT TRACTATUS DE DIVERSIS FABULIS.

I (I). — PRIMO DE PELLICANO.

Libro de Proprietatibus rerum (2) legitur, quod Pellicanus nimio affectu diligit pullos suos, eviscerat se ipsum pro illis nutriendis, sanguinem suum eis adsugandum (*sic*) ministrat; qui ex hoc tantum debilitatur, quod non potest nidum exire nec necessaria procurare, sed respicit pullos suos quasi eis insinuans voluntatem suam debilitatem (*melius* debilitaatm) nutibus et gemitibus. Tunc pulli, qui non degenerant naturalitera parente, cibum ei procurant.

Sic est de homine et prole; quoad ipsum pater et mater dant pueris sanguinem proprium, quasi se eviscerant laborando. Quando autem sunt in Purgatorio, non possunt se juvare, sed clamant ad pueros, quos tenere dilexerunt, dicentes id [lib.] primo Machabæorum, XXI (3) : Miserere, fili mi, qui te genui.

II (XXXVII). — [DE LUPO ET SACERDOTE.]

Qui non proponunt abstinere a peccato.

Lupus venit semel ad pœnitentiam et uno oculo respiciebat Sacerdotem et cum alio oves super montem illum. Et dixit Sacerdoti : Date michi cito pœnitentiam, quia habeo negotium;

(1) Priore numero in hac editione et altero in manuscripto codice cujusque fabulæ ordo indicatur. — (2) Vide lib. XII, cap. XXIX. — (3) Vide non lib. I, cap. XXI, sed lib. II, cap. VII, v. 27.

video enim oves super montem illum et jam incipiunt descendere. Hoc fuit cum ultima die, quando voluit recedere de terra illa ad aliam.

Sic plerique faciunt, qui nolunt venire ad pœnitentiam nisi usque ad ultimum diem Quadragesimæ. Et cum stant coram Sacerdote, respiciunt eum uno oculo et altero mulieres vel alia inconvenientia, et nolunt (*lege* volunt) exire terram pœnitentiæ et intrare terram peccati et inmun[ditiæ].

III (XXXVIII). — [DE SALAMANDRA.]

Salamandra, animal venenosum, cum semel esset in igne, ubi aurum excoquebatur, scilicet videns Muscam, dixit : Cum magna angustia et periculo victum tuum quæris et exquiris. Veni ad me et dabo tibi aurum in copia, ut victum habeas sine labore. Musca adquiescens super aurum et medias flammas se projecit et conbusta est.

Salamandra vivens in igne est malignus spiritus, qui in maligno igne positus est. Qui dicit peccatori : Cum magno labore acquiris victualia; veni ad me, pro[j]icias te in ignem cupiditatis, rapinam et usuram exerce; dabo tibi aurum et argentum, ut sine labore vivere valeas.

IV (XXXIX). — [DE MURE ET RANA.]

Mundus similis est Ranæ, quæ blandiendo Muri promisit, quod eam ultra [flumen] duceret, si ad pedem suum se ligaret. Quo facto, Rana cum Mure aquam intravit et in medio flumine Murem submersit.

Sic facit mundus amatoribus suis. Vel similis est mundus arbori, cui elephas, cum dormit, se appodiat. Sed venatores, cum non possint eum aliter conprehendere, arborem succidunt sic, ut elephas, more consueto super illam appodians, simul cum illa cadit. Qui cum surgere non possit, a venatoribus conprehenditur. Sic qui in mundo confidit, cum mundo ruit et a dæmonibus interficitur.

V (XL). — [DE REYNARDO ET LUPO.]

Quomodo Dyabolus decipit usurarios.

Reynardus semel duxit Lupum ad locum multarum carnium. Qui cum tenuis per foramen ar[c]t(i)um intrasset, inflatus nimia com(m)estione exire non potuit. Vigiles vero, excitati per clamorem Reynardi, Lupum usque ad evacuationem fustigaverunt.

Sic dæmon usurarium, cum per congregationem usurarum tantum fuerit inflatus a pelle carnis, ipsum in inferno fustigabit.

VI (XLI). — [DE QUODAM MILITE ET QUODAM RELIGIOSO.]

Quomodo infirmitates prosunt.

Quidam Miles, morbo afflictus, rogavit quendam Religiosum, ut eo orante ad Deum a morbo suo liberaretur. Cui Religiosus ait : Dic michi, frater, in quo statu magis dirigis ad Deum intentionem tuam? Dum sanus es aut dum morbo afflictus? Cui ille : Dum me molestat morbus, totus animo suspiro ad Deum; cum sentio me sanum, totus rebus temporalibus aspiro. Et dixit vir justus : Oro, ut Deus te conservet in statu ægritudinis, in quo plus times Deum.

Unde verbum :

Cum fero languorem, fero religionis amorem :
Expers languoris, non sum memor hujus amoris.

VII (XLII). — [DE VENATORE ET BEATO ANTONIO.]

Non est laborem ultra posse impendere.

Quidam Venator, veniens per silvam, videns (*lege* vidit) beatum Antonium cum suis monachis gaudentem, [et hoc] displicuit ei. Quod senex intelligens ait : Pone sagittam in arcu et trahe. Et fecit. Iterum dixit : Trahe, et iterum trahe. Dixit Venator : Si ultra modum traxero, arcus frangetur. Dixit ei abbas : Ita est in opere Dei : si supra mensuram nos laborave-

rimus, deliciemus; expedit enim aliquando relaxari. Hac responsione facta, Venator contentus est.

Unde verbum :

Interpone tuis interdum gaudia curis.

Dicitur etiam, quod Johannes evangelista semel lusit cum perdice et cuidam super hoc admiranti respondit : Delectasti me, Domine, in factura manuum tuarum.

VIII (XLIII). — [DE MAGISTRO ET SERVIENTE.]

Contra [eos] qui faciunt quod prohibitum eis.

Quidam Magister, cum inpeteretur a suo Serviente, nec vellet cessare, quare Adam stulte com(m)edit pomum fetitum, et Magister ipsum excusasset, quod propter pronitatem peccandi, et tamen pacem non haberet, semel inclusit aviculam inter duas scutellas; et, recedens a domo, prohibuit ne aliquo modo inspiceret intus, sed de aliis dedit potestatem. Cum Magister recessisset de domo, cogitavit quare inspectionem prohibuisset. Quid plura? Scutellam ap(p)eruit, et statim avis avolavit. Serviens confusus intra se ait : Quomodo Dyabolus me decepit? Reversus Magister Servientem tristem invenit. Qui se miserum confessus est. Magister quæsivit : Vestra avis advolavit? Et sic inpositum est ei silentium, quod nunquam post ea Adam vituperavit, quoniam nitimur in fetitum.

IX (XLIV). — DE HEREMITA JUVENI.

Quidam juvenis Heremita cum Abbate suo ad unam civitatem ivit, ubi mulieres in corea conspexit. Et, cujusmodi res esset, ab Abbate sollicite quæsivit. Cui Abbas asserens esse anseres respondit. Reversus puer in claustrum flere cœpit. Cui Abbas : Quid vis, fili mi? Et ille : Volo de illis anseribus, quos vidi in civitate. Tunc Abbas, convocatis fratribus, dixit : Fratres, considerate montem (*forsan* mente) sollicite, quam pericul[os]a sunt mulierum spectacula. Nam hic puer innocens, qui

prius mulierem non viderat, in hermo nutritus, solo visu sic est temptatus, sic est igne concupiscentiæ succensus.

X (XLV). — [DE DOMINO ET FAMULIS.]

De ira vel judicio.

Quidam nobilis absentavit se ex causa a bonis suis et reversus invenit agros incultos et vineas, quia servi nichil laboraverant. Ex quo valde provocatus, dixit uni familiorum (*sic*) : Si non essem iratus, ego ostenderem tibi quantum [in ista negligentia me offendistis.

In quo docentur judices et prælati, quod non debent judicare nec corrigere, quamdiu sunt provocati. Ratio est, quia, sicut aqua turbida et mota ostendit faciem inspicientis tortuosam, sic homo motus et iratus habet faciem et rationem deordinatam et per consequens judicium rationis.

XI (XLVI). — DE VANA GLORIA, ARROGANTIA ET SUPERBIA.

Arrogantia habet tres gradus. Primum (*sic*) est quod volunt videri esse quod non sunt, vel videri habere qnod non habent. Secundus est quia hoc quod sunt vel habent videri volunt. Tertius est quod volunt videri super alios. Vana gloria similis videtur vestici (*sic pro* vesicæ) inflatæ, quæ, quando ventum dimittat inclusum, nichil retinet nisi mundum corium.

XII (XLVII). — [DE ASINO PELLE LEONIS INDUTO.]

Quidam, habens Asinum, omni hora cogitabat quomodo bene percuteret eum, quia tardus erat. Et Asinus ejus omni hora cogitabat qualiter ejus verbera evaderet. Semel vadens in grege, invenit pellem Leonis et circumposuit corpori suo, cogitans quod sic alia animalia, putantes (*sic*) eum Leonem, timerent ipsum et etiam Dominus suus. Procedente autem tempore, Dominus quærens Asinum in grege non invenit, sed respiciens in montem audivit vocem Asini et vidit eum aures extendentem. Et statim cepit eum et vehementer percussit,

non obstante quod alia animalia eum tamquam Leonem habuissent et timuissent.

Sic multi, qui se extollunt ultra id quod sunt, licet ab hominibus aliqualiter timeantur, Deus tamen percutit eos in fine æterna pœna, ducens de monte superbiæ et mittens in vallem exterioris miseriæ. Per Asinum bene peccator designatur, quia, sicut Asinus multum portat in posteriori et non in anteriori, sic peccator multum cogitat de salute corporis et parum de anima, quæ est anterior.

XIII (XLVIII). — NOTA DE SYMEA [ET DOMINO].

Legitur de quodam habente unam Symeam in apotheca sua, quæ erat ita sagax, quod nullus aliquid in ea furari poterat, prædicta Symea quin videret. Quadam vice contigit, quod unus Mercator veniens dixit domino apothecæ, quod vellet aliquid furtive subtrahere de apotheca, non obstante quamcumque Symea custodiret. Ille pactum faciens cum alio et alius cum illo pro certa pecunia. Prædictus Mercator apothecam intrans, signa et modos diversos coram Symea faciens modo os aperiendo, modo nasum recurvando, modo oculos cum duobus digitis claudendo. Prædicta autem Symea, sic etiam (sic etiam) volens facere, oculos cum duobus digitis claudebat, et medio tempore dictus Mercator (et) pecuniam auferebat. Dominus vero apot[h]ecæ, videns quod Symea sic decepta erat, eum (*sic*) percutiens, ostendens quod per Mercatorem fuerat sic decepta. Altera vero die iterum in apothecam intrans, volens eam eodem modo decipere oculos cum duobus digitis claudendo; hoc videns Symea ipsa, econtra oculos cum duobus digitis fortissime apariens (*sic*), (et) quod secundario non posset decipi Mercatori indicabat.

Moraliza, sicut vis.

XIV (XLIX). — ITEM DE SYMEA [ET PULLIS].

Item de Symea legitur, quod, quando procreavit pullos suos, inter quos semper unum plus diligit alio, venator autem

veniens, volens carpere Symeam cum pullis, et illum, quem plus diligit, in dextro brachio portans, quem vero minus, in dorsum ponens, currens ad arborem, volens venatoris periculum evitare. Cum autem arborem quærit ascendere, pullum cariorem, quem brachio dextro tenuit, dimittere cogitur, quia tunc ascendere poterit, ut se ipsam eripere possit. Quem vero in dorso tenuit et minus dilexerat, a periculo liberat et defendit.

Moraliza, sicut placet.

XV (L). — DE LEONE ET ASINO.

Leo intempesta nocte venit ad domum, in qua erat Asinus. Ut autem intravit Leo, Gallus excussis alis more solito cecinit. Leo nesciens quis esset timuit et recessit. Asinus vero, confisus sua fortitudine, cum rugitu magno insecutus est Leonem. At ubi vidit eum Leo, sine mora occidit.

Exemplum hoc docet, ut inimicum fortiorem nobis fugiamus.

XVI (LI). — DE CERVO [AD FONTEM].

Cervus venit ad fontem ut biberet, et aspiciens vidit umbram suam in aqua. Considerans autem se habere cornua grandia et fortia, gavisus est valde. Item videns se habere crura gracilia, dicebat intra se : Crura sic gracilia quomodo possunt sustinere tam grandia et tam magna cornua et tantæ fortitudinis? Et insequentibus a tergo venatoribus cogitavit intra se et dixit : Crura ista velocia sunt, et per ea forsitan potero evadere. Dum autem nemus sibi intravit vicinum, hærebat cornibus inter vepres et captus est. Tunc dixit : Spes mea decepit me; credebam enim in cornibus meis totam meam inesse fortitudinem.

Exemplum illorum, qui per ea, in quibus confidunt, facile decipiuntur.

XVII (LII). — DE ONAGRO ET ASINO.

Onager, videns Asinum procurari et pasci, dixit intra se : Pulchrior sum isto Asino, et tamen non ita bene procuratus

sum, nec ita diligenter enutrior, sicut Asinus iste, et hoc injustum est. Sequenti die vidit Onager Asinum gravem sarcina onustum incedere, et dixit : Justum est Asinum pro velle com(m)edere, cum multum laboret, et ego tota die permaneam otiosus.

Exemplum illius, qui bonis invidet alienis et postea cognoscit multos (h)abundare divitiis nec carere gravi pondere sollicitudinis.

XVIII (LIII). — DE LEONE ET VULPE.

Leo, plus solito vigilans, debilitatus est, recumbens in spelunca sua. Ad quem veniebant ceteræ bestiæ, ut visitarent et consolarentur eum. Et dum appropinquarent, com(m)edebat eas. Venit etiam Vulpes ad visitandum eum, stans de foris ante portam. Cui dixit Leo : Veni huc, soror mea, ut grata tecum possim miscere colloquia. Respondit Vulpes : Nequaquam, Domine. Quare? inquit Leo. Cui Vulpes : Video quidem intrantium vestigia, sed redeuntium nulla possum intueri.

Exemplum sapientis, qui bene sua scit disponere negotia. Ita etiam qui intrat infernum nunquam exibit.

XIX (LVI). — DE ASINO [ONUSTO SALE ET POSTEA SPONGIA].

Asinus sale onustus incedebat, et, transiens per aquam, offenso pede corruit, et liquidum factum est sal. Asinus, sentiens se exoneratum, gavisus est valde, et ibat viam suam. Non multo post (h)onustus est spongia, et, dum transiret per aquam, cecidit, offenso pede. Et, dum spongia aquam multum sorbuisset, Asinus ita (h)onustus est, ut vix posset incedere.

Exemplum illorum, qui lætantur in prosperis, in adversis vero patientiam necessariam non habent.

XX (LVII). — DE ASINO [ET (H)ORTULANO].

Cujusdam [H]ortulani Asinus conquerebatur pro assiduo labore dicens sibi injurianti. Quod audiens [H]ortolanus ven-

didit eum molendinario. Et nocte ac die laborabat, et facta sunt Asini [fata] pejora prioribus.

Exemplum illius, qui conqueritur de servitio domini sui et forsitan incidet in gravius.

XXI (LVIII). — DE LEPORIBUS ET AQUILIS.

Aquilis et Leporibus ad invicem pugnantibus, Lepores perrexerunt ad Vulpes, quærentes succursum. Vulpes dicentes : Libenter vobis succurremus, si vestram prius cognosceremus audaciam.

XXII (LIX). — DE AQUILA ET COLUMBA.

Aquila et Columba litigabant adinvicem. Dixit autem Columba : Fere per singulos menses genero pullos et grata sum hominibus pro collata michi cœlitus fecunditate. Cui Aquila : Et inde tibi dolor et frequens tristitia, quia, quanto plus paris, tanto plures de pullis tuis ad hominem delicatas epulas moriuntur.

XXIII (LXI). — DE ASINO [ET MERULA].

Asinus, audiens Merulam modulatis canere vocibus, quæsivit ab ea, quo cibo uteretur pro eo quod sic optime caneret. Cui Merula : Aerem serenum et rorem cœli pro cibo habeo. Tunc Asinus, æmulus voce ejus, aperto ore [h]yans, attrahebat aerem, expectans rorem cœli, donec, debilitatus fame, mortuus est.

Exemplum stulti, qui appetit quæ non pertinent ad eum.

XXIV (LXII). — DE ASINO [ET CANCRIS].

Asinus, cadens in lutum, cœpit ejulans [clamare] pro eo quod non poterat egredi. Cui Cancri dixerunt : Quare plangis, cum nos, qui longe ante cedimus in lutum, minime plangamus?

Exemplum delicatorum, qui nichil volunt pati adversitatis.

XXV (LXIII). — DE SUE ET LEÆNA.

Sus et Leæna litigabant adinvicem. Sus autem dixit Leænæ : Et tu, in quo te jactas, pro qua re tantam elevaris in superbiam? Labor tuus inanis est, et cum per annum unum labores, non potes habere nisi catulum unum. Ego fecunda et grata sum hominibus et per duos quosque menses porto XIIII porcellos. Respondit : Verum est; sed tu paris porcellos, ego leonem.

Exemplum verbosi, qui multa loquitur inutilia. Sapiens autem paucis contentus est verbis.

XXVI (LXIV). — DE LUPO ET [H]ÆDO.

Lupus accepit [H]ædum de Capris juxta vicum unum. Cui dixit [H]ædus : Lætare et gaude; postea com(m)edes me totum cum gaudio. Precor autem ut cantes, et, dum cantaveris, ego saltabo, et sic epulaberis canendó, me coriante (*lege* coram te) saltante. Ad hoc cœpit Lupus canere et [H]ædus saltare. Audientes hoc Canes illius vici impetum fecerunt in Lupum, quem insecuti ad hoc conpulerunt ut [H]ædum relinqueret, et liberatus est [H]ædus.

Exemplum, quod aliquis utitur bonis suis in pace et silentio.

XXVII (LXV). — DE [ANU ET] MEDICO.

Anus quædam patiebatur in oculis. Facta autem conventione, spo(s)pondit Medicus eam curaturam. In domo autem vetulæ plurima erant utensilia. Cot(t)idie Medicus apponebat medicinam oculis ejus et cot(t)idie paulatim furabatur vascula ejus, donec tota domos (*sic*) evacueretur. Tandem convaluit Anus illa, quæ, ut vidit domum suam spoliatam, contrissata (*sic*) est, et nolebat Medico suam reddere mercedem. Medicus convenit eam coram judice. Quæ ait : Nondum convaliu ab infirmitate. Cum enim oculus meus sanus esset, plurima videbam in domo mea, quæ modo non video.

Exemplum sapientis, qui fraude fraudem a se ponit repellere.

XXVIII (LXVI). — DE VESPA ET SERPENTE.

Vespa pungebat aculeo suo caput Serpentis, et Serpens angustabat. Nitebatur se amovere ab ea, nec poterat. Ut autem vidit Serpens, se non posse juvare videns, supposuit caput quadrigæ prætereunti, et ambo mortui sunt.

Exemplum, quod in tantum potes inimicum infestare, quod te et ipsum occidet.

XXIX (LXVII). — DE LEONE, VULPE ET URSO.

Leo, Vulpes et Ursus perrexerunt venatum. Ceperunt autem arietem unum, ovem unum et agnum unum. Dixit autem Leo : Quis ex nobis partietur prædam istam? Ursus respondit : Ego, domine. Leo dixit : Partire. Ursus dixit : Tu, domine, habebis arietem, ego, ovem...

ROMULI MONACENSIS

FABULÆ,

SECUNDUM BIBLIOTHECÆ REGIÆ MONACENSIS CODICEM MS. LATINUM 5337 NUNC PRIMUM INTEGRE EDITÆ.

(Fol. 250 *a.*)

INCIPIT LIBELLUS FABULARUM ÆSOPI CATI.

I. — FABULA DE GALLO ET DE MARGARITA.

In sterquilinio quidam Pullus gallinacius, dum quæreret escam, invenit margaritam in indigno loco jacentem. Quam cum videret, sic ait : Vana res in stercore jacens, si te cupidus homo invenisset, cum gaudio rapuisset, et redires ad splendorem decoris tui. Ego te inveni in hoc loco jacentem ; potius mihi escam quæro. Hoc (*sic pro* Nec) ego tibi prosum, nec tu mihi.

Hæc illis Æsopus narrat qui ea non intelligunt.

II. — FABULA DE LUPO ET DE AGNO.

Agnus et Lupus sitientes ad ripam venerunt. Sursum bibebat Lupus longeque inferior Agnus. Lupus, ut Agnum vidit, sic ait : Turbasti michi aquam bibenti. Agnus patiens dixit : Quomodo aquam turbavi tibi, quæ a te ad me excurrit? Lupus non erubuit veritatem. Et maledicis me, inquid. Agnus dixit : Non maledixi tibi. Lupus ait : Et ante sex menses pater tuus ita fecit michi. Agnus ait : Numquid ego natus eram? Lupus improba facie dixit : Et adhuc loqueris ? Et statim in eum direxit et innocentem vitam rapuit.

Docet hæc fabula de his qui calumpniant innocentibus et inferis.

III. — DE MURE ET RANA.

Qui de salute cogitat alterius, non effugiet pœnas. Sic aud fabulam.

Mus, cum transire vellet fluvium, a Rana petiit consilium. Illa grossum petiit lignum, Murem sibi ad pedem alligavit et natare [per] flumen cœpit. In medio vero flumine Rana se in jusum (*forsan* lusum) mergit, ut miserrimo vitam eriperet. Ille validus dum tenere(n)t vires, Milvus contra volans Murem cum unguibus rapuit, simul et Ranam sustulit.

Sic enim illis contingit qui de salute cogitant alterius.

IV. — DE CANE ET DE OVE.

(Fol. 250 *b*.) De calumpniosis hominibus talis dicitur fabula, quod semper calumpniosi cogitant in bonis mendacium et secum faventes adducunt; nam et falsos testes emunt. De his ergo talis proponitur fabula.

Canis calumpniosus dixit debere (*sic*) sibi ab Ove panem, quem dederat mutuo. Contendebat autem Ovis panem se ab illo nunquam accepisse. Cum autem ante judicem venissent, Canis dixit se habere testes. Introductus Lupus ait : Scio panem com[m]odatum Ovi. Et introductus etiam Milvus ait. Coram me, inquid, accepit. Ancipiter, cum introisset, dixit : Negasti quod accepisti? Et ita (B)ovis a tribus testibus falsis judicabatur arc[t]ius exigi. Coacta vero extra tempus suum lanam suam vendidisse dicitur, ut quod non acceperat redderet.

Sic calumpniosi faciunt mala innocentibus et miseris.

V. — DE CANE ET DE PARTE CARNIS.

Quisquis alienum sumere cupit, suum proprium perdit. De talibus Æsopus fabulat (*sic*) narrat.

Canis, ante flumen transiens, partem carnis ore tenebat. Cujus umbra[m] videns in aqua, patefecit os ut illam aliam teneret, et illam quam ferebat dimisit. Statim fluvius partem

carnis rapuit, et Canis stupuit quod illam perdidit, quia putabat de aqua tollere, nec illam quam ferebat potuit tenere.

Sic qui alienum cupit, suum proprium perdit.

VI. — DE LEONE ET VACCA, AC DE CAPRA, SIMUL DE OVE.

Dicitur in proverbio, ut nunquam se jungat pauper cum potente. De ista [re] videamus quid de hac (*melius :* dehinc) fabula narrat cunctis hominibus.

Vacca, Caprella et Ovis socii fuerunt simul cum Leone. Qui cum in saltibus venissent (fol. 251 *a*) et cepissent cervum, factis partibus, Leo sic ait : Ego primam partem tollam, ut Leo. Secunda pars mea est, et mihi defendo, quia plus vobis valeo. Tertia pars mea est, et michi defendo, quia plus vobis valeo. Quartam qui tetigerit, inimicum me habebit. Sic totam prædam illam improbus abstulit.

Cunctos monet hæc fabula non sociare cum potentibus.

VII. — DE FUR(O)[E] MALO VEL DE SOLE.

A natura nemo mutatur; set malo de (*sic pro* de malo) pejor nascitur. De quo sic testatur fabula.

Vicini qui erant Furi (*sic*), frequentabant nuptias. Sapiens cum intervenisset, viciuos gratulari ut vidit, continuo narrare cœpit. Audite, inquit, gaudia vestra : Sol uxorem voluit ducere. Omnis natio interdixit ei magno clamore. Jovi conviciis non tacuerunt. Jupiter com[m]otus illis causan (*sic*) injuriæ quærit. Tunc ex illis unus ait Jovi : Modo Sol unus est nobis et æstu suo omnia turbat, ut deficiat simul omnis (om) natura. Quidnam erit nobis cum Sol creaverit filios?

Ammonet hæc fabula omnibus non gratulari.

VIII. — DE CORVO AC DE VULPE.

Qui se lauda[ri] (non) gaudet verbis subdolis, deceptus pœnitebit. De quibus similis est fabula.

Cum de fenestra Corvus occasione caseum rapuisset, alta

sedit in arbore. Vulpes, ut hunc vidit, de contra sic ait : O Corve, quis similis tibi, et quæ pulc[h]ritudo pennarum tuarum? Quam magnus est nitor decoris tui, si vocem haberes claram! At, illi dum placeret et vocem suam ostenderet, validius clamavit, et, ore pate-(fol. 251 *b*)facto, oblitus caseum decidit in terram. Quem celerior Vulpis dolosa avidius rapuit dentibus. Tunc Corvus ingemuit, ac stupore deceptus pœnituit se post dampnum.

Quid hæc autem fabula monet cunctos, nisi verbis subdolis non attendere?

IX. — DE MILVO INFIRMO.

Qui semper me blasphemat, in angustia quid rogat? Videamus ergo qualem auctor de hoc subjecit fabulam.

Milvus, cum ægrotaret et multis mensibus jaceret, nec spem vitæ suæ videret, Matrem cum lacrimis rogabat, ut sancta loca circumiret pro salute illius, magna vota promittens. Faciam, inquit, quod vis, fili; set vereor et vehementer timeo, quia omnia delustrasti et cuncta pol[l]uisti altaria, nec pepercisti sacrificiis. Quare quid vis ut orem?

Quis, com[m]isso facto malo, audet in malis suis loca sancta circumire? Nam loci facie[m] et manus lavare debent, ut male facta eorum deleantur.

X. — DE FURE ET DE CANE.

De seductore homine audiamus quid dicit auctoris fabula.

Nocturnus quidam Fur cum ad domum veniret, ut quod semper faciebat exerceret, Canis illius domi latrare cœpit. At ille Cani panem misit. Et Canis dixisse fertur : Panis pro gratia datur. Tu vero mihi das ut lædas, ut totum panem domini mei auf(f)eras et totius familiæ. Si ergo panem, quem mihi dare vis, comedero, numquid mihi dabis, cum esurlero? Set nec misericors mihi eris, quando fame defecero. Nolo fauces meas pane claudas, ut lingua sileat (fol. 252 *a*) et michi gratiam tollas. Aut ambula, aut nuntiabo domino meo et suscitabo familiam; Furem illis nuntiabo.

O bone Canis, qui nec panem vis edere nec gratiam perdere! Hoc intelligant homines, qui pro uno prandio res suas perdunt.

XI. — DE ASINO ET DE CATELLO.

Qui non debet redolere honorem melioribus, utquid se ingerit? De his auctor talem subjecit fabulam.

Asinus videbat cotidie Catellum blandari (*sic*) Domino suo et de mensa saturari, et familiam illi plurima dare. Sic Asinus dixisse fertur : Si animal immundissimum sic diligit Dominus meus et familia, quanto magis me plus diligit, cum ego melius illi officium facio? Numquid non melior sum ego quam Canis? Quia ego de aqua munda lavor, cibus mihi mundus dicitur (*sic*), par sum Catello; meliorem honorem debeo ego habere. Cum hæc Asinus secum cogitasset, vidit Dominum suum introire, et occurrit velocius clamans; elevatosque pedes priores imposuit in humeris suis et lingua lingere cœpit vestes ejus, fatigans Dominum pondere suo. Clamor autem Domini concitat omnem familiam; fustes et lapides ar[r]ipuerunt, Asini membra cædere cœperunt, fractisque costis sic eum ad præsepium duxerunt; lassum, quassatum, semivivum ligaverunt.

Cunctos hæc parabola [monet] ut qui indignum se scit, melioris officium non faciat.

XII. — DE SCROPHA (*sic*) ET DE LUPO.

Mentem ad locum habere opus est ne quis credat malo; cujus [rei] fabula ab auctore subjecta est.

Premente partum Scropha cum jaceret dolore gemens, venit ad eam Lupus et ait : Expone, soror secura, (fol. 252 *b*) fœtum; fungor obstetricis officio, stans pro solatio tibi. Porcilia, improbum ut vidit, repudiat ejus officium. Expono, inquid, frater, secura fœtum, si tu recesseris. Obsecro, da mihi honorem. Habuisti etiam et tuam matrem. Ille ut recesserat, statim fudit sarcinam. Quæ si malo se crederet, infelicissima periret.

XIII. — DE APRO ET DE LEONE ET DE ASINO, SIMUL DE TAURO.

Quicumque amisit dignitatem, deponat audaciam pristinam, ut sciat a quolibet injuriam pati, ut hæc vobis fabula probat.

Animo et viribus deceptus, Leo cum graviatus jaceret spiritum [trahens], intrans Aper ad eum venit, spumans ad eum fulminando suis dentibus, et vindicavit ictum veterem. Taurus confodit cornibus Leonis hostile corpus. Ut vidit Asinus sic, frontem illius calcibus aperuit. At ille ait : Cum fuit honor, fuit timor, ut omnes viso me fugerent, et opinio ipsa terebat plures. Quos benivolos non læsi, ipsi malignantur michi, et, quia sum sine virtute, nullus est honor pristinus.

Monet multos Æsopi fabula mansuetos esse homines in sua dignitate.

XIV. — DE LEONE ET DE MURE.

Ignarus si peccaverat et rogat, debet accipere veniam, ne forte sit ubi seniat (*sic pro* sæviat). Audiamus similem Æsopi fabulam de hac re ordinatam.

Dormiente(m) Leone(m) in silva, Mures agrales luxuriabantur, et una ex illis super Leonem transivit non volens. Expergefactus Leo celeri manu miser[r]imam Murem prehen(di)dit, et ipsa rogabat veniam sibi dare, quia non voluntate fecerat, reddens causam peccati quod plures luxuriantur et sola inter ceteras peccasse fatetur. Leo vero (fol. 253 *a*) de Mure cogitavit ut non aliquid esset vindictæ, si occideret Murem miseram, quia crimen potius illi erat, non aliqua gloria laudis; verum ut agnovit (*sic pro* ignovit), miseram Murem dimisit. Post paucos autem dies Leo in foveam cecidit. Captum se ut agnovit, maxima voce rugire cœpit et magno dolore dat sonitum. Mus illa, ut agnovit, cucurrit videre utquid Leonis esset talis vox vel quid ei accidisset. At ubi captum agnovit, ait : Qui[d] michi, si non red[d]am similem gratiam? Memor sum beneficii tui. Et ut agnovit locum rodendi, sumpsit laboris

initium, et ore suo rodentibus (*lege* rosis) nervis cœpit relevare artis illius ingenia. Et sic Mus Leonem sanum restituit.

Monet cunctos hæc auctoris fabula ne quis minimum lædat.

XV. — DE VULPE ET DE CICONIA.

Quod tibi non vis [fieri] alio, non feceris. Similem ergo auctor nobis exposuit fabulam.

Prior Vulpis Ciconiam invitavit ad cœnam, et escas sorbiles fecit et imposuit in catinum. De qua esuriens Ciconia saturari non potuit. Sic et Ciconia post paucos dies Vulpem invitavit ad cœnam, et sic Ciconia similem escam fecisse dicitur, quam in gillone decondidit, et ipsa exinde saturari cœpit. Deinde Vulpem [h]ortatur. Accipe, inquid. Et Vulpi Ciconia dixit : Si bona dedisti, accipe ; sed, si [de]dignaris, ignosce.

Cunctos monet hæc fabula, quia, si quis patitur qui alio (*sic pro* quod alii) facit, irasci non debet.

XVI. — DE CERVO FATUO.

Aliquando laudamus mala et vituperamus bona, veluti Cervus. In fonte bibit ; sua cornua ut vidit, nimium laudare cœpit et crura tenu[i]a (fol. 253 *b*) vituperabat. Dum hæc Cervus diceret, bibens ad fontem, venatoris voce[m] ut audivit et canes repentino, fugit Cervus. Per campum dicitur evasisse malos. At, ubi silva eum suscepit, magnitudo illa cornuum venantibus eum retinuit. Tunc, mortem suam videns, sic ait : Utiliora michi vituperavi, et deteriora laudavi.

Sic nos vituperamus utilia.

XVII. — DE CALVO ET MUSCA.

Qui sibi injuriam facit alio pulsante, ridendus non est; ut Calvo Musca injuriosa [in] nudo capite capillis assidue morsum præbebat. At ille sibi [non] parcebat alapis, volens iniquam Muscam occidere. Ille (*sic*) ridens plus faciebat; et Calvus ad

eam sic ait: Mortem quæris, improba. Facile tecum rideo, ingrata. Nam tu de mea morieris alapa.

Hic fabula de injuriosis dicitur.

XVIII. — DE GRACULO SUPERBO.

Ne quis de rebus alienis magnum se faciat, set sua potius modic[it]ate, ut oportet, ornetur, ne turpe sit expoliari. De hoc auctoris audi fabulam.

Graculus, superbia tumens et novam audaciam sumens, pennis Pavonis quæ ceciderant se ornavit; et cœpit contempnere suos miscuitque [se] in grege Pavonum. Illi (non) inprudenti pe[n]nas incortose eripiunt calcibus et morsibus. Semivivus ab eis relictus et graviter male[que] sauciatus, redire timuit miser ad proprium genus suum, ubi, cum esset ornatus, multos injuriose terruerat. Tunc unus ex illis ait illi: Dic nobis si erubescis. Si tuas pennas amasses, quod tibi tua natura dedit, hoc tibi sufficeret, nec ab illis passus fuisses injuriam nec a nobis pulsus fuisses, hocque tibi (fol. 254 *a*) bonum esset, si in quo habebas ivi (*sic pro* ibi) teneres.

XIX. — DE LUPO ET VULPE, JUDEX SIM[I]US.

Qui semper fraude innotuit, semper turpiter vivit, et si quod verum dicat, non illi creditur.

Lupus arguebat Vulpem iratus forti crimine. Illa negabat se esse ream. Judex Simius; et ut vera quis diceret interagnosceret, præsertim contra causas dicunt, nudant fraudes suas et vera sibi dicunt crimina. Mutus inter dicta sibi, omniverax, (in)justus, judex judicare inter partes eorum mala non erubuit, et de libello sententiam legit. Tu, inquid, non perdidisti, et te credo subripuisse quod bene negas in judicio. Talis sit abelectio nostra, et partes exite concordes.

Monet hic fabula, quia qui fraudem fecerit vel facere consueverit, semper impiissime vivet.

XX. — DE LUPO AC DE BUB(B)ULCO.

Qui videtur habere verba blanda, infidelis est, ac peccat corde, ex hoc argumento se scribi intelligat.

Cum persecutorem fugeret celeriter impius Lupus, et a B[u]bulco esset visus qua parte fugeret et in quo loco se celaret, timore plenus Bubulcum rogabat : Per os te rogo ac per ommes spes tuas, ne me persequenti tradas cui nichil fecisse juro. Et Bubulcus ait Lupo : Ne timeas, esto securus : aliam partem ostendam. Venit persecutor, rogans ostendere sibi Lupum. Peto te, inquid, Bubulce, quia vidi huc venire Lupum, ut ubi sit ostendas. Et Bubulcus : Venit quidem, sed sinistram abiit partem. Illum citius quære(re). Ad dexteram oc(c)ulis as[s]ignat persecutori loca. At ille non intellexit; set festivus (*sic pro* festinus) abiit. Tunc sic Bubulcus (fol. 254 *b*) Lupo ait: Et quid gratum habeam quo te ipsam (*sic*) celaverim ? Et Lupus ait : Linguæ tuæ gratias ago ; set oculis tuis fallacibus peto maximam cæcitatem.

Hæc illos increpet fabula, qui bilingues esse videntur.

XXI. — DE MERETRICE AC DE JUVENE.

De Meretricibus nobis auctor refert fabulam, eo quod impudoratæ feminæ imponant vim viris.

Quædam Meretrix, quæ erat perfida multum, (et) cum blandiretur Juveni, que[m] sæpe læserat injuriis, ille facilem se [præbuit] propter usum. Deinde sic Mulier ad eum : Multi mun[er]ibus super me contendunt. Ego vero satis te amo et plus diligo. Et Juvenis memor fuit quomodo esset deceptus ; tamen benigne respondit: Et ego te, inquid, mea lux, non quod tu, inquid, michi fidem serves, set quod jocunda es michi. Sic verbis deluserunt se utique.

Nam simplices homines, et si nudi sint, sic expoliantur.

XXII. — DE VIPERA ET DE LIMA FABRI.

De duobus malis auctor sub[j]icit fabulam. Omnis malus

pejorem non lædet, nec iniquus iniquum superat, et durus ad durum non hæret.

In officina cujusdam Fabri introisse dicitur Vipera. Dum quærit alimenta ciborum, rodere quærit (*sic pro* cœpit) Limam. Tunc ridens Lima ait ad Viperam : Quid me rodis? Vis, improba, tuos (vis) lædere dentes. Ipsa sum quæ consuevi omne ferrum rodere. Sed si quid forte est asperrime (*sic*), fricando facio lene. Quæ si angulum tersero, si quid est incongruum, ipsa præcido. Punire potius potes; nam tollere non potes ideo cum acriore michi.

XXIII. — DE LEONE ET ASINO.

Multi red[d]unt voces suas fortes, aliquos cupientes terrere sicut debiles. At per hoc audiàmus fabulam.

(Fol. 255 *a.*) Asinus occurrit Leoni ex adverso. Cui sic dicere cœpit : Ascendamus in quacumine (*sic*) montis, et ostendam tibi, quia multi me timent. Leo vero ridens Asello dixit. Eamus, inquid. Cum venissent ad locum, statim (*lege* stans) cum fero, Asellus in edito loco voce dimissa clamare cœpit. Quem audien[te]s Vulpes et Lepores currere cœperunt. Tum Leo contra sic dixisse fertur : Poterat me terrere vox tua, si non scirem quis esses.

Hæc fabula monet hos potius ridere, [qui] virtutem facere nullam possunt et verbis et manibus quidquam terrere se dicunt.

XXIV. — DE CAMELO ET PULICE.

Aliquanti, cum nichil sint, ipsi se magnificant. Unde auctor breviter narrat fabulam.

Pulex, stans in Cameli(s) sarcina(m), cum (h)onustus [fuisset], plaudebat sibi esse meliorem. Longum iter cum agerent, venerunt simul ad vesperum in stabulum. Pulex vero statim se ante pedes Cameli excussit, et sic dixisse fertur. Bene feci, inquit, descendens ex tuo dorso, ne te diutius grav(i)arem. Et Camelus ad Pulicem sic ait : Gratias ago, quod nec te imposito gravatus sum, nec te deposito lev(i)atus, nec te nunc exposito lev(i)atus sum.

Hæc illi audiant fabulam qui nec juvare, nec gravare pos[s]unt aliquando meliores.

XXV. — DE FORMICA ET CICADA.

[H]yemis tempore Formica, ex cavea frumentum trahens, deseccabat quod æstate colligens coagulaverat. Cicada autem eam rogabat esuriens, ut daret illi de cibo. Cui Formica ait: Quid fecisti æstate? At illa ait : Non michi vac(c)avi, sæpe, superbe cantando, exaltans vocem meam. In tantum Formica, frumentum includens, ait : Æstate cantasti, hyeme salta.

(Fol. 255 *b*.) Fabula pigrum docet ut tempore certo laboret, ne, dum minus habuerit et petierit, non accipiat.

XXVI. — DE VULPE ET DE MULO (1).

Multi sunt qui mala jactant, interrogant unde responsa redol[e]antur, et desiderant fieri magistri, cum non fuerint discipuli. Unde audi fabulam.

Mulus (et) pascebat in prâtum juxta silvas. Venit ad eum Vulpis et interrogavit eum : Quid es, tu? Et Mulus ait : Bestia sum. Et Vulpis dixit. Non, inquid, hoc dico; set quis fuerit pater tuus interrogo. Et Mulus : Equus, inquit, fuit avus meus. Et Vulpis ait. Set nec ego te hoc interrogo, inquid. Dic tantum michi qui vocaris nomine. Tunc Mulus dixit. Ignoro, inquid, nomen meum, quia eram parvus pullus, quando pater meus fuit mortuus. Ne autem oblivioni traderetur nomen meum, pater meus nomen meum fecit scribere in pede meo extremo et sinistro. Si ergo vis scire nomen meum, vade et lege in pede meo. Vulpis autem, intelligens dolum, ivit in silvam ad Lupum, quem habebat inimicum, inveniensque eum jacentem sub umbra fameque laborantem, increpavit ita : O folle, o insensate, o stulte, quare hic jaces? Cur fame laboras? Surge et vade in pratum hic prope, et ibi invenies bestiam magnam grassamque ac superbam. Quam interficiens, satia te

(1) Vide hanc fab. in *Reinhart Fuchs*, Jac. Grimm, Berol., 1834, pag. 423.

ex ea. Tunc Lupus, pergens ad Mulum in prato, ait : Quis es tu? Ait Mulus : Bestia sum. Non hoc, inquit, dico; set quis pater extitit tuus. Et Mulus ait : Equus extitit avus meus. Tunc Lupus : Nec interrogo hoc ego, inquid; (fol. 256 *a*) tantum dic michi quo vocaris nomine. At Mulus : Nomen meum, inquid, ignoro, quia eram pullus modicus, quando pater meus fuit mortuus. Ne autem traderetur oblivioni nomen meum, pater meus fecit scribere illud in pede meo extremo et sinistro. Si ergo vis scire, vade, lege in pede meo. Tunc Lupus, insipiens effectus nec intelligens dolum, ivit ad pedem Muli, et cœpit studiose mu[n]dare illum; ac putabat scriptum esse et volebat legere. At Mulus, percutiens eum in media fronte, oculos ac cerebrum excussit ejus in terram. Tunc Vulpecula, stans retro, genesta absconsa, cum derisione ac risu palmas suas percutiens, dicebat : O stulte, o folle, o insensate, o insipiens, tu litteras nesciebas et legere volebas. Juravit [per] dexteram suam, quod per rectum judicium esset percussus.

Taliter omnes insipientes, dum docti videri appetunt, frequenter labuntur in mala.

XXVII. — DE VERCO (*sic*).

Multi sunt homines, qui, non contenti privatis honoribus, cupiunt imperare majoribus ac comparibus. Unde audite fabulam.

Verris pravus morabatur inter gregem magnum Porcorum. Qui, inflatus superbia cur non esset princeps omnibus ac indignans, vertebat se in giro cum strepitu ac vocis grunnitu, fulminando et dentes limando; æstimabat alios terrere. Cumque nullus paveret, iratus ait : Quid michi prodest hic stare? Hic michi præcipienti nullus obedit et irascente[m] nullus fugit; minantem nullus pavescit. Jam ergo, inquit, hic non stabo amplius. Et surgens cœpit abire. Dum (h)abiret (fol. 256 *b*) autem, venit inter gregem Agnorum, stansque in medio, in giro se vertebat cum strepitu ac vocis grunnitu, fulminando ac spumando et limando dentes. Tunc Agniculi, videntes hoc, timore perterriti fugerunt huc omnes atque

illuc. At Verris stans ad honore[m] dixit : Hic decet me stare, quia hic est congenus honor, dignus timor. Hic me irascentem omnes fugiunt, minantem cuncti expaves[c]unt. Hic amor et vereor ab omnibus. Cumque talia per dies plurimos ageret, die quadam Lupus, patiens famem, venit ad Agniculos, volens comedere ex eis. Illi autem, videntes eum a longe, fugerunt omnes per ripas. Verris autem, ex[is]timans se def(f)endi ab Agniculis, non dignatus est fugere. Lupus autem, capiens eum, portabat eum in silvam, ut comederet eum, et (dum) casu devenit in gregem Porcorum, unde exierat. At Verris, cognoscens eos, exclamavit voce magna. At illi, cognoscentes eum, insurrexerunt unanimiter in Lupum, et, percusso ac vulnerato usque ad necem, eruerunt fratrem suum. Tunc stans Verrus (*sic*) in medio plebis, dolere (*sic pro* dolore) et verecundia plenus, dixit : Dicitur in proverbio : In adversis et in prosperis semper tenere debes cum tuis. Ego enim, nisi a meis recessissem, hæc mala non sustinuissem.

Taliter, dum multi homines ultra suum modum inperare superbe cupiunt, frequenter in malis incidunt.

XXVIII. — DE VULPE ET GALLO (1).

Sunt homines multi, qui, non prævidentes sua dicta, frequenter talia dicunt, unde postea ducuntur (fol. 257 *a*) in pœnitentiam et accipiunt dampna. Unde audi fabulam.

Vulpes aliquando, sustinens famem, ivit ad villam quandam, et veniens ante Gallum dicebat ei : O domine mi Galle, quam pulchram vocem habebat dominus meus, pater meus (*sic pro* tuus)! Nam ego, volens audire vocem tuam, veni huc. Unde rogo te ut canas alta voce, ut audiam utrum tu an pater tuus pulc[h]riorem habeat vocem. Tunc Gallus cum elatione, clausis oculis, cœpit cantare. At Vulpis, insiliens in eum, portabat eum in silvam. Tunc homines illius villæ, insequentes eam dicebant : Quia Vulpes portat Gallum nostrum. Audiens hæc Gallus dixit Vulpi : Audis quid dicunt fellones villani.

(1) Vide hanc fab. in *Reinhart Fuchs*, Jac. Grimm, Berol., 1834, pag. 421.

Dic ergo illis : Quia meum Gallum, non vestrum, porto. Tunc Vulpes, dimitte[n]s Gallum ex ore : Quia meum Gallum porto, non vestrum. Gallus autem, volans in arborem, dicebat : Mentiris, domina mea, mentiris. Ipsorum sum, non tuus. Vulpes autem, percutiens buccam suam cum palma sua, dicebat : O bucca, quanta dicis, quanta loqueris! Certe, si modo [locuta] non fuisses, prædam tuam non amisisses.

Sic multi homines, cum multa locuntur, dampnum non effugiunt.

XXIX. — DE CONSILIO LEPORUM.

Multi homines sunt ita timidi, ut aliorum minas non queunt ferre. Unde audi fabulam.

Lepores statuerunt consilium vel placitum, in quo convenientes dixerunt inter se : Quid nobis prodest vivere? Nichil enim videmus quod non metuamus; nichil audimus quod non expavescimus. Nox pro die nobis est (fol. 257 *b*) et dies pro nocte. Quid ergo nobis vita? Eamus ergo et interficiamus nos. Et conferentes adinvicem dixerunt : Quæ ergo mors eligenda est nobis? Una (*sic*) ergo, sapientior ceteris, dixit eis : Nobilissimam eligamus mortem, ut cum strepitu et salicibus (*lege* saltibus) ac cum impetu magno e[j]iciamus non (*sic pro* nos) in fluvium, et ita nitide moriemur. Quo dicto placuit omnibus, et cum strepitu et saltibus ac cum impetu magno ierunt ad flumen, ut se nec(c)arent. Ranæ autem stabant ad æstum Solis. Quæ, audientes strepitum, timore perterritæ jactaverunt se in aquam. Tunc una, sapientior ceteris, ait : State, inquid, et audite me. Nonne vidistis, quia Ranæ præ timore nostro fugerunt et se absconderunt? Unde considerandum est nobis, quia non solum nos solæ timemus, set omnis creatura timet. Una, quia non solum nos pavescimus, melius ut vivamus nobis est, quamdiu poterimus, quam (interficiamus et) ita vivaces interficiamus. Discesserunt incolumes.

Monet hæc fabula non multum timere minas quæ frequenter vanescunt.

XXX. — DE DRACONE ET DE RUSTICO.

Dracho (*sic*) morabatur in flumine, et, cum crevisset flumen, secutus est aquam per descensum, quo usque flu[v]ius minuens dimitteret illum in arena sicca. Ibique jacebat non valens pergere sine aqua. Dum autem transiret quidam Homo Agricola cum asino, dixit ad eum : O Dracho, quomodo hic jaces? Et Dracho ait : Fluvium crescentem sum secutus per descensum; qui minuens dimisit me in arido loco et nequeo ire absque aqua. Sed si me ligaveris et super asinum tuum imposueris ac me in domum tuam reduxeris, aurum et argentum ac omnia (fol. 258 *a*) bona a me accipies. Tunc Villanus, cupiditate perductus, ligavit Drachon, et imposuit eum super Asinum suum ac revocavit eum ad suum cubile. Et, cum deposuisset eum de asino ac solvisset a vinculis, quærebat quod promis(s)erat. Tunc Dracho : Ligasti, inquit, me, et imo exigis aurum et argentum? Villanus ait : Rogasti tu, inquid, me. At Dracho : Comedam te ergo, quia famem habeo. Et Villanus respondit : Vis tu ergo modo, inquit, mala pro bonis reddere? Vulpes autem, cum esset secus locum et audiret illos litigantes, ait ad illos : Fratres, quid litigatis adinvicem? Tunc prior Dracho : Iste, inquid, Villanus ligavit me fortiter, ac posuit me super asinum suum et duxit me usque huc. Et postea Homo dixit : Audi, domina mea Vulpes : fluvium crescentem hic Dracho sequens remansit in sicco. Cumque transirem, rogavit me ut ligarem illum et imponerem super Asinum meum, ac deducerem eum ad domum meam, promitte[n]s multa bona mihi, argentum et aurum multum, et modo vult me manducare. Vulpes ait : Stulte egisti, quia Drachonem ligasti. Modo ergo ostende mihi quomodo ligasti eum et tunc judicabo. Tunc Villanus, cœpit(it) ligare Drachonem. Vulpes autem dicebat Drachoni : Ligavit te fortiter ita Villanus? Et ille : Non solum tantum, sed etiam centies centesies tantum. Et Vulpes Villano : Stringe eum. Tunc Villanus, cum esset fortissimus, cœpit eum stringere secundum vires suas. Tunc Vulpes Drachoni : Ita te, inquid, ligavit?

Et Dracho ait : Ita, domina mea. Et Vulpes Villano ait : Noda ergo vincula ipsa fortiter, quia, cum [aliquis] bene ligat, fortiter distigat (*lege* distringit). (Fol. 258 *b*.) Vade ergo et inpone super asinum tuum, et revoca eum ibi unde assumpsisti. Et ibi dimitte eum ligatum ita ut est, et postea non manducabit te. Et ita egit Villanus ut indicavit Vulpes.

Taliter homines, cum pro bonis mala retribuunt, frequenter retributionem dignam recipiunt juste.

XXXI. — DE VOLPE ET DE CATO (1).

Nunt (*lege* Sunt) plures homines qui jactant se esse sapientes, ingeniosos, vitiosos, exprobantque ceteros cum irrisione. Unde audi fabulam.

Vulpes obviavit Cato in via. Ad quem prior Vulpes : Salveris, frater mi, salveris. Et Catus ad hunc : Sit salus tecum. Tunc prior Vulpes : Quas, inquit, artes scis? Et Catus : Non, inquit, scio aliquid, nisi modicam scientiam saltandi habeo tantummodo. Vulpes dixit. Non est, inquid, necessaria tibi vita, quia insipiens es, ut audio, in cuncta. Catus respondit : Ita est, domina mea, ut tu dicis. Sed rogo te, domina mea ac soror carissima, ut digneris michi dicere quantas scis artes. Vulpes respondit. Ego, inquit, centum scio artes non mediocriter, set perfecte, et unaquæque valet me pascere vel de pluribus malis eruere. Catus respondit. Tibi, inquid, congruit prolixior vita ac salus perpetua, quia ita es sapiens. Dum hæc ita sermocinarentur, dixit Catus Vulpi. Video, inquid, soror Vulpes, equitem venientem, quem secuntur duo canes rapacissimi ac nostri valde inimici. Et Vulpes : Nescis, inquit, quid dicis. Es namque insipiens ac timidus, et ideo ita dicis. Et si verum proferres, cura mihi nulla esset. Cum autem (fol. 259 *a*) appropinquasset miles, canes videntes Vulpem et Catum cœperunt velociter venire contra eos. Vulpes, ut vidit canes venientes, ait ad Catum. Fugiamus, inquid. At Catus ait : Non erit necessitas. Et Vulpes : Erit certum quod video. At Catus : Potest esse, quia erit; sed

(1) Vide hanc fab. in *Reinhart Fuchs*, Jac. Grimm, Berol., 1834, pag. 421.

amodo unusquisque pro se laboret tunc, inquit. Fugam petunt. Catus autem, inveniens arborem magnam, saltavit in eam et liberatus est. Canes autem instanter sequebantur Vulpem. Vulpes autem perniciter fug[i]ebat. Catus autem de altitudine arboris clamavit voce magna : Ecce, soror Vulpes, de centum artibus vel unam exhibe modo, quia habes longe silvam. Canes autem capientes Vulpem interfe[ce]runt.

Monet (ac) studiosos, ne ex[h]ibeant insipientes ac minus studiosos, vel ingeniosos, sive minus vitiosos.

XXXII. — DE [H]YRCO ET LUPO.

Frequenter contra fortes et potentes surgunt infirmi et pauperes. Unde audi fabulam.

Lupus sequebatur Hircum Caprarum, ut eum caperet. At ille subiit in ripam altam et ibi tutatus est. At Lupus obsedit eum ad radicem. Post biduum autem sive triduum, cum Lupus sustineret famem et Hircus sitim, disc[ess]erunt uterque, Lupus prior ut cibum caperet, Hircus vero postea ut aquam potaret. Cum autem adusque ad satietatem potasset, aspiciens umbram suam in aqua, dixit : O quas acceptas tibias et quam pulc[h]ram barbam et quam magna cornua habeo ! Et Lupus me fugat ! Amodo resistam ei et nullam ei dabo potestatem ex me. Lupus (fol. 259 *b*) autem silenter auscultabat omnia verba retro eum, infigens autem fortiter dentes in Hyrci coram (*sic pro* corium). Dixit : O domine mi Lupe, mercede agnosco culpam, quia Hyrcus, postquam potat, quod non debet parabolæ vult. At Lupus non pepercit, sed devoravit illum.

Monet autem hæc fabula infirmos ac pauperes, ne insurgant ultra contra fortes et potentes.

XXXIII. — DE LUPO ET ASINO (1).

Consilium autem ejus non deberet quisquam credere qui ei mala inferre [vult]. Unde audi fabulam.

Lupus obviavit Asino. Cui ait : O frater Asine, famem habeo,

(1) Vide hanc fab. in *Reinhart Fuchs,* Jac. Grimm, Berol., 1834, pag. 424.

et ideo, inquid, comedam te. Cui Asinus : Ut placuerit, ita facies. Nam tuum est imperare, et michi est voluntati tuæ optemperare. Si enim me comederis, ex magno labore me liberabis. Ego enim ex torculari vinum, ex area annonam, ex silva ligna, ex montibus lapides ad domus construendas def(f)ero, et ex molendino annonam fero, et, ut breviter concludam, omne (h)onus et omnis labor super me est. Ideoque væ diei in qua natus sum! Set exoro ut ex una re obaudias me. Nolo ut in via comedas me, quia timeo verecundiam. Si enim hic me comederis, vicini(u)s videntibus ac dominis meis, dicent : Quomodo Asellus noster permisit et laxavit se devorari a Lupo? Rogo itaque, ut audias meum consilium. Eamus in silvam, et faciamus ex viridibus lignis robustas redortas (*sic*), et liga me per pectus quasi servum, et ego te ligabo per collum quasi dominum; et ita perduc me ad inferiora silvæ, et ibi me comede pacifice et suaviter. Ad hoc Lupus, non (fol. 260 *a*) cognoscens dolum, ait : Ut dicis, ita faciamus. Et abierunt, et fortissimas redortas fecerunt : Lupus torquebat, Asinus apponebat. Lupus ligavit Asinum per pectus, et Asinus Lupum per collum. Tunc Asinus ait : Eamus, inquit, ubi vis. Respondit Lupus : Ostende tu in quam viam. Asinus ad hoc : Libenter faciam. Tunc cœpit ire Asinus ad domum domini sui. At Lupus, ut vidit vicum, dixit : Non per viam pergimus rectam. Asinus respondit : Noli hoc dicere, domine, qui[a], si placet tibi, recta est via. Lupus, ut agnovit fraudem, cœpit gradare retro. At Asinus cœpit violenter trahere usque ad fores domini sui. Exiens autem dominus ac cuncta familia percusserunt Lupum usque ad mortem. Unus autem, volens percutere Lupum in c[e]rebro cum securi, incidit vinculum, et ita Lupus solutus fugam petiit in montem. Asinus autem introivit in atrium domini sui. Tunc turbatus Asinus præ timore quem habuerat et præ gaudio quod habebat, cœpit magnas voces emittere. Lupus autem, stans in monte(m), contradicebat : Certe non tanta folias (*sic*), ut amplius me colligas.

Docet hæc fabula, ne facile credamus cui male interrogare desideramus, ac semel decepti fortiter nos postea prævideamus.

XXXIV. — DE SERPENTE ET RUSTICO.

Quod non facile expectat credere ei, cui male ingeris. Unde audi fabulam.

Agricola ibat serere agrum. Cum autem iret per viam, conculcavit Serpentem agriter (*sic*) dixitque ei Serpens. Conculcasti me, o amice, male nichil læsus a me. Dico autem tibi, ne credas cui malum facis. Et abiit Agricola viam suam, parvipendens (fol. 260 *b*) hæc. Sequenti autem anno, cum Agricola carperet eandem viam, ait ei Serpens : Quo vadis, o amice? Agricola respondit : Agrum serere. Et Serpens : Cave ne irriguum agrum seras, quia multæ pluviæ hoc anno erunt, et quæ seminata fuerint in terra aquosa, peribunt. Verumptamen cui male facis ne credas. Et Agricola abiit; æstimans dolum seminavit in aquosam tellurem. Ipso autem anno fuerunt pluviæ magnæ et semina aquosæ terræ perierunt, et nichil habuit homo. Item sequenti anno, cum iret per eandem viam Agricola agrum seminare, dixit ei Serpens : Ubi pergis, o amice? Agricola respondit : Agrum serere. At Serpens : Vide ne arentem seras humum, quia æstas magna hoc anno erit, et quæ seminata fuerint in agrum aridum, morientur. Verumptamen cui malum facis ne credas. Agricola autem, æstimans fraudem, seminavit in agro arido. Fuitque in illo anno magna æstas, et semina terræ perierunt aridæ, et nichil annonæ habuit homo. Alio autem anno, cum similiter iret per viam Agricola ut agrum sereret, dixit ei Serpens : Quo iteras, o amice? Agricola respondit : Serere agrum. At Serpens : In com[m]une, inquid, solum semina, ita quod nec minus sit aquosum nec valde aridum, sed ex utroque temperatum, quia tempus valde erit temperatum. Cui autem male facis ne credas. Abiit Agricola, et fecit sicut dixit ei Serpens. Extitit autem illo anno aurarum temperies congrua, et homo habuit satis annonam. Cum autem reverteretur Agricola de agro, ait ei Serpens : (Fol. 261 *a*) Fac, amice mi ; venerunt tibi cuncta quæ prædixi. Et Agricola : Fecerunt, inquid, et ideo gratias ago. Serpens

dixit : Volo, inquid, aliquam remunerationem. Agricola respondit : Qualem ergo vis retributricem? Serpens dixit : Nullam aliam, nisi ut crastina die mittas ad me unicum filium tuum cum vase fictili pleno lacte, et ostendam foramen. Ad istud, inquid, pone[t] illum. Addiditque hæc : Tamen prævide, sicut frequenter dixi, ut cui malum facis ne credas. Abiit Agricola, et die crastina direxit unicum filium suum, sicut promiserat. Et deposuit vas ante foramen plenum lacte. Protinus ergo Serpens percussit puerum, et mortuus est. Veniens autem pater ejus ad Serpentem ait illi. Illusisti, inquit, me, et interfecisti filium meum dolose. At Serpens de alta rupe talia infit. Non, inquit, dolose egi(sset), quia tu læsisti me sine causa, et nichil emendasti. Ego autem semper dixi tibi, ut cui malum facis ne credas.

Docet hæc fabula non leviter accom[m]odare fidem his quibus male facis.

XXXV ET XXXV *a*. — DE VULPE ET DE LUPO (1).

Si quis læsus fuerit ab aliquo, non debet præsumere vindictam linguæ, id est detractiones, blasphemias, quia inhonesta est hujusmodi vindicta. Unde audi fabulam.

Vulpes comedebat piscem juxta flumen. Lupus autem, cum esset secus locum et esuriret, poscebat partem ab ea. Tunc Vulpes : Non enim congruit ut tu comedas reliquias meæ mensæ. Non enim faciat Deus aliquando tam curtum judicium. Sed dabo tibi consilium : vade et affer vas quod vulgo panarium vocatur, (fol. 261 *b*) et docebo te artem piscandi, et, quando esurieris, capies pisces et manducabis. Abiens autem Lupus ad vicum furatus est panarium et attulit Vulpi. Vulpes autem ligavit ad caudam Lupi valde pa[na]rium, et dixit ei : Vade per aquam trahendo panarium, et ego retro vado summovendo pisces. Lupus autem trahebat per flumen panarium, et Vulpes caute mittebat lapides. Cum autem plenum esset, ait Lupus : Nequeo me movere neque panarium trahere. Et Vulpes ad hæc : Gratias refero quia video te strenuum in arte piscandi.

(1) Vide hanc fab. in *Reinhart Fuchs*, Jac. Grimm, Berol., 1834, pag. 425.

Sct surgam, et ibo quærere adjutorium ad extrahendos pisces de panario vel de flumine. Tunc surgens abiit ad vicum, et dixit hominibus : Quid statis ? Quid facitis? Ecce Lupus, qui oves, agnos et omnes bestias vestras comedit, de flumine vestro etiam pisces vestros abstrahit. Tunc omnes cum gladiis et fustibus et canibus ierunt ad Lupum, et usque ad mortem vulneraverunt. Lupus autem, tirando fortiter, cauda rupta evasit curtus.

Leo autem, qui rex erat bestiarum, illis diebus erat infra provinciam, habens tortiones et dolores ventris. Et ibant omnes bestiæ ad visitandum et consolandum eum; inter quas accessit Lupus et ait : O domine mi rex, ego servus tuus circuivi totam provinciam propter medicinam, et nichil amplius reperi nisi tamen hoc, quia in ista provincia moratur Vulpes superba et callida, habens magnam medicinam infra se ipsam. Hæc si dignaverit venire ad te, voca eam ad consilium (fol. 262 *a*) et erue pellem ab ea, ita tamen ut viva vadat ipsa, et statim sanus eris. Vulpes habebat foveam in ipsa rupa (*sic*), juxta ubi morabatur Leo, et diligenter auscultabat hic omnia. Cum autem recessisset Lupus, abiit Vulpes et volutavit se in volutabro luti. Et venit ante Leonem et ait : Salvus sis, mi rex. Et Leo ait : Sis salva ; sed accede huc ut osculor te, et dicam tibi aliquid mei secreti consilii. Ad hæc Vulpes respondit : Cernis, domine mi, quia ex velocitate itineris sum sordida ex luto et stercoribus coinquinata, et vereor ne ob fetorem pes[s]imum vexentur viscera tua, si prop(r)ius accessero. Sed, postquam balneavero me ac pectenavero, veniam ante conspectum domini mei regis. Set, antequam disce(n)dam, dicam causam pro qua veni. Ego ancilla tua circuivi totum fere prope mundum pro medicina et nichil amplius valui(t) discere, nisi tantum hoc quod indicabit (*sic*) mihi quidam medicus græcus, qui est in ista provincia, Lupus magnus, curtus, qui propter medicinam amisit caudam, quia valde medicinam fertur habere. Hic si venerit, voca eum ad consilium, et extende pedes tuos pulcherrimos super eum, et exue pellem tum suam totam, nisi hoc solummodo, quod in capite et in pedibus gestat, ita tamen caute ut vinis (*sic pro* vivus)

evadat, et, dum calida erit pellis, involve tuum ventrem et recipies sanitatem. Et hæc dicens recessit. Statim igitur Lupus ante Leonem venit, vocavitque eum Leo statim ad consilium, et extendit pedes suos tulitque totam pellem corporis, excepto capite et pedibus, et involuit ventrem interdum cal(l)ida. Muscæ (fol. 262 *b*) autem et Vespæ ac [S]crabones cœperunt comedere carnes ejus et aculeis s[t]imulare. Cum autem velociter fugeret, Vulpes stans in alta rupe clamabat cum risu : Quis es tu qui pergis deorsum per pratum, gantos in manibus et capellum in capite gestans? Audi quid dicam : quando pergis per domum, benedic de domino, et quando pergis per curtem, benedic de omnibus. Et si nec bene nec male de omnibus, dimitte stare.

XXXVI. — DE INFORTUNIO LUPI (1).

Multi altiora se quærunt et fortiora scrutantur, et ultra suum gradum ascendente[s] alta petunt et deliciosa quærunt; set [quo] altius ascendunt, frequenter deterius labuntur. Unde audi fabulam.

Lupus, surgens summo diluculo de cubili suo, cum extenderet pedes, ait : Gratias ago Deo, quia in hac die dignitatibus satiabor, ut mihi modo demonstravit pes posterior. Et, dum iret per viam, invenit adipem integrum qui ceciderat iterantibus, et vertens illum ait : Non comedam ex te, quia motionem viscerum meorum faceres. Et quare comedere[m] ex te? Hodie enim satiabor de dignitatibus, ut summo diluculo meus mihi pes posterior nuntiavit. Et, progrediens inde, invenit corpus Suis salitum ac sic[c]um. Et vertens illud dixit : Non comedam ex te, quia sitim ingereres michi. Et quare comederem ex te, cum sciam me hodie de dignitatibus satiari? Et, discedens inde, invenit Equam pascentem cum pullo suo, et ait : Deo gratias ! Ego autem sciebam, qui hodie epulabor de dignitatibus. Et dixit ad Equam : Certe, soror, pullum tuum comedam. Equa ait : Ut placuit, ita facies. Set die externa iteranti michi in pede meo

(1) Vide hanc fab. in *Reinhart Fuchs*, Jac. Grimm, Berol., 1834, pag. 429.

in-(fol. 263 *a*)fixa est spina. Quam oro ut prius educas, quia medicus es, et postea pullum comedes. At Lupus, pergens ad pedem Equæ, volebat spinam trahere. Equa autem, percutiens eum in media fronte, agiliter cum pullo suo silvam petiit et liberata est. Lupus autem, ut agnovit spiritu[m], dixit : Nulla est michi cura ex hac injuria, quia hodierna die ero satiatus. Et, recedens inde, cœpit ire per viam, et invenit duos Arietes præliantes in partum (*sic pro* pratum). Et ait : Deo gratias ! Modo satiabo me de dignitatibus. Et dixit eis : Vere, fratres, unum ex vobis comedam. At unus respondit : Ut placet, ita fac. Set prius judica inter nos judicium rectum. Hoc pratum fuit patribus nostris. Nos autem, ignorantes eum dividere, agimus prælium. At Lupus : Faciam ut vultis, si dixeritis modum. Unus Aries ait : Audi, domine ; sta, si placet, in medio prato, et ego ibo ad unum capud et alius ad alium, et qui prior erit ad te, illius sit, et alium comede. Et Lupus ait : Ita facite. Et abeuntes ad capud prati, Arietes venerunt cum magno impetu velociter usque ad Lupum, et pertuserunt eum ex utraque parte ita vehementer ut propriis stercoribus coinquinaretur. Et fractis costis abierunt, semivivo relicto. Post aliquam autem [m]orâm recuperato spiritu, dixit : Nec ex hac injuria est michi cura, quia hodie ero satiatus. Et, recedens inde, invenit Scropham cum porcellis suis pascentem. Et ait : Gloria tibi, Domine ! Ego enim sciebam, quia hodie invenirem cibum delicatum. Et dixit ad Scropham : Comedam ex porcellis tuis, soror mea. Respondit Scropha : Ita faciès, ubi placuerit ; sed rogo ut ante (fol. 263 *b*) baptizes eos, quia pagani sunt. Et tunc manducabis eos secundum voluntatem tuam. At Lupus : Ostende, inquit, fontem. Tunc Scropha duxit eum ad canalem, per quam (*lege* quem) influebat aqua in molendinum, et ait : Ecce fons sanctificatus. Et in summitate canalis stans fingensque se esse prespiterum, voluit arrip[er]e porcellum, ut intingeret in aqua. Tunc Scropha cum grunnitu oris vehementer inpegit Lupum per mediam canalem, et vis aquarum rapuit eu[m u]sque ad rotam ligneam, et radii rotæ contriverunt vehementer membra ejus, et vix infugiens dixit :

Non est michi multus dolor ex hac fraude, quia in hac die reperiam cibum delicatum. Transiens autem juxta vicum, vidit Capras stantes super clibanum, et dixit : Deo gratias rependo, quia video cibum michi ambulantem. Et cœpit ire ad eas. Capræ autem, ut viderunt Lupum venientem, absconderunt se in clibanum. Lupus autem, veniens ante furnum, ait : Avete, sorores. Certe ex vobis comedam usque ad satietatem. At illæ dixerunt : Audi, domine. Nos autem ab (*lege* ob) nullam causam venimus huc, nisi ut missam audiremus, quam precamur ut cantes. Et postea egrediamur ad te, et facies quod tibi placuerit. At ille, fingens se esse episcopum, cœpit ante clibanum ululare magnis vocibus. Homines autem vicini, audientes Lupum ululare, exierunt cum fustibus et canibus, et percusserunt eum usque ad mortem, ac canes eum volneraverunt. Et vix semivivus evasit. Tunc, veniens ad quandam arborem magnam, projecit se sub ea, et (s)cœpit secum quærere ac vehementer (fol. 264 *a*) se ipsum increpare, ita fando : O Deus, quanta mala die hodierna super me sunt injecta. Set, ut recolo, magna ex parte mea est culpa. Unde hæc michi tam superba mens, ut adipem respuerem, carnem por(s)cinam ac salitam refutarem ? Addeb(e)at : Quia pater meus non fuit medicus, nec ego didici medicinam, et unde hoc michi, ut medicus essem, qui volui educere spinam de pede Equæ ? Pater meus non fuit judex, nec ego didici legem, et unde hoc michi ut vicarius essem, qui volui judicare Arietes ? Pater meus non fuit prespiter, nec ego litteras didici, et unde hoc michi processit ut baptizarem porcellos ? Pater meus non fuit clericus, et ego nullum ordinem ecclesiasticum habui, et unde hic michi error ut episcopus videri appeteret, quia missam volebam canere et benedictionem dare ? Et oravit ita : Domine Deus, utinam descenderet magnus gladius de cœlo et percuteret me valde. Homo autem, qui erat in arbore mundans eam, quando venit Lupus subter eam, diligenter auscultabat omnia verba hæc. Et dum finisset planctum, homo jactavit securim, et percussit Lupum ita fortiter, ut volveretur super terram in similitudinem rotæ ; et, cito surgens ac suscipiens ni

cœlum, deinde ad arborem ait : O Deus, quam exaudibiles ibi habentur reliquiæ ! Et cursu agili, percussus ac vulneratus, silvam petit humiliatus, qui ex ea exierat superbus.

Instruit hæc fabula non velle dici quod non est, nec altiora et fortiora sequi, sed unumquemque gradu suo contentum.

(Fol. 264 *b*.) — XXXVII. — DE VENATORE ET DE ARATORE.

Multi aliquando multa petunt ar[r]oganter in alienis domibus, quæ nequeunt habere in propriis, et plangunt quasi amissa illa quæ nunquam habuerunt. Unde audi fabulam.

Lepusculum persequebatur Venator cum canibus. Et dum fugeret Lepusculus, contigit ut transiret juxta Aratorem. Arator autem, percutiens eam (*sic*) cum baculo, abscondit sub sulco ac co(h)operuit humo. At post, a longe veniens, Venator clamabat ad Bubulcum : Vidisti, o Arator, transire Lepusculum? Arator respondit. Nescio, inquid, quid loqueris. Ad hæc Venator plangens ait : O quam bonus fuerat cum pipere! Tunc Bubulcus plangens ait, instigans boves cum stimulo : Ite, quia optimus erit cum sale.

Monet hæc fabula non quær[er]e inpossibilia in alienis locis, nec plangere hoc, quasi amissum, quod non aliquando habuit quis.

XXXVIII. — DE MURE ET DE RANA [UNA PRANDENTIBUS].

Frequenter pro bonis retribuuntur mala et post fide[m] redditur dolus. Audi fabulam.

Mus invitavit Ranam ad prandium. Quæ, cum de diversis epulis saturata recessisset, post triduum reversa est, invitans Murem ad convivium. Et d(ud)um pervenissent ad fluvium, prior Rana insiluit in flumen. At post invitavit et Murem. Tunc Mus, non cavens dolum, insiluit post eam, et, cum cœpisset mergi, clamabat ad Ranam : Quid faciam, soror? At Rana cum irrisione et dolo dicebat : Soror me[a], inquit, carissima ac amantissima, si non comedimus, saltim (*sic*) (fol. 265 *a*) bibamus. Taliter decepta, Mus periit et necata est.

Docet hæc fabula nunquam inimicis, sed nec aliquando fidem ac[c]om[m]odare amicis.

XXXIX. — DE CANE ET DE LUPO ET DE HOMINE AVARO.

Dum frequenter familia non bene pascitur a patrefamilias, frequenter ipse senior patitur dampnum propter avaritiam; et, dum aliquis excedere vult suam naturam, cadit aliquando in malum. Unde audi fabulam.

Dives quidam habebat magnum gregem ovium, et habebat Canem qui cum eis morabatur ob def(f)ensionem luporum; set non eum pascebat propter avaritia[m]. Unde cadam (*sic pro* quadam) die veniens Lupulus ad Canem ait ei. Quare, inquid, ita es attenuatus macie et prodendo fame[m] periclitaris? Quia dominus tuus avarus est nimis. Set, si vis, dabo tibi consilium bonum. Canis respondit : Est michi necessitas bonorum consilium. Lupus dixit : Ingredi(eb)ar quid[em] inter agnos, et capiam unum ex eis, et simulabo fugam. Tu autem persequeris me citius. Antequam sis ad me, pro[j]ice te, quasi cadens et non valens me persequi pro fame et debilitatione corporis. Tunc pastores et cuncta familia, videntes hæc, dicent : Certe, si Canis noster abundanter sumeret cibaria, Lupus non portaret Agniculum nostrum, nec pellem integram. Tunc, æstimo, accipies satis cibum. Et Canis dixit : Fac ut dicis. Tunc Lupus, ingrediens inter agnos et accipiens unum, simulavit fugam. Canis autem insequebatur eum citius. Set antequam perveniret ad eum, jactavit se in terra, quasi non valens esset sequi eum præ magnitudine famis. Tunc (fol. 265 *b*) pastores et cuncta familia dicebant : In veritate, si dominus noster pavisset hunc pane, Lupus non tulisset Agnum nostrum, nec portasset pellem integram. Audiens autem hæc, Dominus, fingens se iratum, plenus rubore et verecundia, ait : Maledicat eum Deus qui ei cibum debuerat dare! culpans familiam suam. Sed amodo, inquit, date ei cibum. Et tunc cœperunt ei dare justarium et panem ex furfur[e] frumenti. Et Canis cœpit recipere vires. Post paucos autem dies iterum veniens, Lupus ad Canem dixit :

Bonum, inquid, consilium tibi, frater mi, dedi. Canis respondit. Necessarium mihi, inquid, erat illud. Lupus ait : Si vis, dabo tibi melius. Canis dixit : Audiam illud. Lupus ait : Ingrediar nunc inter agnos, et tollens agnum similabo fugam. Tunc autem tu, insequens me valide, vade usque ad me et percute me cum pectore tuo, leviter tamen, et tunc pro[j]ice te in erram, quasi non valens surgere præ debilitatione corporis tui. Videntes autem hoc, pastores dicent : Vere, si pleniter acciperet escam Canis noster, Lupus non tolleret agnum nostrum nec pergeret vivus. Tunc Canis : Timeo, inquid, dominum meum valde, qui dat mihi escam, tamen non usque ad satietatem. Quid vis fac, ut dicis. Tunc Lupus, tollens agniculum pinguissimum, petebat fugam, et Canis perniciter sequebatur eum, usque dum percuteret eum pectore fortiter, et projecit se in terram, quasi non valens superare eum præ fame et macie corporis. Tunc pastores et omnis familia clamabant : Certe Canis noster si secundum (fol. 266 *a*) voluntatem suam acciperet victum, non comederet Lupus agnum nostrum pinguem, nec ambularet vivus. Audiens autem paterfamilias, plenus ira et furore dixit : Abundanter cibate eum. Post hac die et post modum dabatur ei juscum [de] carne cocta et panis de mundo tritico. Et ita paucos inter dies plenam recepit fortitudinem, post damnum videlicet domini sui. Post hæc autem veniens Lupus ad eum dixit ei : Optimum dedi tibi consilium, frater. Canis respondit. Optimum, inquit; et michi erat necessarium et tibi congruum. Et Lupus ait : Ergo introibo inter multones et portabo unum ex eis pro mercede mea. Canis dixit : Accepisti mercedem tuam; nam duos ex agnis domini mei comedisti. Lupus dixit : Faciam, si placet ita. Canis ait : Nolo ut facias; nam, si feceris, [j]uro tibi per meam vitam, vivus non ibis. Audiens hoc, Lupus dixit : Da ergo consilium quid agam, quia fame pereo. Canis dixit : Diu (*lege* Vidi) quod cecidit unus (*lege* intus) clavatura, scilicet panis (*lege* clavis) ex cellario domini mei, ubi est panis (h)abunde nimis munda (*sic*), et ubi sunt carnes suillæ in sale, et ubi sunt vasa vinaria plena vino. Vade ergo hac

nocte ibi et satia te optime. Lupus dixit : Dolose hæc dicis; quia, si introiero, mox nuntiabis domino tuo ac familiæ, et interficient me. Canis vovit ei fidem suam, quod non faceret : Non enim ex divitiis domini mei mihi aliquid est commissum, nisi tantum solæ oves, et ideo non prodam te. Tunc Lupus, nocte facta, perrexit et introivit in cellarium, et comedit abundanter panem et cárnem (fol. 266 *b*) pinguissimam. Deinde, trahens vinum de vase vinario, bibit et inebriatus est. Tunc dixit ad se ipsum. Villani, inquid, saturati et inebrii, cantant cantiones suas. Et ego cur cantiones meas non canto, cum sim satur? Cantare et tunc cœpit. Et emittens semel vocem, audierunt canes et cœperunt latrare. Et emittens secundam, audierunt homines et dixerunt : Lupus est hic prope. Deinde tertiam emittens vocem, dixerunt : In cellario est. Et abierunt (*lege* adierunt) et occiderunt eum.

Castigat hæc fabula divites, potentes ac seniores, ut suas mansionatas pascant.

ÆSOPUS EXPLICIT, ETC. FINIS LIBELLI FABULARUM ÆSOPI, ETC.

ANONYMI FABULÆ,

EX ARCTOPOLITANÆ BIBLIOTHECÆ CODICE
MS. 679 EXCERPTÆ ET NUNC PRIMUM IN LUCEM PROLATÆ.

(Fol. 80 *a*, col. 2.)

HIC INCIPIUNT FABULÆ YSOPI.

I. — [LUPUS ET AGNUS.]

Lupus et Agnus venerunt bibere ad fontem. Agnus fuit inferius et Lupus superius. Tunc ait Lupus Agno : Tu mihi turbas aquam. Immo, respondit Agnus, vos mihi turbare potestis; ego autem non possum vobis. Offendisti me, ait Lupus, nunc est annus. Certe, ait Agnus, nundum (*sic*) habeo sex menses. Ergo præfuit pater tuus; vindicabo me in te.

Contra quærentes occasionem nocendi.

II. — [AQUILA ET EJUS FILIA.]

Aquila, habens filiam, quæsivit ab omnibus consilium, cui deberet tam nobilis domicella despon-(fol. 80 *b*, col. 1)sari. Qui omnes concordaverunt quod Soli. Respiciens Aquila non vidit Bubonem et mittens pro eo dixit : Hoc consilium mihi dederunt; tamen, quia estis de hominibus meis, volo vestrum audire consilium. Qui ait : Vos estis avis fortior et nobilior et magis approquinquatis Soli; tamen aliquando gravat vos, multa (*sic*) plus nos debiliores, et si filia vestra maritaretur Soli, nulla avis poterit durare. Verum, inquit, est; non fiet ita.

Docet petere consilium aperius, quia aliquando melius invenitur.

III. — [VULPES ET CORVUS.]

Corvus, tenens caseum in rostro, rogatus est a Vulpe cantare, cum vocem melodiosam haberet, ut dixit. Qui parum

cantavit. Tunc ait : Altius prædico cantetis. Quo canente altius, caseus cecidit et Vulpes comedit.

Et docet hic non credere blandis verbis hominum.

IV. — [LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.]

Leo fuit quidam ita ferus, quod omnia animalia fugiebant eum. Tandem, præ senectute destitutus totus, jacuit in campo et affuit Aper spumans, qui (80 *b*, col. 2) cum dentibus ventrem dilaceravit. Affuit Cavius (*lege* Taurus), qui cum cornibus impegit. Affuit Asinus, qui cum calce caput ejus destruxit.

Et docet non lædere pauperem nec habere nimiam ferocitatem in dignitate.

V. — [LEO ET MUS.]

Leo satiatus in silva sensit Murem super se ludentem, quem accipiens ait : Te comedam. Quæ implorabat liberationem, dicens se vicem reddere tempore op[p]ortuno. Qui ait : Nichil boni vel mali potes facere mihi. Actum ne cedat in obprobrium meum occidere tam vile animal, te dimitto. Quæ paulo post Leonem, captum in funibus, liberavit, corrodendo funes.

Docet non spernere pauperes, quia mutuum possunt juvare et vicem reddere et funes peccatorum corrodere.

VI. — [LUPUS, BUBULCUS ET VENATORES.]

Lupus, fugiens cum Ariete, rogavit Bubulcum ut celaret eum, et daret ei pellem. Venientes insequentes Lupum et quærentes, ostendebat Lupum absconditum cum oculis et vultu, et negabat verbaliter (non) esse hic; et iverunt ultra, et Lupus recessit, dicens Bubulco : Benedictum sit verbum tuum. *Mes male goute criest les ieux.*

Hæc contra duplices.

VII. — [ASINUS ET LEO.]

Leo. Asinum inveniens et comedere (fol. 81 *a*, col. 1) volens, dimisit tandem rogatus, quia vile animal et nimis vilem

carnem habebat. Tunc duxit eum in montibus, eundens (*sic pro* ostendens) varia genera bestiarum ad usum suum parata, et ait : Vis ut ostendam quomodo timent me? Ita, Domine. Et clamavit Leo, et ceciderunt in terram trementia. Domine, permitte me clamare. Quod audientes bestiæ, et juxta cantum suum credentes plures esse Leones, amplius timuerunt et tremuerunt. Hæ, inquit Leo, ita te timent, sicut et me.

Et docet quod multi, si essent in magno statu, ita bene scirent facere quod magni faciunt; sed non creditur, quia non exponuntur.

VIII. — [VULPES ET MULUS.]

Vulpes, videns Mulum, quæsivit cujus generis erat et quod nomen est. Qui ait quod ignoravit quod nomen sibi fuit impositum (*sic*), quia nimis juvenis, et ideo pater suus fecit ei scribi sub pede. Qui fraudem avertens Lupo nuntiavit; qui, veniens et videre volens, interfectus est. Quem deridens, Vulpes ait : Justo judicio hoc pateris : volebas legere et litteras nesciebas.

Et docet hoc non nimis inquirere nec omni spiritui credere.

IX. — [LEO ÆGROTANS, LUPUS ET VULPES.]

Lupus custodiebat Leonem erogantem (*sic*), et visitantes mul-(fol. 81 *a*, col. 2)ti ve[n]iebant. Tandem Vulpes, audiens ipsum sanatum, in mane veniens compultus (*lege* complutus) totus et lutosus, salutavit Leonem, statum ejus requirens. Respondit Leo quod multum fuerat infirmus. Quod audiens, Lupus Vulpi semper inimicus ait : Domine, non est animal, quod non visitavit vos, excepta Vulpe, et, si non sciret vos in convalescentia, adhuc non venisset. Tunc Vulpes : Domine mi, ego eram in monte Pessulano, et audiebam de medicina, et, audita infirmitate vestra, non cessavi venire, per lutum, plateas lutosos (*sic*) et per pluviam, ut videtis, nunc studere de die et nocte, ut docerem vos qualiter haberetis sanitatem perfectam. Tunc Leo : Deficit mihi ut habeam Lupum VII annorum. Ubi, inquit, accipiemus? Ait Vulpis : Ysengrinus vester, nobis

fidelis, qui est hic, nobis non deficiet. Accipite eum, dixit Leo. Tunc Lupus : Mater mea dixit mihi, quod non sum animal III annorum. Tunc Vulpes : Ad opus totum cognoscetur. Et sic factum est de eo quod credebat de alio procurare.

Quia frequenter justo Dei judicio venit malum super tales.

X. — [MUS ET RANA.]

(Fol. 81 *b*, col. 1.) Mus volens transire fluvium, Ranam consulens, petiit filum, et [Rana], ad pedem Muris ligans, natando misit se in aquam, ut vitam subriperet, et, dum invicem contenderent, venit Milvus et utrumque rapuit.

Et hoc contra illos qui cogitant aliis mala.

XI. — [OVIS, CANIS, LUPUS, MILVUS ET ACCIPITER.]

Canis calumpniosus dixit sibi deberi ab Ove panem, quem mutuo tradiderat. Qua negante, ait Canis se habere testes. Lupus testis ait : Scio hoc. Inquit Milvus : Coram me fuit factum. Ancipiter inquit : Negasti quod accepisti. Et sic per falsos testes coacta est lanam suam vendere ante tempus.

Et hoc contra falsos testes et calumpniosos.

XII. — [CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.]

Canis, fluvium transiens, ore frustum carnis tenens et in aqua umbram videns, ap(p)eruit os ut caperet umbram, et sic utrumque perdidit.

Et hoc contra cupidos, qui totum habere volunt et totum perdunt.

XIII. — [VACCA, CAPRA ET LEO.]

Vacca et Capra sociaverunt se Leoni venando, et capto cervo ait Leo, factis partibus : Primam partem tollo, ut dominus, secundam ut socius, tertiam, quia omnes def(f)endo; quartam qui accipit, eum reputo inimius (*sic pro* inimicum).

Et docet hoc non sociari (fol. 81 *b*, col. 2) potentibus.

XIV. — [MILVUS ÆGROTANS.]

Milvo erogante (*sic*) et longo tempore jacente et de vita desperante, rogata est mater ejus ab eo, ut circumiret loca sancta, pro eo vota faciens. Faciam, inquit, fili, quod vis; sed omnia polluisti altaria. Numquid vis ut orem?

Et docet non esse recurrendum ad illos, qui (*melius* quos) deshonestaverunt.

XV. — [CANIS FIDELIS.]

Fur, volens furari, Cani promisit panem. Ad quem Canis inquit : Pro gratia datur; tu vero das ut lædas et panem domini et familiæ auferas; et, si modo dares, et alias esurienti non dares, nec misereberis mihi, cum fame defecero. Nolo fauces pane claudas et lingua sileat et granum tollas. Recedat (*sic*), aut adesse Furem domino et familiæ nuntiabo.

Et docet ad constantiam veritatis.

XVI. — [VULPES ET CICONIA.]

Vulpes, invitans Ciconiam, paravit sibi escas sorbidas (*sic*). Non potuit satiari. Quæ, reinvitans Vulpem, easdem paravit (dicens). Accipe, inquit, sicut dedisti, et, si dignaris, agnosce.

Hoc docet, quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.

XVII. — [CERVUS AD FLUVIUM.]

Cervus, ad fluvium veniens, videns cornua in aqua commendavit, et vituperavit crura. Tandem persecutus a venatoribus, dicitur (fol 82 *a*, col. 1) evasisse. Alia die silvam petens, captus est, et, videns sibi mortem imminere, ait : Deteriora laudant et u(l)tiliora vituperant.

XVIII. — [GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.]

Graculus, pennas suas spernens, ornavit se pennis Pavonis, et, se miscens in consortio Pavenum (*sic*), spoliatus est, et usque ad mortem verberatus, nudatus et non tantum alienis, sed

etiam propriis, et correctus est. A suis contemptus (fuisset), nunquam hoc passus esset.

Et docet non se extollere de rebus alienis.

XIX. — DE CYCADA ET FORMICA.

Formica in æstate congregavit alimentum. Cycada tunc cantavit, et nihil paravit pro se in hyeme. Venit ad Formicam, subsidium petens. Cui Formica : In æstate cantasti, salta in hyeme.

Et contra pigros valet.

XX. — [VERRIS ET PORCI.]

Verris, inter Porcos spumans, non timebatur ab eis, et ex indignatione declinavit ad Agnos, et fortitudinem ostendens. Timentes fugerunt. Et, cogitans quod ibi honorifice esset, remansit. Et veniens Lupus, Agnis fugientibus, eum cepit, non juvantibus Agnis. Et, transiens per gregem suum Porcorum, liberatus est ab eis.

Docet non quærere (fol. 82 *a*, col. 2) gloriam, sed esse contentum statu debito.

XXI. — [VULPES ET GALLUS.]

Vulpes, famen (*sic*) patiens, venit ad Gallinam, commendans patris sui vocem et suam, et rogans ut cantaret. Gallus, elevatus et elatus, audita adulatione, clausis oculis fortissime cantans, captus est a Vulpe. Quem cum portaret, dicebant homines : Gallum nostrum portat. Audi, inquit, domine; dicunt quod Gallum suum portat. Dicas : Immo meum. Quod et fecit, et sic Gallus evasit. Mentiris, non est tuum, immo meum. Et percutiens Vulpis bu[c]cam suam ait : Si locutus (*sic*) non fuissem!

Docet non multum loqui.

XXII. — [LUPUS ET ASINUS.]

Lupus, obvians Asino, dixit se eum comedere; et consensit sub conditione, quod eum non comederet in via propter ejus

confusionem, sed irent ad silvam et retortas facerent, Lupus[que] ligaret Asinum. Et cum ad præceptum Lupi viam ostenderet, duxit Lupum ad domum domini sui; et, cum Lupus fraudem perciperet et voluisset retrocedere, non potuit. Tunc quidam servus, credens interficere Lupum, incidit vinclum, et fugit Lupus.

Docet non credere cuique.

XXIII ET XXIII *a*. — [VULPES ET LUPUS.]

(Fol. 82 *b*, col. 1.) Lupus ad Vulpem comedentem piscem petebat sibi dari. Ad quem Vulpis : Non est, inquit, decens comedere reliquias mensæ meæ; sed vade piscatum, hamo ligato ad caudam, et multos accipies. Qui vadens piscari, sequebatur Vulpis, ponens lapides in hamo. Ipse credebat piscam (*sic*) capere, et cum piscaretur, ivit Vulpes ad homines villæ illius, et revelavit Lupum furari pisces suos. Qui, invenientes, tantum verberaverunt, quod turtus (*sic pro* curtus) sine cauda recessit.

Et, veniens Lupus ad Leonem, patientem tortiones, dixit quæsivisse medicinam, pellem Vulpis excoriatæ ponendam ad ventrem. Cum autem mandaret Leo pro Vulpe, excusavit se non posse venire propter suam nimiam immunditiam, qua Leo etiam gravaretur. Sed medicinam docuit efficacem de corio Lupi turti (*sic*) posito super ventrem, si excoriaretur vivus et poneretur calidum, corio in pedibus Lupi et in capite remanente. Leo autem fecit de Lupo; et Vulpis, stans in occultum et videns Lupum excoriatum sic incedentem, clamavit : Quis est ille valletus habens terothecas in manibus et certum in capite?

Et valet contra procurantes malum aliis.

XXIV. — [MUS ET RANA PRANDENTES.]

Mus invitavit Ranam ad prandium, et, satiata deliciis, iterum (fol. 82 *b*, col. 2) Rana Murem. Et veniens ad fluvium, prima intravit, et Mus post eam. Et, cum Mus cœpisset sub-

mergi, a Rana auxilium implorabat. Ad quam Rana : Soror dulcissima, si non comedimus, saltem bibamus.

Et docet non credere inimicis nec aliquando fidem præstare amicis.

XXV. — [CANIS ET LUPUS ET HOMO AVARUS.]

Canis cujusdam divitis, male pastus, macer erat et tenuis, et, dum custodiret gregem, allocutus est Lupo compatiente (*sic*); dixit quod arriperet Agnum, et Canis insequeretur, non tamen usque ad eum, et sic compatientes pastores et dominum increpantes, quod non bene pasceret Canem, dare[n]t ei ad comedendum; quod et factum est. Secundo Lupus veniens accepit Agnum, et insecutus Canis cum eo luctavit et cecidit. Tunc pastores : Vere, si bene pastus esset, Lupus non portasset Agnum. Quod referentes domino, optime pavit. Tertio volens accipere Mutonem, non permisit Canis, dicens ipsum habuisse Agnos et quod dabat consilium quod iret ad cellarium domini, de quo non erat ei cura, et carnem et panem [comederet] et vinum biberet. Qui, timens fraudem, assecuratus est ab eo. Qui vadens comedit et bibit, et cantavit exemplo rustrorum. Quod audientes famuli cucurrerunt et interfece-(fol. 83 *a*, col. 1)runt.

Et docet quod qui male familiam pascit, dampnum incurrit.

XXVI. — [NATUS CLAUSTRUM QUÆRENS.]

Natus noluit (*sic pro* voluit) religionem intrare, et vadens invenit unum de consociis suis, captum in caplera ferrea, dicentem hoc esse claustrum suum. Qui respondit se non intrare, quia nimis strictum. Iterum procedens invenit unum in balistica per collum, nec cum eo voluit remanere, dicens ordinem suum nimis gravem et durum. Et ultra vadens invenit socios in horreum, comedentes [h]ordeum et siliginem et frumentum et carnes, et illum intravit ordinem.

Contra quærentes religionem cum deliciis.

XXVII. — [SIMIA, EJUS FŒTUS ET URSUS.]

Simia habens fœtum quem tener[r]ime diligebat, et [fœtus] ludens juxta Ursum, ligatum cathena, captus est et comestus ab eo. Quod videns Simia congregavit paleas juxta Ursum et combussit eum.

Docet nulli nocere nec facere malum, quia vicem recipiet in fine.

XXVIII. — [CANIS ET DOMINUS INTERFECTUS.]

Canis quidam, interfecto domino suo ab inimico, custodiebat corpus, et panem sibi datum in curia asportabat et ponebat super os domini sui. Et vi-(fol. 83 *a*, col. 2)dens inimicum, currens ad eum, quia dominum suum interfecerat; servi mirantes invenerunt dominum mortuum, et illum [inimicum] ceperunt et suspenderunt devictum in campo a Cane.

Et docet multo amplius quam canes esse fideles.

XXIX. — CANIS ET PUER IN FLUMEN LAPSUS.]

Canis quidam videns Puerum, ludentem juxta ripam fluminis Jordani, cadentem in fluvium. Canis, eum secutus natando, cum dentibus eripuit eum.

Docet homines sibi invicem debere patrate suffragia.

XXX. — [LEO ET PASTOR.]

Leo quidam, habens spinam in pede, ad Pastorem accedens (accedens); ab eo amota est. Qui Leo in loco est positus. Pastor autem latro et homicida est effectus et captus, et cum leonibus ad devorandum est positus. Quem Leo recognoscens ab aliis def(f)endit et illæsum custodivit. Quod videntes et veritatem cognoscentes, utrumque liberaverunt.

Et docet homines esse gratos de beneficiis.

XXXI. — [ARIES ET DOMINUS CALVUS.]

Aries nutritus instructus est cum disco hurtare. Quadam vice(m) Dominus, qui bene hauserat et erat calvus, amoto

caputio, cœpit dormire. Quod videns, Aries cogitavit Dominum suum ad hurtandum invitare, et hurtando inter-(fol. 83 *b*, col. 1) fecit eum.

XXXII. — [VULPES ET AVICULA.]

Vulpes, inveniens Aviculam, ait se venire de parlamento, ubi pax fuerat facta et jurata inter aves et bestias. Et ideo, inquit, accede huc ut dem tibi osculum. Quæ accedens capta est.

Docet habere cautelam.

XXXIII. — [LUPUS ET VULPES FAMELICA.]

Lupus, inveniens Vulpem famelius (*sic pro* famelicam), ait : Vade et aperi os tuum. Ibi est et cantat illa avis Philomena, et cadet in os tuum, et tunc eris mirabiliter satiatus. Qui vadens ap(p)eruit et cecidit. Cui Lupus : Non fecisti quæ dixi. Respondit : Sic, sed certe *il ni a que plumes et paroles*.

Sic in multis non sunt nisi verba.

XXXIV. — [CICONIA INFIDELIS.]

Syconia cum alio masculo coivit, et cognita est a proprio masculo hoc fecisse. Qui congregans Syconias quas potuit invenire; venerunt in campum et eam cum rostris interfecerunt.

Docet servare matrimonium,

XXXV. — [RANÆ REGEM PETENTES.]

Ranæ, in pace existentes, patierunt (*sic*) regem, et datus est eis a Jove truncus magnus, in aqua existens. Quem videntes primo timuerunt; post, videntes eum non movere, se appropinquarunt, et super eum stantes minxerunt. Post dedit eis Lucium, qui eas devoravit.

Et hoc contra aliquos, qui non reputant dominos dulces (fol. 83 *b*, col. 2) et benignos, et quærunt crudeles qui devorant eos.

XXXVI. — [ARIES ET LUPUS.]

Aries erat in ovili, et, aperto (h)ostio, intravit Lupus. Qu viso, ait Aries : Dei odium habeat, (h)ostium qui debuit firmare Quid est hoc? ait Lupus; dicitis propter me? Absit hoc, domin mi; sed ita potuisset intrare alius.

Et hoc docet ad cautelam verborum.

XXXVII. — [VULPES ET SIMIA INFIRMA.]

Vulpes comedebat audoliam (*sic*). Ad quam veniens, Symi petebat ut daret ei, cum esset infirma et haberet plagam ma gnam. Ostende, inquit Vulpes. Et Simia, accipiens digitun Vulpis, posuit in cullo suo; et Vulpis, sentiens fetorem, ait Si[c] tu fecisti de cullo suo (*sic pro* tuo) plagam.

Contra illos qui accipiunt aliquando medicinas, ut habean suas recreationes.

XXXVIII. — [CANIS ET SUS.]

Canis, veniens de festo quod tenuerat Leo, obviavit Sui sordidanti. Cui ait : Ha! misera, non fuisti ad curiam Leonis. Certe, inquit, non. Maledicta es, quia omnes deliciæ fuerunt, fuerunt ibi furfur[es]. Absit hoc, inquit, non respiceretur aliquo.

Sic aliqui non credunt nisi terrena, spretis cœlestibus.

XXXIX. — [LEO, LUPUS, VULPES ET ASINUS.]

Accusavit se Lupus, quod comederat carnes alienas. (Fol. 84 *a*, col. 1.) Cui dixit Leo : Hoc fecisti in necessitate : Pater noster. Et cum Vulpes dixit se furtive cibum accepisse, ait Leo : Hoc fecistis, quia timebatis pelli vestræ : Ave Maria. Asinus dixit se comedisse ramum silvæ. Non est, inquit [Leo], cibus Asini, sed cardones : verberetis eum usque ad feces.

Lupus est abbas; (Asinus, claustralis;) Vulpes est procurator; Asinus, claustralis qui pro solo signo totus destruitur. Contra falsos judices valet.

XL. — [MUS ET EJUS FILIA, GALLUS ET CATUS.]

Mus instruxit filiam suam ne exiret cavernam. Quæ tamen exiit, et vidit Gallum, paleas cum pedibus removentem et clamantem plurimum : timuit. Vidit etiam Catum, juxta caminum ei lento gradu suaviter appropinquantem, et non expectans intravit cavernam tremens. Quam trementem mater inveniens [causam quæsivit]; narravit quod viderat Gallum quasi Dyabolum et Catum quasi heremitam. Quæ ait : Ne timeas illum qui videtur ita malus, sed cave ab illo qui videtur sanctus.

Et docet cavere ab [h]ypocritis.

XLI. — [GALLUS, EQUUS ET DOMINUS.]

Gallus, videns molestam uxorem domino suo marito, (fol. 84 *a,* col. 2) ut ei secretum revelaret, de quo sibi periculum imminebat, gaudebat in stabulo. Equo flente propter periculum, quod domino videbat imminere ex revelatione, igitur Gallus ait : Domino non compatior; non habet nisi unicam uxorem, nec eam potest corrigere. Ego autem habeo decem, nec est quæ audeat gannire me inhibente. Quod audiens, dominus (in) correxit eam, quæ de cetero non fuit ei molesta.

Et docet corrigere subditos.

XLII. — [MULOTUS CONJUGIUM INIRE VOLENS.]

Mulotus, quadam vice se considerans pulchrum, voluit se maritari Soli, quia videbatur ei fortior creatura Dei. Cui Sol respondit, quod non erat fortior, sed Ventus, quia eum, quocumque volebat, ducebat. Qui iterum accedens ad Ventum voluit ei nubere. Cui respondit quod non erat fortior, sed Murus bene cementatus, quia, quandocunque bene ventaret contra terram aut Murum, non poterat evertere eum. Qui, accedens ad Murum, nubere voluit cum eo. Qui respondit quod non (fol. 84 *b*, col. 1) erat fortior, sed Mus, quia eum perforabat. Et sic vadens ad Murem invenit parem suum.

Et docet non ju[n]gere se conviviis potentibus et magnis sed nubere pari et æquali.

XLIII. — [RANA RUPTA ET BOS.]

Rana, videns Bovem ita grossum, cogitavit se adæquare ei et, inflans se nimis, crepuit.

Et hoc valet contra superbos.

XLIV. — [LEPORES ET RANÆ.]

Lepores, videntes quod essent timidi, consilium habuerunt quod se interficerent. Et cum se vellent cum impetu interficere submergendo in summum, Ranæ sal(l)ierunt. Tunc ait unus: Non desperemus, quia videtis, quod non est creatura aliqua quæ non timeat; sic cessaverunt.

Docet non desperare.

XLV. — [VULPES MUNIFICA ET LUPUS.]

Vulpes dedit Lupo rosorium involutum sanguine, et cum glutiret et optimum diceret, diceret (*sic pro* dixit) ei Vulpis: In exitu senties, cum te scindet.

XLVI. — [ASINUS DOMINO BLANDIENS.]

Asinus, videns Canem Domino blandientem et in mensa juxta eum comedentem, cogitavit simile facere et gratiam Domini obtinere. Et, veniente Domino, obvius fuit Asinus, positis ad humeros Domini pedibus; qui mirabiliter fuit læsus.

Et docet hoc non alium usurpare servitium.

XLVII. — [CANIS OS PETENS A DOMINO.]

(Fol. 84 *b*, col. 2.) Canis, videns Dominum comedentem et os tenentem, petiit. Respondit Dominus : Non habebis, sed ille, qui custodit melius domum meam de die et nocte. Ergo, inquit, hac ratione habebo, quia de nocte custodio, quando

dormitis, et de die, quando comeditis. Non habebis, inquit. Et qui[s] ergo? ait Canis. Qui citius poneret se inter me et immensum periculum. Hac ratione, inquit Canis, ego habebo, quia, si quis insurg[er]et in vos, alii amici quærerent gladios ad adjuvandum; ego ponerem corpus proprium. Non habebis, inquit. Quis ergo? dixit Canis. Ille de domo, qui citius sequeretur in periculo. Ego, inquit, sum ille; nam alii amici, si essetis in mari, quærerent vasa; ego cum palmis accederem. Non habebis. Quis ergo? Ille de domo mea, qui magis simulat me diligere, et minus diligit. Hac vice amisi, dixit Canis, et Domina mea hoc habebit, quia illa est, quæ magis simulat nos (*sic*) et minus diligit; ideo hac vice ego perdidi.

Et hic docet non nimis quærere nec omnia vera loqui.

JOHANNIS DE SCHEPEYA
FABULÆ,

SECUNDUM COLLEGII MERTONENSIS CODICEM MS. LATINUM CCXLVIII NUNC PRIMUM EDITÆ.

EX FABULIS ÆSOPI SAPIENTIS, VIRI MORALIS, QUAS TRANSTULIT ROMULUS IN LATINUM.

I. [LUPUS ET AGNUS.]

Contra calumpniosos causam nocendi quærentes, cum sunt potentes, contra pauperes.

Agnus et Lupus sitientes ad rivulum e diverso venerunt. Sursum bibebat Lupus, longeque inferior Agnus. Lupus, ut Agnum vidit, sic ait : Turbas mihi aquam bibenti. Agnus vero patienter dixit : Quomodo eam turbarem tibi, quæ de te ad me currit? Cui Lupus : Et maledicis mihi. Et Agnus : Non. Et Lupus : Adhuc mihi loqueris. Statimque ei vitam eripuit.

II. — [MUS ET RANA.]

Contra insidiosos et fraudulentos.

Mus, ut flumen transiret, auxilium petiit a Rana. Illa vero, fingens ei velle subvenire, ligavit sibi mutuo pedes grosso filo, et, incipiens natare, traxit Murem post se. Cum autem ad medium fluminis venisset, cœpit mergere, ut Murem pariter mergeret. Quod videns, Mus tenuit se fortiter super aquam. Quod videns, Milvus supra volitans rapuit utrumque.

III. — [CANIS PER FLUMEN CARNEM FERENS.]

Contra cupidos.

Canis, flumen transiens, partem carnis tenebat in ore, et, cum vidisset carnis umbram in aqua, aperuit os ut umbram caperet, et sic amisit quod tenebat.

IV. — [VACCA, CAPRA, OVIS ET LEO.]

De societate potentiorum.

Vacca, Capra et Ovis com(m)itabantur cum Leone, et, cum venatu cepissent cervum, factis partibus, ait Leo : Ego tollo primus, quia Leo; secunda pars mea est, quia fortior vobis sum; tertiam merui, quia plus cucurri; quartam vero qui exigerit, inimicum me habebit. Et sic totam prædam Leonis improbitas aspertavit (*sic*).

V. — [LEO, LUPUS ET VULPES.]

Alia de eodem.

Leo, Lupus et Vulpes venantes ceperunt vaccam, ovem et aucam. Quibus captis, dixit Leo Lupo : Lupe, partire prædam nostram. Cui Lupus : Domine, libenter. Domine, quia tu es rex noster habebis vaccam; ego, minor te et major Vulpe, habebo ovem; Vulpes autem, minima nostrum, habebit aucam. Quo audito, Leo iratus, extento brachio, unguibus extraxit totam pellem de capite Lupi. Et dixit Vulpi : Vulpes, partire, tu. Cui Vulpes : Domine, quia tu es dominus noster et rex, habebis vaccam; domina mea, uxor tua, habebit ovem, et parvi tui habebunt aucam, quia tenera est et pinguis. Ad quem Leo : Vulpes, quis te docuit ita sapienter partiri? Et Vulpes : Domine, iste cum rubeo capite, ostenso Lupo sanguinolento.

VI. — [LUPUS ET GRUS.]

Contra ingratos.

Lupus dum carnes voraret, os unum intravit in guttur ejus, et male vexavit eum. Quærebatur medicus, et magnum salarium promittebatur.. Tandem conducta est Gru(e)s, ut longo collo et rostro os extraheret; quod et fecit. Et hoc facto, salarium suum petiit. Quo audito, Lupus dixit : Ingrata es mihi, quæ (*sic pro* qui) capud tuum ab ore meo sanum extrahi permisi, et tu salarium petis!

VII. — [VULPES ET CORVUS.]

De vana gloria.

Cum de fenestra Corvus caseum rapuisset, altam ascendit arborem cum eo. Vulpes, cum hoc vidisset, aspiciens ad eum dixit : O Corve, quis tibi similis est, et pennarum tuarum quantus est nitor! Qualis decor esset, si vocem claram habuisses! Nulla avis te prior fuisset. At ille, dum placere voluit et vocem suam altius ostendere, ore patefacto, cœpit clamare et per consequens caseum amittere et Vulpi cum pœnitentia dimittere.

VIII. — [CORNICULA SUPERBA.]

Alia de eodem.

Cornicula, vocata ad consilium Avium, vidit se esse omnium turpissimam; propter quod mutuavit de ceteris Avibus singulas pennas, ut sibi facere[t] pallium ad tegendum turpitudinem suam. Quo facto, venit futuro anno ad consilium ipso pallio involuto superba, præsumptuosa, ceteras Aves unguibus et rostro violenter impetendo. Quo viso, dixerunt Aves : Quæ est ista, quæ sic superbe et insolenter se gerit? Et dixit una earum : Hæc est Cornix illa, quæ, anno præterito, mendicavit a nobis pennas nostras ut suam ex eis turpitudinem operiret. Deponamus de ea querelam principi nostro Aquilæ. Audita itaque querela, Aquila decrevit ut quælibet arriperet pennam suam ab ea. Quo facto, apparuit misera illa in sua prima turpitudine, recedens a consilio, confusa et multipliciter illusa.

IX. — [GRACULUS ET PAVO.]

Alia de eodem.

Graculus una die pennas Pavonis casu invenit, indeque sibi indumentum faciens, ornavit se, sociosque pares relinquens, Pavonibus se junxit; qui, recognoscentes eum, pennas suas ab eo dir(r)ipiunt, maleque rostris et pedibus infestantes

vix semivivum dimittunt. Qui, revertens ad genus proprium, audivit sibi dici : Si vestes tuas quas tibi natura dedit, amasses, tibi suffecissent et hæc mala quæ recepisti non recepisses.

X. — [FORMICA ET MUSCA.]

Alia de eodem.

Orta est contentio inter Muscam et Formicam, quæ earum foret dignior. Musca quidem dixit : Tu nostris laudibus comparari non poteris : in capite regis sedeo; de immolatis Diis prima gusto; matronis nobilibus oscula præbeo, quoque libet libera volito. Tu vero in limo et pulvere semper habitas, et pro tuo victu misero dire laboras. Cui Formica : Improba pestis, contra te ipsam hæc dixisti. Nunquam optata veneris, ut odiosa fugaris, flabello abigeris, et optanter occideris. Ego vero, æstate sedula, in [h]yeme de meo labore fideliter vivo et secura quiesco.

XI. — [RANA RUPTA ET BOS.]

Alia de eodem.

Rana vidit Bovem pascentem, et credebat se sic grossam fieri, et [ut] pellem rugosam inflaret et impleret vento, sufflavit igitur, et suis natis dixit : Sumne quanta Bos est? Responderunt non. Inflavit iterum et quæsivit. Et responsum est : Nihil ei simile. Tertio sic inflavit se, quod rupta pelle crepuit et mortua est.

Ideo vulgariter dicitur : Noli te tantum inflare ut crepes.

XII. — [EQUUS ET ASINUS.]

Alia de eodem.

Equus, ornatus cella (*sic*) decora frenoque aureo ornatus, occurrit Asino onusto qui ei non cessit, quia oneratus et lassus erat; et dixit Equus : Nisi me continerem, te calcibus rumperem, quia mihi occurrenti non cessisti vel saltem in genua non cecidisti. Territusque Asinus præ ejus superbia, tacens et et gemens, transiit. Et non multum post, Equus, ruptus et

macilentus effectus, ad villam ductus est, ut in agros portaret stercora. Acceptis itaque rusticis instrumentis, per viam ibat stercoribus oneratus. Quem tam infelicem Asinus, ipse in prato pascens, recognovit, et dixit : Ubi sunt nunc illa ornamenta pretiosa, in quibus pridem superbisti? Utere nunc, miser, nobiscumque rusticorum oneribus et ornamentis.

XIII. — [CERVUS AD FONTEM.]

Alia de eodem.

Cervus, bibens de fonte, cornua sua in eo magna vidit et insignia, et multum in eis gratulabatur. Et, dum biberet, audivit tumultum venatorum et canum propium, quantum et fugit in densiorem silvam, ubi a vepribus et arborum ramiculis per cornua detentus est, ne transire posset; et dixit : Heu! mihi, quia decor cornuum meorum, in quo tantum superbivi, me cogit mori.

XIV. — [ASINUS ET LEO.]

Alia de eodem.

Asinus, occurrens Leoni, ait ei : Ascendamus in montis cacumen, et ostendam tibi quod multi me timent. At Leo subridens ait : Eamus. Cumque venissent ad locum, stans Asinus in edito, emissa voce, clamavit suæ (*sic pro* suo) more. Quem audientes, Vulpes et Lepores et alia minuta animalia currere cœperunt et fugere præ vocis terrore. Cui Leo ait : Potuit me terruisse vox tua terribilis, ne (*lege* ni) te novisse[m].

XV. — [TORCUCA ET AQUILA.]

De ambitione dignitatis et honorum.

Tortuca, manens in locis imis, convenit cum Aquila, ut portaret eam in superiora. Constituta itaque mercede, Aquila, sumens eam, portavit in altum, et dixit : Ecce nunc es ubi esse voluisti. Nunc videre potes quæ nunquam vidisti. Cui Tortuca : Multa quidem video, et in superioribus consisto; sed mallem esse in foramine meo. Quo audito, Aquila permisit eam cadere et omnino perire.

XVI. — [ARANEA, MUSCA ET VENTUS.]

Alia de eodem.

Aranea ex se fila trahit et telam orditur, et totam se eviscerat ut unam Muscam capiat; quam cum cepit, venit ventus validus, et, telam dissipans, Araneam cum Musca disperdit.

XVII. — [LIGNA REGEM ELIGENTIA.]

Alia de eodem.

Convenerunt Ligna ut eligerent super se regem, et dixerunt Olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Non possum relinquere pinguedinem meam, ut inter Ligna promovear. Dixerunt igitur Ligna ad Ficulneam : Impera nobis. Quæ respondit : Non possum relinquere dulcedinem meam, ut promovear. Dixerunt ad Vitem : Esto rex noster. Quæ respondit : Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, ut præsim vobis. Dixerunt denique ad Rampnum : Veni et impera nobis. Respondit Rampnus : Si vero me regem constituistis, venite et sub umbra mea requiescite. Si vero nolueritis, egrediatur ignis de Rampno et devoret Cedros Libani. Ecce Lignum minus validum regnare concessit, et, nisi regnet, comminatur. Meliora vero et validiora regnare renuunt et suo statu contenta sunt.

XVIII. — [AVES REGEM ELIGENTES.]

De Prælatis ecclesiarum et eorum officio debito.

Aves, tenentes suum generale capitulum, voluerunt sibi eligere regem. Dixit ergo una ceteris, tanquam aliis sapientior : Eligamus Columbas (*lege* Columbam), quia nec picat, nec laniat. Et electa est et præfecta. Conversabatur tum, licet esset rex, inter alias innocenter, solitam simplicitatem conservans. Dixerunt igitur Aves : Rex noster nihil valet, nihil facit, quia non percutit, non laniat : eligamus alium. Dixitque una earum : Quam eligemus? Et responsum est : Eligamus nobis Milvum : ipse picat, ipse percutit, ipse laniat. Milvus ergo, rex consti-

tutus, primo die devoravit unum pullum, secundo secundum, tertio tertium.

Ideo necessarium est ut prælatus sciat pascere, sciat picare et quandoque percutere subjectos, ne lasciviant, et teneat medium inter nimiam simplicitatem et nimiam severitatem.

XIX. — [ARANEA ET MUSCA.]

Alia de eodem.

Aranea, quando venit Musca in telam suam, fortiter se ex(i)erit, Muscam capit et interficit. Quando vero Vespa, vel Burdo, magnum faciens [sonitum], venerit, Aranea cum festinatione ad foramen redit.

Sic prælati in pauperes sunt severi et audaces, in potentes vero meticulosi et patientes.

XX. — [VULPES ESURIENS ET GALLINÆ.]

De periculis [h]ypocrisis.

Vulpes, una nocte esuriens et algens, venit ad gallinarium, petens ut sibi aperiretur. Et dixerunt Gallinæ : Non aperiemus tibi, quia inimica semper fuisti nobis. Respondit Vulpes : Juro vobis, non vobis nocebo. Gallus et Gallinæ aperiunt. Ingressusque quievit et calefacta est; oblitaque juramenti et promissionis suæ, occidit unam Gallinam, post modum aliam, et sic omnes alias turbavit.

Tales sunt quidam pauperes, qui veniunt ad claustrum, non ut Deo serviant, set ut bene vestiantur et pascantur et alios perturbent.

XXI. — [VULPES ET OVES.]

Alia de eodem.

Vulpes cognovit quod grex Ovium ita bene se custodivit infra limites suos et in canum custodia, quod nullam potuit contingere ex eis, et dixit ad seipsum : Induam me pelle ovina, et sic inter alias Oves, ut Ovis, ibo, et ita potero, cum voluero, Oves et Agnos devorare. Et sic fecit.

Tales sunt falsi religiosi, qui sub veste ovina sunt lupi rapaces, et certo melius esset habere vicinum unum judæum vel paganum quam talem religiosum.

XXII. — [OVIS ALBA, OVIS NIGRA, ASINUS ET HIRCUS.]

Alia de eodem.

Ovis alba, Ovis nigra, Hircus et Asinus contendebant de prærogativa religionis. Alba dixit : Albedo mea significat innocentiam et sanctitatem, et ideo præcello. Nigra dixit : Nigra sum exterius, sed interius formosa. Asinus dixit : Immo ego sanctior sum, quia crucem in humeris porto, et imitor Crucifixum. Hircus vero dixit : Ego sanctior sum omnibus vobis, quia utor cilicio; barbam habeo prolixam, ne pulcher appaream in mundo.

Per hæc animalia omne genus regularium potest designari. Sed væ signis sine signato!

Sanctum nulla facit nigra, candida(ve) vestis ovina,
Nec quemquam justum facit umquam crux asinina.
Si quem barbatum faciat sua barba beatum,
In mundi circo non esset sanctior Hirco.

XXIII. — [MUS ET CATUS.]

Alia de eodem.

Mus cecidit in feces servisiæ (*sic*), ita quod exire non potuit. Catus vero transiens audivit eam pipantem, et dixit ei : Quid clamas? Respondit Mus : Hic cecidi et exire non possum. Et Catus : Quid dabis mihi, si te extraxero? Veniesne ad me, cum te vocavero. Cui Mus : Firmiter promitto. Catus itaque eam extrahit et abire permisit. Altera die, Catus esuriens venit ad foramen Muris, vocans eam ut ad se veniret; et respondit : Nolo. Cui Catus : Fideliter promisisti mihi. Et Mus : Sic, sed in ebrietate fui(t).

Sic plures, cum infirmantur vel alico (*sic*) modo tribulantur, promittunt, vovent jejunare, peregrinari et vitam emendare; sed, cessante causa, cessat effectus promissorum et votorum.

XXIV. — [COLUMBÆ ET AQUILA.]

De judicibus et eorum officio.

Columbæ conquestæ sunt Aquilæ, regi suo, de Accipitre, quod frequenter raperet socias earum et comederet. Aquila, audita querela, quasi multum irata, levato rostro dixit alta voce : Clac. Quo audito, Columbæ gravisæ sunt dicentes : Ecce qualiter terribiliter insonuit; certe bonam faciet nobis justitiam. Altera die rapuit Accipiter Columbam et comedit, et iterum conquerebantur Aquilæ, et audierunt iterum : Clac. Et sic tertio, et nihil alias receperunt emendæ.

Sic est de judicibus modernis, qui semper dicunt conquerentibus optimas causas nec unquam reddunt judicia, donec partium exhauriant marsupia.

XXV. — [CORVUS ET COLUMBA.]

De impietate dominorum et ballivorum.

Corvus rapuit pullum Columbæ. Quo audito, venit Columba ad nidum Corvi, supplicans ut sibi redderetur pullus suus; et ait Corvus : Scisne cantare? Cui Columba : Scio. Et Corvus : Canta igitur, si vis habere pullum tuum. Columba, ex hoc [h]il(l)arata cantavit. Cui Corvus : Non placet mihi cantus iste; canta melius. Columba iterum altiori voce cantavit prout altius potuit, et dixit Corvus : Certe nec adhuc placet mihi cantus tuus. Et Columba : Certe melius cantare nec novi nec possum. Et Corvus : Nec habere poteris pullum tuum. Et sic devoravit eum cum impia conjuge sua.

Sic est de impiis dominis et eorum ballivo, qui capiunt pauperum tenentium pignora, nec liberant, donec redimantur ad eorum voluntatem.

XXVI. — [TRAHA ET BUFO.]

Alia de eodem.

T(h)ra[h]a semel transivit super Bufonem : unus dens fregit

sibi capud, alius dorsum, tertius tibiam, ita quod miser totus confringeretur, et ait : Maledicti tot domini!

Ita possunt dicere pauperes tenentes, qui habent super se malos dominos, pejores senescallos et pessimos eorum ministros, qui nihil intactum relinquunt, quia quod unus dimittit, alius non omittit.

XXVII. — [DIVES ET VIDUÆ VACCA.

Alia de eodem.

Dives quidam, habens plures vaccas, vidit quamdam Viduam, tenentem suam, habere unam pinguem, quam ipsa cotidie pastebat manu sua, et dixit Dives ministro suo : Quære vaccam Viduæ illius, quia pinguis est. Qui sic fecit. Et dixit Vidua cum lacrimis : Quare aufert mihi dominus meus vaccam meam unicam, quæ mihi sustentat vitam, cum ipse plures habeat? Et dixit minister : Nescio causam; sed oportet me perficere præceptum domini mei. Adduxit itaque minister vaccam ad dominum, quam ipse statim occidit, et partem ejus ad coquinam coquendæ transmisit. Et cum sederet ad mensam, parvo morsello, quem de ipsa vacca gustavit, strangulatus est.

Sed timeant tales domini et eorum ministri, quod dicit Jeronimus, Libro de Summo Bono III, c. 61 : Audiant qui præsunt populis, quod pro temporalibus molestiis, quas illis ingerunt, æternis incendiis cremabuntur.

XXVIII. — [MILVUS ET PERDICUM CUNEUS.]

De avaritia.

Milvus vidit cuneum Perdicum per iter quiescentem, et volens eum capere jecit se super eum toto corpore : quosdam occupavit unguibus, quosdam alis, et, cum omnes occupare niteretur, supervenit Sagittarius, et videns Milvum sic occupatum, sagittavit eum, et præ sua cupiditate perdidit seipsum et prædam, juxta illud vulgare : Qui totum cupit, totum perdit.

XXIX. — [FORMICÆ ET SUS.]

Alia de eodem.

Formicæ per totam æstatem et autumpnum sol[l]icite laborant, et colligunt in acervum suum grana et alia, unde vivere possint in [h]yeme, et, cum totum compleverint, venit Sus cum porcellis suis, et, acervum aperiens, quicquid congregatum est dissipat et consumit.

Sic est de avaris, quod, cum omnia congregaverint, supervenit [h]yemps, mors, et post mortem archidiaconus cum officiali et ministris suis, vel dominus terreus cum ballivis suis, et omnia dissipant et consumunt, juxta illud Evangelii : Miser, quæ congregasti, cujus erunt quadam die? Non tua, sed aliorum.

XXX. — [DUO SOCII, FALLAX, VERAX, ET SIMIÆ.]

De Adulatione.

Duo Socii ibant per viam, et dixit alter alteri : Firmabo tecum, quam plus lucrabor per mendacium quam tu per veritatem. Respondit : Et ego e contra. Constituta itaque firmationis certitudine, progredientes venerunt in quemdam cuneum Symiarum, quæ dixerunt viatoribus : Quid vobis videtur de comitantia ista. Et dixit Mendax : Vos estis pulcherrima inter omnia animantia post hominem, quia hominibus specialiter assimilari et in vultu et in spiritu. Et ulterius multum commendavit eas. Quæ verba Simiæ multum grata habuerunt et multa Mendaci dederunt. Quærebant iterum de alio quid ei de ipsis videretur. Qui respondit : Vos estis miseræ et turpes Simiæ, nec habetis de vestro unde vestrum posterius possitis velare. Simiæ, ex hoc in iram concitatæ, laceraverunt eum dentibus et unguibus, et vix semivivum dimiserunt.

Sic est diebus modernis, quia mendacium diligitur et veritas oditur, et sic adimpletur illud :

Et quandoque nocet omnia vera loqui.

XXXI. — [ASINUS DOMINO BLANDIENS.]

De Invidia.

Asinus videbat cotidie Dominum suum Cani domus blandiri et de mensa plura largiri, et e contra Canem Domino blandiri et in eum pedibus saltare usque ad pectus suum, et dixit apud se : Si Dominus meus animal sic immundum diligit et otiosum, quanto magis diliget me, qui ei in multis utilibus servio, si ei blanditus fuero! Occurrens itaque Domino suo velocius, profuerint (*lege* prosiluit) suo more cantans, et levans pedes suos anteriores posuit super humeros ejus, et faciem ejus lingua lingebat, non tam faciem quam vestes ejus deturpando et Dominum suo pondere graviter onerando. Dominus autem, stupefactus et credens Asinum vesanum, clamore suo familiam excitat; quæ, fustes arripiens, Asinum egregie verberat et vix semivivum abire permittit.

XXXII. — [SIMIA ET VULPES.]

Alia de eodem.

Simia, videns Vulpem habere longam caudam, rogavit eam ut sibi daret aliquam partem ut suum posterius tegeret, asserens eam totam sibi esse oneri et non utilitati. Cui Vulpes respondit : Longior fiat et major, ut eam per terram, petras et spinas traham, ne tu meo tegmine pulchrior fias. Cui Symia : Multum avarus es, qui de eo quod tibi superest, indigenti non largeris (*lege :* largiris).

XXXIII. — [ASINUS ET PORCUS.]

Alia de eodem.

Asinus, videns quod Porco dabatur in domo panis, pulmentum et alia quædam, grossusque et [pinguis] fiebat, et quod in nullo laborabat nisi in comedendo et dormiendo, loquebatur secum, dicens : Ego cotidie graviter laboro, pungor et verberor, et parum mihi datur ad vescendum. Certe

fingam me infirmam (*sic*); et fecit sic. Et veniens mane Dominus domus ad stabulum et inveniens Asinum contra morem jacentem, stimulavit eum dicens : Surge. Et Asinus, elevans modicum caput, reclinavit et jacuit suspirans. Et ait Dominus Dominæ domus : Asinus noster infirmatur; habe curam illius. Domina itaque fecit eum portari in domum et poni juxta Porcum, et ministravit ei panem et farinam et aquam. Asinus in principio, ut suam fictionem tegeret, parum comedit, et postmodum magis et magis, et cœpit bene impinguari; et dixit intra se : Modo habeo bonum. Cum autem Porcus socius suus fuisset ad plenum impinguatus, vocatus est carnifex, qui veniens percussit Porcum securi in capite et occidit eum. Quod videns Asinus, tremefactus multum, ait intra se : Est ne hic finis impinguationis et quietis? Certe malo laborare et more pristino pasci. Et statim exivit in curiam, saltans et rudens coram Domino suo. Et sic restitutus est suo officio.

XXXIV. — [CUCULA ET BURNETA.]

De ingratitudine.

Cucula posuit ovum suum in nido Burnetæ. Burneta ex ovo illo cubando produxit pullum, et nutrivit tanquam suum. Cum autem magnus factus fuisset pullus, ille devoravit Burnetam, nutricem suam.

Maledicta sit talis nutritura (*sic*)!

XXXV. — [VULPES ET NAUTA.]

Alia de eodem.

Vulpes, volens mare transire, rogavit Nautam ut se transferret; quod, naulo constituto, Naula fecit. Cum autem jám ad aliud lit[t]us ventum fuisset, Nauta petiit naulum. At Vulpes minxit super caudam, et aspersit oculos Nautæ et quasi excæcavit eum, et saltavit ad terram extra navem. Et dixit Nauta : Malum salarium reddidisti mihi. Cui Vulpes : Aliter fieri non potuit, juxta illud quod scriptum est :

Servitium, dico, perdit qui servit iniquo.

XXXVI. — [SERPENS ET HOMO.]

Alia de eodem.

Serpens jacebat super terram congelatam et multum algebat. Quidam transiens hoc vidit, et, pietate motus, posuit eum in sinum suum ut calefieret. Qui, cum calefactus fuisset, pupugit Hominem graviter. Cui Homo : Quare me pungis, qui te posui in sinu meo pro bono tuo? Et Serpens : Nescis, stulte, quod semper fuit et erit inimicitia inter Hominem et Serpentem, et nescis quod scriptum est : Serpens in sinu, mus in pera et ignis in gremio male remunerant hospites suos? Et ideo quod feci tibi, natura me facere coegit.

XXXVII. — [LEO, VULPES ET LUPUS EXCORIATUS.]

De odio inveterato.

Leo quodam die, graviter infirmatus, mandavit pro Vulpe ut consilium sibi daret sanitatis. Vulpes venit, urinam inspicit, pulsum et timpera (*lege* tempora) tangit, et dixit : Domine, graviter infirmaris et causa tuæ infirmitatis est summe frigida, et ideo oportet quod utaris calidis. Et dixit Leo : Magister, dic mihi quibus. Et Vulpes, vindicari volens de Lupo, quem odit naturaliter, dixit Leoni : Domine, consulo quod provideas tibi de pellicio de pelle Lupi, quia optimum erit tibi, et servabit te ab omni frigore. Leo credi[di]t consilio medici, et, mandans pro Lupo, fecit eum vivum excoriari et tunc dimitti.

Et hoc est quod vulgariter dicitur : Qui parum me diligit, parum bonum de me dicit.

XXXVIII. — [LEPORARII, MASTIVI ET LUPI.]

Orta inter Leporarios et Mastivos gravi[s] discordia, constitutus est inter eos dies belli. Quod audientes, Lupi, utrorumque inimici, venerunt ut viderent pugnam. Pugnantibus itaque inter se Canibus, multi eorum mortui sunt, multi debilitati. Videntes autem hoc, Lupi, et tempus jamdiu optatum

ultionis in Canes adepti, irruerunt unanimiter in eos, et omnes occidentes, regionem eorum cum suis omnibus occupaverunt, juxta illud, Lucæ [c.] XI, [v. 17] : Omne regnum in se divisum desolabitur, et plebis omnis virtus unita major est se dispersa.

XXXIX. — [AQUILA EXCÆCATA ET CORVUS.]

Alia de eodem.

Aquila quadam vice gravabatur in oculis, et mandavit pro Corvo, qui est medicus avium. Corvus venit, et inspectis oculis Aquilæ dixit : Bene novi causas tuæ infirmitatis : faciam tibi bonum emplastrum, quod sanabit te festinanter. Volens igitur eam excæcare, quia eam odio habuit pro eo quod pullos suos rapuisset, temperavit pariter spurgeam, tæpe (*lege* cæpe) et allia, et apposuit oculis ejus. Et excæcata est. Quod videns, Corvus rapuit pullos Aquilæ et devoravit. Insuper ipsam Aquilam multipliciter infestavit..... Respondit Corvus : Quamdiu vidisti, non potui me de te vindicare nec etiam pullos tuos devorare. Nunc autem in omnibus complevi votum meum.

Hoc bene videtur illud menece (*sic forsan pro* monstrasse) : Male secum agit æger, qui medicum sibi accipit suum hostem.

XL. — [LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.]

Alia de eodem.

Leo, gravatus ætate et febribus, jacebat spiritum trahens extremum. Supervenit Aper spumans, dentibus veterem iram vindicans. Taurus cornibus cor[p]us ejus undique confodit. Asinus pedibus suis eum attrivit. Et dixit vix spirans cum gemitu : Heu! cum esset virtus, erat honor; fuit et timor, immo et opinio mea terruit plures. Deficientibus autem viribus, deficit honor.

Hic verificatur illud, Boetii libro de Consolatione philosophiæ III, [prosa 5] : Quem felicitas amicum facit (*sic*), infortunium facit (*sic*) inimicum.

XLI. — [AVES, QUADRUPEDES ET VESPERTILIO.]

De infidelitate et inconstantia.

Quadrupedes gesserunt bellum cum Avibus. Vespertilio, dubios et graves eventus attendens et aciem Quadrupedum majorem videns, contulit se ad illos quasi ad vincentes, et subite vincentibus Avibus junxit se illis. Tandem pacificatum est inter partes. Vespertilio igitur Avium sententia condempnatus est pro eo quod suos reliquisset et plenius ex[s]poliatus, ut lucem fugiens noctibus mediis volaret.

Sic quoque qui duabus partibus se obnoxium commiserit, hinc inde ingratus et odiosus vivit.

XLII. — [SIMIA ET NUCES.]

Alia de eodem.

Symea libenter comedit nucleos nucum. Sed quando gustat de cortice et invenerit eum amarum, ab[j]icit totam nucem.

Tales sunt qui ad tempus credunt, et in tempore temptationis recedunt.

XLIII. — [LEPORES ET RANÆ.]

Contra meticulosos.

Lepores, cum audirent strepitum venatorum et canum post se, valde timuerunt, et consilium inierunt ut se præcipitarent propter assiduos metus qui eis evenerunt. Et cum venissent ad (h)oram fluminis cum magno impetu, Ranæ, quæ ibi erant, tremefactæ miserunt se in flumen. Lepores vero, cum id vidissent, dixerunt : Sunt et alii timidi sicud et nos ; sequamur eos.

Quicumque igitur malum tol(l)erare non potest, mala consideret aliorum.

XLIV. — [MONS PARTURIENS.]

Alia de eodem.

Mons quidam parturiens edidit gemitus horribiles, ita quod omnes audientes extra se fierent præ timore. Tandem par-

turiit murem. Cujus facti fama statim volat per patriam, et omnem priorem amovit timorem.

XLV. — [TESTUDO ET CORNUA SUA.]

Alia de eodem.

Testudo, dum in mollibus est, exerit se a testa, et cornua erigit superbe. Si autem impingat in paleam vel in spinam, statim cornua retrahit, et se totam infra testam recludit.

Tales sunt episcopi et prælati meticulosi, qui pro acerbo temporali incommodo abscondunt se nec se opponunt murum pro domo Domini.

XLVI. — [FORMICA ET CICADA.]

Contra pigros et desidiosos.

Formica frumentum, quod in æstate collegerat, extrahebat in [h]yeme, ut siccaret contra solem. Supervenit Cicada famelica et macilenta, rogans ut mutuaret vel daret ei de cibo, ut vivere posset. Cui Formica dixit quid faciebat in æstate. Cui illa : Per silvas, sepes et prata ibam, cantans et exultans. Formica respondit : Si in æstate cantasti, in [h]yeme salta.

Quia scriptum est : Qui non laborat, non manducet, et, si mercede dignus est operarius, non operantem nulla merces contingat.

XLVII. — [ACCIPITER ET MILVUS.]

Alia de eodem.

Accipiter una die obviavit Milvo in aere, et agressus eum acriter prostravit ad terram et tenuit sub se, et dixit ei : Miser, nonne tam grossum cor[p]us habes tu, sicut ego? Respondit Milvus : Immo grossius. Nonne pedes et ungues ita fortes? Respondit : Immo fortiores. Nonne rostrum ita durum et acutum, sicud ego? Respondit : Immo. Et addidit Accipiter : Et quare igitur permittis me minorem te et debiliorem te sic tenere sub pedibus? Respondit Milvus : Certe cor mihi deficit, et ideo vires mihi non sunt.

XLVIII. — [MUS DOMESTICUS ET SILVESTRIS.]

Contra gulosos et delicatos.

Mus Domestica quærebat a Campestri quæ comederet et qualiter viveret. Quæ respondit : Quandoque duras fabas et quandoque sicca grana. Dixitque Domestica : Mirum est fame non moreris. Quæsivit e diverso Silvestris a Domestica : Et quid comedis tu, bona soror? Quæ respondit : Pingues carnes, album panem, caseum et butirum. Veni igitur ut prandeas mecum et videas modum vitæ meæ. Et sic factum est. Sedentes igitur homines ad mensam projecerunt in aream morsellos et micas. Et Domestica ad Campestrem : Exi de foramine; ecce quanta bona pro[j]iciunt. Exiit itaque et cepit unum morsellum. Et saltavit Catus post eam, et vix evasit ad foramen; dixitque Domesticæ : Habesne cotidie talem exploratorem intentum te devorare? Cui illa : Certe sic; nam parentes meos et fratres et sorores ipse devoravit. Et ait Campestris : Nollem habere totum mundum cum tanto periculo; redire volo ad habitaculum meum et vivere more consueto.

Quia scriptum est : Melior est buccella sicca cum gaudio quam plena domus victimis cum jurgiis.

XLIX. — [CANIS ET LUPUS.]

Alia de eodem.

Lupus quadam die obviavit Cani bene pasto et pingui, et quæsivit ab eo : Dic mihi, frater, unde es ita pinguis? Cui ille : Dominus meus et tota familia diligunt me et dant mihi panem et carnes et alia bona sufficientia, quibus bene pascor et pinguis sum; et, si velis mecum venire et mecum morari, pasceris sicud ego. Cui Lupus : Bonum esset mihi, quia in magna parcitate vivo et modicum cibum meum cum magno labore et timore perquiro. Sed dic mihi, bone frater, unde est quod collum tuum ita est depilatum? Cui ille : Ex cat(h)ena quam gestare aliquosciens soleo. Et es tu quandoque cat(h)enatus? Cui Canis : Sic saltem in die; nocte vero solvor. Cui Lupus : Pro

nullis deliciis mundi talem paterer servitutem ; malo enim liber famescere quam sub jugo servitutis nimis (h)abundare. Unde Tullius libro de Paradoxis (1) : Libertas est potestas vivendi ut libet.

L. — [LUPUS ET VULPES IN LARDARIO.]

Alia de eodem.

Lupus obviavit Vulpi, dicens ei : Magnam famem habeo, nec scio ubi quicquam prædari potero. Cui Vulpes : Si vis me sequi, satis (h)abunde reficiemur. Respondit Lupus : Libenter sequar. Eamus citius, quia fames me cruciat. Duxit igitur eum Vulpes ad lardarium cujusdam divitis, et intrat prius ipsa per quoddam foramen, et Lupus post eam, sed cum magna angustia, quia foramen sibi valde strictum. Invenerunt magnam copiam carnium et piscium. Vulpes vero, memor stricti foraminis, per quod oportebat eam reverti, moderate sumpsit. Lupus quidem, satisfaciens gulæ suæ, ingrossavit se ad plenum. Auditur interim eorum tumultus a familia, et veniunt famuli cum canibus et fustibus, intrant lardarium. Vulpes autem hoc audiens fugit ad foramen et exivit. Lupus vero, volens exire nec valens præ ventris grossitudine, capitur, fustigatur, canum dentibus discerpitur.

Unde, ut videtur, Vulpes bene habuit in memoria illud [H]oratii (2) :

Si vis effugere istinc,
Macra cavum repetes arc[t]um quem macra subisti.....
Parvum parva decent.

Lupus vero non audivit tantum in scolis, vel, si audivit, tradidit ipse gulam oblivioni, quæ, ut dicit Augustinus, aufert memoriam, discipat (*sic*) sensum, et confundit intelligentiam.

LI. — [BUSARDUS ET ACCIPITER.]

De mala societate vitanda.

Busardus projecit in nidum Accipitris ovum suum. Acci-

(1) Vide Paradoxon V. — (2) Vide Epist. l. I, E. VII, v. 32, 33 et 44.

piter autem, credens ovum suum esse, cubavit super id una cum ovis suis, et creatus [est] inde pullus quem nutrivit Accipiter tanquam suum. Pulli vero Accipitris projecerunt fimum suum extra nidum; pullus maculavit nidum. Quod advertens, Accipiter ait : Quis vestrum est qui sic maculat nidum suum? Et omnes dixerunt : Non ego, domine. Tandem facta pleniori inquisitione, oportebat eos pro sui liberatione prodere veritatem, et dixerunt : Domine, iste est cum magno capite, ostenso filio Busardi. Quem Accipiter cum magna indignatione, per capud arripiens, projecit extra nidum, dicens : De ovo te produxi ; extra naturam non potui.

Quia, ut dicit [H]oratius (1) :

Naturam expellas furca; tamen usque recurret.

LII. — [ARDEA ET AQUILA.]

Alia de eodem.

Ardea rogavit Aquilam, ut dimitteret eam in societatem suam et perduceret ad extraneas regiones. Cui Aquila : Libenter hoc facerem; sed timeo ne portes tecum tuum posterius. Consuetudo enim Ardeæ est ut inficiat omnem locum in quo sederit.

Hinc est quod dicit [H]oratius (2) :

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

LIII. — [BUBO ET LEPUS.]

De stulto amore.

Aves una vice tenuerunt consilium suum. Inter quas fuit filius Bubonis. Mater vero, volens ei mittere aliqua victualia, quæsivit aliquod animal expeditioris itineris, et venit sibi in mentem, quod Lepus esset expedite currens, vocavitque eum, dicens : Visne pro salario competenti ire ad filium in avium consilio consistente et deferre sibi aliqua per me transmittenda? Cui Lepus : Libenter ibo; sed filium tuum non agnosco. Dic

(1) Vide Epist. l. I, E. X, v. 24. — (2) Vide Epist. l. I, E. XI, v. 27.

mihi quibus indiciis in tanta multitudine reperiam eum et cognoscere queam. Cui Bubo : Filius meus est candidus et rubicundus, electus ex mil[l]ibus. Ad hæc Lepus : Adhuc dic mihi expressius qualis est filius tuus. Et Bubo : Respice in me et considera diligenter omnia mei corporis lineamenta; talis est filius meus. Et dixit Lepus : Certe, si talis est tuus, nihil habet in se pulc[h]ritudinis nec dignum dilectionis.

Hinc est quod dicitur :

Si quis amat Ranam, Ranam putat esse Dyanam.

LIV. — [LEO, LUPUS ET SUS.]

Alia de eodem.

Leo una die fecit ceteris animalibus solempne convivium, et dedit varia et delicata cibaria. Completo igitur convivio, Lupus, rediens versus domum suam, reperit Suem horridam cum porcellis suis, et, ea salutata, dixit : Dic, bona, com[m]ater mea, non fuisti ad istud nobile festum Leonis? Respondit : Non; sed dic mihi, compater, fuitne nobile, ut dicis? Cui Lupus : Ita certe nobile et fertilissimum, variis et delicatis cibariis refertum. Et dixit Sus : Fuitne inter illa cibaria drasca? Cui Lupus : Fy, absit illa! Totum ferculum violasset, si affuisset. Et Sus : Certe et ego magis appretior et commendo quam alia fercula generis cujuscumque.

Juxta illud vulgare, quod qui(s) magis amat, magis laudat.

LV. — [SCABRO ET EJUS UXOR.]

Alia de eodem.

Scrabo quadam die volavit per amigbolas (*sic*) et pomos florentes, per rosas et lilia, per crocum et violas, et nihil sibi placabile reperit, in quo quiescendo resideret. Tandem rediit ad stercora boum et porcorum, ubi invenit uxorem suam et filios. Quæsivit igitur uxor ejus unde veniret et ubi tam diu tardasset. Qui respondit : Circuivi arbores et flores, prata et

nemora; sed nusquam inveni tam amœnum et tam odoriferum locum, sicud istum. Hic requies mea, quoniam elegi eam.

Juxta illud :

Sordibus imbuti nolunt dimittere sordes.

LVI. — [H]YDRUS ET CROCODILUS.]

De malitia et fraude Dyaboli et Hominis.

[H]ydrus, animal Cocodrillo (*sic*) inimicum, involvit se in arena, in qua Cocodrillus quiescere solet, et, illo dormiente, intrat latenter in ventrem ejus et occidit eum.

Juxta illud Job, XLI (*sic pro :* c. XVIII, v. 10) : Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula ejus super semitam.

LVII. — [VESPA ET ARANEA.]

Alia de eodem.

Vespa dixit [ad] Araneam : Nihil vales, quia semper manes in foramine tuo. Plus volarem in una die quam tu ambulares per centum. Respondit Aranea : Veni in domum meam; videbis quantum valeo et qualem apparatum habeo. Habeo enim cortinam miri operis; veni videre eam, ut com(m)edas et bibas in ea. Annuit Vespa, et veniens in telam Araneæ ita irretita est, quod evadere non potuit. Quod videns Aranea exiit de foramine et occidit eam.

Ut dicere possit illud, Thren. [c.] I, [v. 13] : Expandit ret(h)e pedibus meis; et certe hæc cortina erit pulchra mulier, divitiæ et honores seculi et consimilia.

LVIII. — [VULPES ET CATUS.]

Alia de eodem.

Vulpes una die obviavit Cato et dixit ei : Quo vadis? Respondit : Venari quicquam comedendum. Cui Vulpes : Quot habes cautelas venandi vel etiam pericula evadendi? Respondit Catus : Unam tantum. Cui Vulpes : Et quæ est illa? Respondit

Catus : Saltus; saliendo enim prædam capio; saliendo canes insequentes evado. Et Vulpes : Certe ego scio viginti, et adhuc plenum saccum habeo. Veni igitur mecum, et docebo te cautelas meas. Et annuit Catus. Iverunt itaque pariter. Et veniunt venatores cum canibus et cornibus viriliter insequentes eos. Et ait Catus : Audio sonos cornium et canum; volo uti cautela mea. Cui Vulpes : Nimis es timidus; veni audacter. Appropinquantibus itaque canibus, dixit iterum Catus : Nolo plus exspectare, quia periculum mihi video non modicum imminere. Et saltavit in arborem, ascendens in cacumen ejus. Canes vero, Catum pertranseuntes, apprehenderunt Vulpem, et male tractaverunt. Quod videns, Catus sedens in arbore exclamavit, dicens : Vulpe, Vulpe, aperi saccum tuum, quia nunc opus habes.

Tales sunt fraudis amatores, de quibus dicitur, Luca, [c.] XVI, [v. 8] : Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis. De hac prudentia dicitur aliud (1) : Perdam sapientes de Ydumea et prudentes de [monte] Esau. Quod fit in hac misera Vulpe.

LIX. — [VULPES ET LUPUS IN PUTEO.]

Alia de eodem.

Vulpes venit ad puteum habentem duas situlas, misitque se in unam illarum, et descendit in profundum putei, sperans invenire pisces in eo, et nihil invenit nisi aquam. Et sic ibi dum esset et non posset per se ascendere, supervenit Lupus a casu ad puteum, et, audiens Vulpem esse in eo, quæsivit quid illuc faceret. Bene venisti, bone compater; descende ad me, quia hic sunt pisces boni, ut satieris ex eis; quia ego satiatus sum, utinam mecum esses! Et dixit Lupus : Quomodo potero ad te venire? Respondit Vulpes : Superius juxta te est una situla; pono te in eam, et descende. Et Lupus sic fecit. Et, descendente situla cum Lupo, ascendit alia cum Vulpe, et, cum venissent in medium putei, obviaverunt sibi, et dixit Vulpi

(1) Vide Abdiæ prophetiam, c. I, v. 8.

Lupus : Compater, quo vadis? Qui respondit : Jam satiatus sum, et locus inferius arc[t]us est, et non bene caperet nos ambos. Jam ascendo, ut, cum satiatus fueris, te ascendere faciam satiatum. Cui Lupus : Bene dixisti, vade in pace. Vulpes itaque ascendit et in magna fame cucurrit ad silvam. Lupus vero descendens venit in puteum, et tanto profundius quanto ponderosior erat, et nihil invenit in eo nisi aquam et lutum, in quæ miserrime mergebatur usque ad collum, ibique per totam noctem in frigore et fame diem expectabat. Et ecce, orto jam sole, venerunt rustici loci illius ad puteum, ut haurirent aquam, et, dimittentes situlam vacuam, extraxerunt aliam cum Lupo matido et male habente. Quem ut viderunt, multum gavisi sunt, tenentes eum et egregie fustigantes. Ecce quam malitiose una malitiosa bestia fraudavit aliam.

Unde convenienter dicitur, Proverbiorum [lib., c.] XXVI, [v. 26] : Qui operit fraudulenter odium, revelabitur malitia sua.

LX. — [INCANTATOR.]

De vanitate mundanæ felicitatis.

Quidam Incantator transivit coram regibus et principibus et eorum familiis, et omnes sua incantatione excæcavit.

Talis est divitiarum (h)abundantia, quæ quidem excæcat omnes ad quos pervenit. Tollit enim ab eis propriæ fragilitatis notitiam et divinæ severitatis memoriam. Unde bene Genesis, [c.] XX, [v. 16,] quod Abimelec dedit Saræ mille argenteos in velamen oculorum.

LXI. — [PHILIPPUS FATUUS.]

Alia de eodem.

Quidam nobilis habuit quemdam fatuum nomine Philippum, cui dedit una die novam tunicam. Fatuus vero indutus illa tunica, oblitus sui ipsius, discurrit de aula in cameram, de camera in coquinam, et sic in alias officinas, clamans et quærens a familia : Ubi est Philippus fatuus? non cognoscens se ipsum propter novam tunicam.

Unde Psalmus (1) : Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, etc.

LXII. — [LUDUS SCACORUM.]

Alia de eodem.

Lusor Scac(c)orum primo educit omnes de uno sacco et postmodum ordinat status eorum, aliquos ponens loco regum, alios loco reginarum, alios loco militum, alios loco pauperum, qui sunt pusilli, et sic de aliis, et deinde luditur cum illis et quibusque capitalium, donec venerit ad mat(h)am. Quod cum venerit, omnes recluduntur in eumdem saccum sine acceptione et differentia. Et fit plerumque ut qui ex eis majoris fuit nominis profundius descendat.

Sic est de præsenti mundo, qui omnes homines producit de uno ventre, et post modum ordinat status eorum, alios faciens reges et reginas, alios duces et milites, alios mediocres et pauperes; alii capiunt et rapiunt alios et capiuntur ab aliis. Et sic luditur de eis, donec veniat mors; qua veniente, omnes reducuntur in uterum primæ matris terræ, sine ordine, differentia et personarum acceptione. Unde Genesis, [c.] III, [v. 19]: Terra es et in terram reverteris, et pulvis simul in unum dives et pauper. Unde Boetius, lib. II de Consolatione philosophiæ, [metr. 7] : Mors involvit capud humile pariter et excelsum; æquat summis infima.

LXIII. — [TESTUDO ET DOMUS SUA.]

Alia de eodem.

Testudo, pigerrimum animal, portat suam domum supra se, et ideo non facit nisi parvam dietam.

Sic est de divitibus seculi, quod portant sua bona supra se tanquam servi bonorum, non sub se tanquam domini ipsorum, et ideo contingit quod non faciunt nisi parvam dietam versus paradisum. Nemo enim graviter oneratus potest celeriter am-

(1) Vide c. XLVIII, v. 21.

bulare. Unde bene dicit Veritas super illud (1) : Domine, ecce reli(n)quimus omnia et secuti sumus te. Sic bene quidem fecisti, Petre; non enim sequi bene poteras oneratus.

LXIV. — [SIMIA ET BINI FŒTUS.]

Alia de eodem.

Symia, cum parit, binos solet edere fœtus; unum tum eorum magis diligit alio; nutrit tamen utrosque cum magna affectione, et, cum venator persequitur eos, magis dilectum sumit inter brachia, minus dilectum pro[j]icit super dorsum suum, et sic fugit cum eis. Sed cum venator, viriliter persequendo, approximat, eum quem tenet in brachiis pro[j]icit a se, ut evadat. Capitur tum cum reliquo fœtu miserrime onerata, quia dorso firmiter adhærens pro[j]ici non vult.

Sic est de divitibus, qui duos fœtus nutriunt, divitias scilicet et peccata, utrosque multum diligentes, divitias tamen magis; peccata tanquam oblita post tergum suum pro[j]iciunt, divitias in manibus meliores semper præ oculis habentes. Sed cum venit mortis venatio, dilectiorem existentem in manibus, id est divitias, velint, nolint, re[j]iciunt, juxta illud Psalm. (2) : Relinquunt alienis divitias suas. Cum minus vero dilecto, id est cum peccatis quæ firmiter animæ adhærent, capiuntur, juxta illud Apocalypsis, [c.] XIV, [v. 13] : Opera enim illorum sequuntur illos.

LXV. — [LEO ET UNICORNIS.]

De hoste non armando.

Leo, quadam die, fingens se infirmum, obviavit claudicans Unicorni, adversario suo capitali, et salutato eo dixit : Qualitercumque actum fuerit inter nos hactenus, remittatur hinc inde, quia ego ulterius nulli nocere potero, prout vides, senio et variis incommodis debilitatus. Sed multum affectarem semel loqui cum conjuge mea, quæ est in deserto, ante meam mor-

(1) Vide Evang. s. Matthæum, c. XIX, v. 27. — (2) Vide Psalm. lib., c. XLVIII, v. 11.

tem, et peterem a te, si dare fas est, ut accommodare mihi velis cornu tuum pro podio habendo in itinere, quia satis longum et forte, et tibi remittam illud, quam cito ad conjugem pervenero, et ad hoc tibi do fidem meam. Unicornis vero, dictis ejus credens et ipsius confictæ miseriæ compatiens, commodavit cornu suum, et sic remansit inermis. Leo vero modicum progrediens fecit insultum in Unicornem, et, proprio cornu graviter vulnerans, devicit eum. Cui Unicornis : Non tam crudelitatis quam infidelitatis reus es, qui mihi malum pro bono reddidisti; sed et fidem præstitam perdidisti. Cui Leo. Nescis, fatue, scriptum esse :

Vitam qui prorogat hosti
Derogat ipse suæ; in bello clementia non est
Hostibus esse pium.

Cui Unicornis : Et ignoras, o false, quod scriptum est in eodem libro :

Victoria, quam nos
Mol(l)imur gladiis, aut nulla sit aut sit honesta.
Non me vicisse dolose
Posteritas legat, et minuat versutia palmam.

Unde, cum dicitur, Ecclesiastic. [c.] XII, [v. 10] : Non credas inimico in æternum. Semper, etsi humiliatus vadat et curvus, custodi te ab illo; quod satis hic patet.

LXVI. — [HOMO ET ARBORES.]

Alia de eodem.

Homo fieri fecit sibi securim; quæ, cum facta fuisset, nihil operari potuit sine manubrio. Venit Homo [ad] arbores, petens ut ei manubrium darent pro securi sua. Quæ sibi cordialiter dederunt. Accepto manubrio, aptavit illud securi, et cœpit inde prosternere arbores modicas et magnas, dixitque Quercus ad Fractinum (*sic pro* Fraxinum) : Merito hæc patimur, quia ei præstitimus, unde violentiam tol(l)eramus.

Juxta illud :

Quod tua culpa facit, sine murmure tu patiaris,
Nec reputes alii mala quæ juste meruisti.

LXVII. — [VULPES ET GALLUS.]

De hosti non credendo.

Vulpes esuriens veniebat ad gallinarium : fingebat se graviter infirmatam et velle confiteri, rogans ut Gallus, capellanus suus, exiret et audiret confessionem suam. Et dixit Gallus : Expecta usque cras, et veniam ad te, et faciam quod petis. Cui Vulpes non habetis certum terminum vitæ meæ, et, si sine confessione moriar, in periculum vestrum erit. Et Gallus : Fama edente quod fraudulenta es et malitiosa et præcipue penes genus nostrum, et ideo timidus sum tibi aperire vel ad te venire. Et Vulpes : Heu! ubi est caritas, cum deficiat in sacerdote? Veni, si velis, quia morior, et requirat Deus animam meam de manibus tuis! Quo audito, Gallus intremuit et dixit Gallinæ uxori suæ : Oportet omnino quod exeam ad eum. Cui illa : Domine, nullo modo; multum deceptuosa est, et nescitur ad quem finem tendit. Et Gallus : Tanquam una de stultis mulieribus locuta es? Nonne mihi cura animæ suæ tradita est? Nonne respondebo pro ea? Certe, quicquid evenerit, ego faciam quod incumbit. Et surgens induxit eam in domum ad locum secretum ut audiret ejus confessionem. Videns enim Vulpes sibi competere tempus et locum, Gallum sumens per collum, strangulavit eum et asportavit ad silvam.

Ideo competenter dicitur, Ecclesiastic. [c.] XI, [v. 31] : Non omnem hominem inducas in domum tuam; multæ enim sunt insidiæ dolosi.

LXVIII. — [OVES ET LUPI.]

Alia de eodem.

Lupi cum Pastoribus statuerunt hac conditione concordiam, ut Canes suos, qui fuerant causa jurgiorum, eis redderent et firma foret amicitia. Annuerunt Pastores tradendo Lupis Canes, Ovium suorum (*sic*) custodes. Quos ut Lupi receperunt, statim in patibulis suspenderunt, et sic cum deposita formidine totum gregem pro sua voluntate devoraverunt.

Et ideo dicitur, Ecclesiastic. [c.] XIX, [v. 4] : Qui cito credit, levis est corde et minorabitur; quod hic patet.

LXIX. — [LUPUS, SUS ET PORCELLI.]

Alia de eodem.

Lupus esuriens ivit per silvam, quærens prædam suam, et invenit casu Suem cum porcellis suis, et dixit : Bona domina, multum esurio, da mihi unum de porcellis tuis ad gentaculum. Cui Sus : Amice, concedo quod petis; sed non est adhuc tempus edendi. Audistine hodie missam? Cui ille : Non. Et Sus : Consulo quod facias. Provectæ enim ætatis es et debes aliquid audire de Deo, priusquam comedas. Vocabo enim sacerdotes et clericos, et audies officium, et interim parabitur gentaculum tuum. Et Lupus : Annuo. Sus igitur, ingrediens silvam, incepit clamare more suo, et statim venerunt omnes apri, sues, porci et porcelli ad clamorem ejus, qui fuerunt in silva, et invenientes Lupum, suis morsibus miserrime dilaniaverunt ita, quod, vix vivus evadens, dixit : Non fuit hæc missa, sed miseria. Maledicti sint omnes et clerici et sacerdotes istius congregationis!

Inde est quod dicitur, Ecclesiastic. [c.] XII, [v. 10]; Non credas inimico tuo in æternum. Et Joannes (1) : Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, etc.

LXX. — [LUPUS ET LEPUS.]

De fuga peccati.

Lupus, obvians una die Lepori, (et) dixit ei : Tu es animal modici valoris; es timidum et malencolia plenum. Cui Lepus : Et tu es animal gulosum, rapax et malitiosum. Cui Lupus : Miser, multum es præsumptuosus, qui sic majori et fortiori te maledicis. Et Lepus : Certe, quantumcumque fueris me major et fortior, audeo tecum certare, et vadiabo quod vindicam te. Lupus, hoc audiens, indignatus respondit : Ego annuo. Assi-

(1) Vide Joannis Ep., c. IV, v. 1.

gnatis igitur die et loco certaminis, conveniunt pugnaturi. Lupus, stridens dentibus, insilit in Leporem; Lepus salit ultra eum, et semper, cum Lupus crederet eum capere, Lepus fuit ad caudam Lupi vel a latere, et, cum sic diutius fuisset dimicatum, Lepus, volens Lupum totaliter confundere, arripuit directum cursum per planum, et Lupus eum insequitur, donec, fatigatus et ulterius progredi non valens, cecidit in terram, quasi mortuus, vix an[h]elitum suum trahens. Lepus vero, retrospiciens et videns prostratum terræ, revertitur dicens ei : Redde, miser, quod vadiasti, quoniam devici te. Cui ille : Certe mentiris; quomodo vicisses qui nunquam certamen ex[s]pectasti, sed semper fuisti in fugiendo? Et Lepus : Mea fuga victoria reputanda est, quæ te sic fatigavit et ad terram pro[s]travit; quin etiam, qui te non potui dentibus, devici saltem pedibus.

Sic fugit et vicit Joseph, Genesi [c.] XXXIX, [v. 12]. Unde [Ep. I ad] Corinthios [c.] V[I, v. 18] : Fugite fornicationem etc. Et Augustinus super sententias Prosperi, c. CXXXV : Meliores sunt qui fugiunt Diabolum persequentem, quam qui sequ[u]ntur, cum melius sit eum habere hostem quam principem.

LXXI. — [URSUS ET LUPUS.]

De prælatorum negligentia.

Ursus, iter arripiens ad terram sanctam, dimisit pauculas oves suas Lupo vicino suo custodiendas, donec reverteretur. Lupus recipiens sub juramento quod bonam curam eis adhiberet. Cum autem progressus fuisset Ursus per tres dietas vel quatuor, Lupus, certus et securus de Ursi absentia, una die comedit ovem unam, secunda aliam et sic deinceps. Itaque Ursus in reditu suo non invenit nisi duas vel tres intactas.

Ita est de episcopis absentantibus a suis dyocesibus, quod tradent animas subditorum etiam sub juramento presbiteris custodiendas, qui per ignorantiam vel excogitatam malitiam omnes perdunt vel perire permittunt. De episcopo non resi-

dente dicitur (1) : Responde, quare dereliquisti pauculas oves in deserto etc.? De presbiteris ignaris Ysaias, [c.] LVI, [v. 11]: Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, etc. De malitiosis Jeremias, [c.] XXIII, [v. 1] : Væ pastoribus qui dilaceraverunt gregem, etc.!

LXXII. — [CASEUS, MUS ET CATUS.]

Alia de eodem.

Quidam, habens caseum, posuit eum in cista salvandum. Venit Mus in cistam et corrodit caseum. Ille vero volens vindicari de Mure, emit Catum et posuit in cista. Catus vero devoravit et Murem et caseum.

Sic episcopi ponunt capellanos super parochias, archidiaconos et officiales super capellanos. Capellani devorant parochianos, archidiaconi et officiales, parochianos et capellanos. De quibus dicitur Jeremias, [c.] XII, [v. 10] : Pastores demoliti sunt vineam meam.

LXXIII. — [AQUILA ET PULLI SUI.]

Alia de eodem.

Aquila, habens pullos, erigit capita eorum contra solem, et quos videt irreverberatis oculis intueri solem, eos diligit et nutrit. Quos autem solem intueri non posse conspexerit, eos pro[j]icit extra nidum.

Sic debent episcopi eos, qui oculos semper habent ad Deum, diligere et promovere, eos vero, qui oculos statuunt declinare in terram, de[j]icere et ab omni promotione facere alienos.

EXPLICIT TRACTATUS FABULARUM MORALIUM ÆSOPI.

(1) Vide Regum lib. I, c. XVII, v. 28.

ALEXANDRI NEQUAM

FABULÆ,

DICTÆ

NOVUS ÆSOPUS,

EX GALLICÆ NATIONIS BIBLIOTHECÆ COD. MS. LAT. 8471 EDITÆ.

(Fol. 1 a.) — I. — DE LUPO ET GRUE.

Ingluvie cogente, Lupus dum devorat ossa,
Pars ossis fracti faucibus hæsit ei :
Anxius, orat opem supplex pecudesque ferasque
Insuper, et volucrum postulat auxilium.
Omnes respondent Gruis ossea labra valere
Os, quod inhærebat faucibus, abstrahere.
Hanc Lupus aggreditur, ululansque gemensque precatur,
Ferre valet ne quam sola recuset opem.
Grus præmium poscit; jurat Lupus omne daturum
Quod petet, et testes invocat ille deos.
Grus credit, totumque caput mox ejus in ore
Mergens, inventum detrahit os vacuum.
Ereptus Lupus exultat; Grus præmia poscit;
Fallit eam verbis callidus ambiguis.
Ast ubi Grus cœpit nimis infestare dolosum,
Paucis edocuit se Lupus esse Lupum :
Sufficiat quod ab ore Lupi salvum caput una
Traxeris, et magnum sit tibi vita lucrum.

Crudelem mitis quisquis juvat, hinc doceatur.
Præmia ne speret, damna sed extimeat!

(Fol. 1 *b*.) — II. — DE VESPERTILIONE ET AVIBUS.

Quadrupedes et Aves gererent dum bella furentes,
Et modo Quadrupedes, nunc fugiunt (1) Volucres,
Versutus Vespertilio se mersit utrisque,
Ut, quidquid fieret, tutus utraque foret.
Auribus et magnis (2) se Quadrupedem simulabat;
Credi par alis alitibus poterat.
Hac se fraude tegens inter fera prælia tutus,
Fallebat stolidum cautus utrumque genus.
Ut fraus nota fuit, genus hunc abjecit utrumque,
Et merito placuit ut neütrum neütri.
Ha[n]c re[m] Quadrupedes et Aves dum vespere pulsa[n]t,
Antiquæ fraudis conscius ipse fugit.

Sic qui se fallans (3), nunc his, nunc ingerit illis,
Omnibus ingratus, jure repulsus erit.

III. — DE CULICE ET TAURO.

Ingentem Taurum nimio fervore superbum
Provocat exiguus ad fera bella Culex.
Ergo, die posito, convenit maxima turba,
Ut tam dissimiles conspicerent pugiles.
Venerat horrendus prior ad certamina Taurus,
Impatiens et humum sæpe cavans pedibus.
Hunc procul inde Culex ut vidit adesse paratum,
Talibus irridens corripuit stolidum :
(Fol. 2 *a*) Quod mecum certare paras, jam sit tibi (4) palma;
Jam sum nempe tuo par tibi judicio.
Evolat hi(i)s dictis subito, Taurumque frementem
Ostendit toto ridiculum populo.

Fabula cum minimis vetat hæc contempnere (5) magnos,
Ipsos ne sit eis vincere dedecori.

(1) Melius : *fugerent*. — (2) Sic pro *mammis*. — (3) Lege : *fallax*. — (4) Lege : *mihi*. — (5) In ejusdem codicis indice finali legitur : *contendere*.

IV. — DE OVIBUS ET LUPIS.

Grex Ovium, pugnando, Lupos superasse refertur,
Agmine custodum subveniente Canum.
Ut videre Lupi se vi non posse nocere,
Arte minus cautas aggrediuntur Oves.
Perpetuam pacem promittunt, si datur illis
Obses turba Canum. Conditio placuit;
Auxiliumque suum grex, nescius insidiorum (1),
Hostibus infidis tradere non timuit.
Securi cœpere Lupi, custode carentem,
Post modicum tempus dilaniare gregem.
Sero pœnituit facti pecus insidiantis,
Esset cum nullus qui daret auxilium.

Tradit opem quicumque suam male providus hosti,
Pœna plectendum se timeat simili.

V. — DE CANE ET ASINO.

Latratu blando Canis verberamine (2) caudæ
Alludens Domino subsiliendo suo,
Et pedibus geminis, quasi cingens colla lacertis,
(Fol. 2 *b*) Amplexus quosdam blanditiasque dabat.
Hac causa Dominus lecti mensæque solebat
Fidum participem semper habere Canem.
Arte putans stolidus simili fore gratus, Asellus
Intrantis Domini colla ferit pedibus,
Horrendumque rudens sua crura ferentis in aures
Ceu subito tonitru reddidit at[t]onitum.
Territus, ut mentem potuit revocare paventem,
Ejus utrumque latus tergaque fuste dolat;
Insanumque putans, vinclis (h)oneravit Asellum.
Per tormenta famis et sitis excrucians.

Fabula nostra docet cunctis non cuncta licere,
Et debere modum quemque tenere suum.

(1) Sic pro *insidiarum*. — (2) Lege : *vibramine*.

VI. — DE MURE ET RANA.

Mus timidus, flumen cupiens trans(s)ire
A Rana supplex auxilium petiit.
Illa suam promittit opem, filoque ligavi
Muris iniqua pedem cum pede Rana
Sicque natando trahens miserum per flu
Sese mersit aquis, sicque necavit eu
Insultans misero post hæc et læta co(h)
Dum tutam sub aquis se putat esse s
A Milvo rapitur fluitans Mus, tractaque
Cum socio rapitur pendula Rana suo.

(Fol. 3 *a*) Quisquis credentem sibi proc
Sicut Rana, suo jure perit laqueo,

VII. — DE VULTURE ET AQU

Æger et implumis fractus juvenibus (1
Clam rapuit pullos Vultur edax Aqui
Ejus et in nido jacuit veteranus, ut illu
Pro pullis aleret nescia mater ibi.
Contigit ut voluit sibi, nempe diu latita
Fallax nutricem servus habet domina
Crescentis mirata moras, tristissima nu
Hunc voluit nido pellere sæpe suo.
Obstitit incepto pietas, ignaraque fraud
Naturæ totas imputat illa moras.
Forte die quadam, dum volvit magna
Tempestas, mundum terruit et tonitr
Sub quercu jacuit Jovis armiger, aeris
Donec trans(s)ire[n]t impetus atque
Imbribus ut pulsis rediit lux fervida s
Clamavit, pennas excutiens madidas

(1) Metrum et sensus expostulant : *fractusque seni*

Non est visa mihi tempestas tam violenta,
Ætas sæpe licet sit renovata mea.
Longe majorem vidi, respondet ineptus
Vultur, et, hi(i)s dictis, mox (s)trepidus latuit.
Respondisse ferunt Aquilam : Cum nemo priorem
Ginnere (1) se possit, me prior esse potes!
(Fol. 3 *b*) Exi; responde, quid quæris, inepte, latere,
Cum sis ipse tuo proditus indicio?
Nil respondentem, sed adhuc latitare putantem,
Nido detractum dilaniavit eum.
Tempore qui longo lætatur proditione,
Mortem quam pullis intulit, ille subit.

Vulturis exemplo linguam frenare memento,
Tu quicumque gravis conscius es sceleris.

VIII. — DE LEONE ET ASELLO.

Saltus forte Leo peragrans, comitatus Asello,
Undique diversas vidit adesse feras.
Horrendo clamare sono mox jussit Asello,
Ut subito sic has occupet attonitas.
Ille dedit magnam magno co(g)namine vocem,
Excusso quantam fulmine dat tonitrus.
Exanimi similis stetit omnis turba ferarum,
Nec potuit pugnæ vel meruisse (2) fugæ.
Quod voluit rapuit Leo frendens, et laniavit,
Nec nisi defessus cædibus abstinuit.
Sic tandem vocem compescere jussit Asellum,
Permit[t]ens stupidas fessus abire feras.
Mox Asinus forti credens par esse Leoni :
Quid tibi de nostra voce videtur, ait?
Vox tua, respondit Leo, vere fortibus ipsis,
Si te non noscant, est metuenda nimis.

(1) Lege : *gignere.* — (2) In margine legitur : *vel meminisse.*

(Fol. 4 *a*) Par, tibi confiteor, factus trepitando (*sic*) fuiss
Si non novissem teque tuumque genus.

Increpat hoc stolidum, qui par sapientibus ipsis
Esse putat, sola garrulitate sua.

IX. — DE OVE ET LEONE ET VACCA ET CAPELLA

Cervum ceperunt Ovis et Leo, Vacca, Capella,
Silvas venandi dum peragrant studio;
Protinus atque secant per partes quattuor illum;
In medio ponens, protulit illa Leo :
(Jure sodalicii pars summa datur michi cervi
Et regi dabitur altera jure michi.)
Sumo prior partem, quoniam Leo nuncupor, unam,
Et quia sum fortis, altera jure mea est,
Et quia plus valeo, pars est mihi tertia cervi;
Quartam qui tanget hic meus hostis erit.
Sic solus partes Leo sumpsit quattuor illas,
Ausus nec quartam tangere nullus erat.

Hoc vetat imbelles violentibus associari,
Ne fessi trepidant (*sic*) et nihil accipiant.

X. — DE LUPO ET AGNO.

Potans fonte, Lupus de rivo vidit eodem
Agnum potantem, sicque dolosus ait :
Cur mihi, dum biberem, turbasti, perfide, rivum?
Nec mala fecisti tu semel ista mihi.
Agnus ad hæc : Ab te cum rivus defluat ad me,
Dic, turbare tibi qualiter hunc potui?
(Fol. 4 *b*) Tunc Lupus adjecit : Maledicere non timu
Tu mihi, jam menses præteriere novem.
Agnus ait : Nondum me credo fuisse creatum,
Testari mater ut mea sæpe solet.
Me, Lupus inquit ad hæc, mendacem, perfide, dicis;
Hæc ultra nequeo verba superba pati.

(Sic Lupus ore tonat rursum : Mihi damna minaris.
Non minor, Agnus ait. Cui Lupus : Immo facis.
Fecit idem tuus ante pater, sex mensibus actis,
Cum bene patrizes, crimine patris obi.) (1)
Sic circumventum verbis mendacibus Agnum
Non metuit sævus mox jugulare Lupus.

Hinc discat simplex semper vitare dolosum,
Qui justos damnat innocuosque premit!

XI. — DE STULTO ET MULIS.

Stultus olympiacum certamine vincere cursum
Posse putans, Mulos emit ad hoc geminos;
Larga quibus præbens studiose pabula, promptos
Ad cursum fieri posse putaret (2) eos.
Tempus erat cursus, bigam conscendit et ambos
Mulos subpositis exagitat stimulis;
Sed quo plus properat, hoc plus animalia tardant,
Et quo progenita sint patre pigra probant.
At[t]igerant alii cursores jam prope metam,
Vix hic adhuc Stultus cœperat ire via.
Attollit magnum circumstans turba cachinum
Et Stultum cœno stercorat atque luto.
(Fol. 5 *a*) Ut posset tandem fugiens evadere turbam,
Cædebat Mulos acriter ille suos.
Illorum tunc unus ait : Cur quæ meruisti,
Pessime, nos cogis dura flagella pati?
Cum nos emisti, numquid nos (3), rustice, nosti
Natura pigros nos genitos Asino?

Hoc monet exemplum, ne quis committat agendum
Obscure natis nobilis officium.

(1) Quatuor hi priores versus, qui alioquin in Berol. cod. ms. desunt, e Gualteri fabulis erepti fuerunt, ut verisimile est, non ab. Alex. Nequam, sed a scriba recentiore. — (2) Lege : *putabat*. — (3) Sic pro *non*.

XII. — DE PAVONE ET GRACULO ET AVIBUS.

Pavonum pennis ornatus, Graculus omne
Vil(l)e suum tumidus cœpit habere genus;
Pavonesque sequens, turbæ consanguinearum
Dedignabatur jungere se volucrum.
Pavonum talem pulcherrima turba sodalem
Contempnens, rostris hunc fugat et pedibus.
Ad genus ergo suum dum flens miser ille rediret,
Omnis turba sui rep[p]ulit hunc generis.
Sic parti gratus neutri, sed utraque repulsus,
Contemptum meritis se dolet esse suis.

Hæc docet alterius bona ne sua deputet ullus,
Nunc sua ne perdat et sua non habeat.

XIII. — DE CANE ET UMBRA.

Ore ferens carnem, liquidum dum transmeat amnem,
Umbram prospexit carnis in amne Canis.
Esse putans carnem dum dentibus appetit, illa
Quam tulerat cecidit, umbraque nulla fuit.

(Fol. 5 *b*) Qui sua parva putat, alienaque tolle[re] temptat
More Canis, perdet quod cupit et quod habet.

XIV. — DE LEPORE ET ANCIPITRE ET PASSERE.

Dum moriendo Lepus gemeret, Jovis alite captus,
Sic illum Passer improbus aggreditur :
Cur tibi, stulte Lepus, solita non arte cavebas?
Cur non sollicitus et bene cautus eras?
Est naturalis ubi nunc astutia mira,
Qua venatores despicis (1) atque canes?
Quid vitasse tibi laqueos et retia prodest,
Oraque post morsum præteriisse canum?

(1) Super hoc verbum scriba scripsit : *vel decipis*.

Quid prodest cursu volucres æquasse, pudendum! (*sic*),
Et saltu timidos quos peragras socios?
Quid tibi retrogradi cursus saltusque citati?
Quid saltu sepes trans(s)iluisse juvat?
Artes, stulte Lepus, quid prosunt mille cavendi?
Quam male cavisti nunc miser ipse tibi!
Nullus amicorum debet te flere, parentum;
Stultitia moreris desidiaque tua.
Talia dicentem rapuit mox Nisus eundum (1),
Et correptorem corripuit stolidum.
Passeris ad gemitus, oculos jam deficientes
Protinus attollens, ret[t]ulit ista Lepus :
Lætor in extremis, quod, qui modo non timuisti
Insultare mihi, morte peris simili.

(Fol. 6 *a*) Hæc res ficta monet, misero ne deroget ullus,
Ne subito tandem (2) perpatiatur idem.

XV. — DE CANE ET OVE.

Ac[c]usabat Ovem Canis olim, quod sibi panem
Reddere nolebat quem sibi præstiterat.
Illa negat : judex testes petit. Hæc Lupus inquit :
Vidi quod panem præstitit iste tibi.
Milvus et Ancipiter eadem sunt testificati;
Reddere sic panem cogitur illa Cani,
Et, quia non habuit quo posset reddere panem,
Pro pretio lanam vendidit illa suam.

Sic tutore carens vir simplex, fraude coactus,
Hoc, quod non habuit, reddere sæpe solet.

XVI. — DE SERPENTE ET LIMA.

Rexerat (3) in fabricam Serpens, Limaque reperta,
Esse putans escam, rodere cœpit eam.

(1) Lege : *eumdem*. — (2) Super hoc verbum scriba scripsit : *dampnum*. — (3) Eadem manus super hoc verbum scripsit : *Perrexerat ;* sed lege : *Repserat*.

Risit Lima, rogat Serpens cur riserat; inquit :
  Miror; stultitiam rideo jure tuam.
Ipsum perdurum mos est mihi rodere ferrum,
  Et si quid ferro durius esse potest.
Tu me rodentem, stultissima, rodere tentas :
  Aspice, jam rubeo sanguine tincta tuo.

Mordacem prohibet morderi fabula nostra,
  Ne fessus nimiam reddat et ille vicem.
Hinc discant homines ne lædant se potiores,
  Ne mage lædantur, lædere dum cupiunt.

XVII. — DE LATRONE ET VICINIS.

(Fol. 6 *b*) Uxorem quidam Latro ducebat, et ejus
  Vicini lætis intererant epulis.
Vicinos sapiens lætos cum cerneret omnes,
  Talia stultorum plausibus opposuit :
Solem fama fuit uxorem ducere velle;
  Omnis turbatus inde fuit populus;
Nec timuere Jovi convicia dicere multi.
  Jupiter inquirit cur doleat populus.
Respondent homines : Cum solus cuncta calore
  Sol angat, natos si creet hic, quid erit?

Ista docent fugienda bonis a[u]gmenta malorum :
  Et quid agent plures, si nimis unus obest?

XVIII. — DE RUSTICO ET PROGNE.

Severat in campo linum vir Rusticus; ergo
  Solers Progne videns rettulit hoc Avibus,
Et monet evelli nocituraque semina lini.
  Contempsere leves consilium Volucres.
Nata seges fuerat; rursus persuadet Hirundo
  Evelli segetem pennigeris nocuam,
Ne, de maturo facientes retia lino,
  Fallaces homines dicipiant (*sic*) Volucres.

Incaute referuntur Aves risi(si)sse, nec ullam
Curam venturis opposuisse malis.
Retia Progne timens Volucrum consortia fugit,
Humanasque domos absque timore colit.
Ejus consilium quia despexere salubre,
Retibus incautæ decipiuntur Aves.

(Fol. 7 *a*) Sic mala qui nolunt sibi præmonstrata cavere,
Quando superveniunt, sero cavere volunt.

XIX. — DE MUSCA ET CALVO.

Musca caput Calvi studio turbaverat acri;
Cui cedens Calvus sæpe fugarat eam.
Musca levis ridens tanto magis hunc stimulabat,
Cædebat mutilum quo magis ille caput.
Calvus ait : Rides, et quia (1) me cædere cogis;
Multotiens cædam quo semel intereas.
Dixit, et instantem violento percutit ictu;
Attri(c)ta sanie sordida Musca fuit.

Hinc minimus discat non infestare potentem,
Qui punit subito quod tulit ille (2) diu.

XX. — DE LEONE ET PASTORE.

Calcata Leo sti[r]pe pedem sibi læserat unum;
Pastoris supplex auxilium petiit.
Horrendum cernens Pastor feritate Leonem,
Adventante, timet et pecudes obicit.
Sed Leo non curat, gestu vultuque benigno
Blande pro verbis anxius orat opem,
Extensumque pedem læsum docet esse gemendo.
Rem noscens, aperit ulcera Pastor acu,
Sti[r]peque detracta, saniem cum sti[r]pe repellit.
Gaudens optatam mox Leo sensit opem,

(1) Pro *et quia*, lege : *quia tu*. — (2) Melius : *ipse*.

Pastorisque manus, quasi traderet oscula, lingens,
  Grates non cessat reddere quas poterat.
(Fol. 7 *b*) Inde redit sanus. Longo post tempore, captus
  Ad Theatri ludos venditur ipse Leo.
Pastor erat per tempus idem pro crimine captus;
  Damnatus theatri venditur (1) ille feris.
Accurrens Leo novit eum, gressumque repressit
  Et blandum multis se docet esse modis;
Assidet huic, lingitque manus, miranteque turba,
  Defendit reliquas inde fugando feras.
Admirans, causam plebs ab Pastore requirit;
  Quærenti Pastor ordine cuncta refert.
Confestim plebis pietas dimisit utrumque;
  Gratia sic factis redditur obsequiis (2).

Hoc collatorum memores nos esse bonorum
  Admonet et læta mente referre vicem.

XXI. — DE ASINO ET LUPO.

In campo solus dum forte jaceret Asellus,
  Astitit huic, veluti compatiendo, Lupus,
Et leviter digitis pertractans membra jacentis,
  Corporis inquirit quæ mage pars doleat.
Hosti fallaci dixisse refertur Asellus :
  Pars quam tu tangis plus dolet illa mihi.

Vir sic infidus, fit quislibet officiosus,
  Cum facit ipse bonum, creditur esse malum.

XXII. — DE LUPO ET BUBULCO.

Cum venatores fugeret Lupus atque molos[s]os,
  Et fessus densas jam peteret latebras,
Obvius invisus fuit illi forte Bubulcus,
  Quem supplex verbis talibus alloquitur :

(1) Sic pro *traditur*. — (2) Infra istum versum hæc varia lectio legitur : *Gratia sic fortis reddita justa fuit.*

(Fol. 8 *a*) Immeritam, fateor, veniam compellor ab hoste
  Quærere; mos tamen est parcere supplicibus.
Rem te perfacilem supplex rogo; ne latitantem
  Me vivum prodeas, sed modo tu taceas.
Esto, publicus (1) ait, tutus, celabo latentem,
  Nec tibi quam potero ferre pigebit opem.
Finierat : venator adest, rogitatque Bubulcum
  Quam partem peteret (2) quam petit ipse Lupus.
Lævam respondens, oculis nutuque Bubulcus
  Ad dextram fallax innuit esse Lupum.
Venator properans oculorum non bene nutus
  Sensit, sed lævam cum canibus petiit.
Mox quasi congaudens fertur dixisse Bubulcus :
  Nunc, Lupe, scire potes quam bona nostra fides.
Grates jure tuæ, Lupus inquit, reddere linguæ
  Debeo; luminibus sed mala multa precor.

Hæc duplicem tangit, qui, cum mala prodere verbis
  Non audet, nutu significare solet.

XXIII. — DE VULPE ET AQUILA.

In nidum Vulpis catulos Jovis armiger olim
  Sustulit, ut pullos pasceret inde suos.
Flens Aquilam sequitur Vulpis, reddique precatur :
  Omnibus ista negat, omnibus illa modis.
Nil precibus faciens, solitas decurrit ad artes
  Et nido stipulam lignaque supposuit.
Addidit his ignem; flammis fumoque coegit,
  Cauta, sibi reddi quod prece non potuit.

(Fol. 8 *b*) Sic sua vir repetat vel vi vel qualibet arte,
  Cum nequeunt humiles pondus habere preces!

(1) Sic pro *Bubulcus*. — (2) Melius : *Ut partem ostendat*.

XXIV. — DE LEONE ET EQUO.

Pascentem Leo vidit Equum, quem fallere temptans
Aggreditur blande, se simulans medicum.
Sensit Equus fraudem; mox dissimulando timorem
Oblitusque sui graminis, inquit Equus :
Gratulor ecce nimis te semper adesse, mederi
Læso sti[r]pe meo quem puto posse pedi.
Accedens Leo spondet opem : palpare nolentem (1).
Calce ferit gemino mox caput ejus Equus.
Ille cadit; deridet Equus, tandemque recedens :
Nunc, inquit, medice, quod medicaris habes.
Ut stupor abscessit, dixit Leo : Contigit istud
Jure michi, factus qui fueram medicus,
Nolueramque mea feritate cum (2) viribus uti;
Ecce dolo pereo jure dolosus ego.

Nobilis ad turpes verti quem non pudet artes,
Formidet turpi se quoque fraude capi!

XXV. — DE NISO ET COLUMBIS.

Crudelem blandæ Nisum fugiendo Columbæ,
Accipitrem dominum constituere suum.
Ille velut judex, prætenso crimine cuique,
Perfidus innocuas dilaniabat aves.
Una dolum noscens : Minus, inquit, noxius hostis
Ille fuit primus quam novus hic dominus.
Hostis apertus erat nobis prior ille, fugaque
Vitari tardus præceleri poterat.
(Fol. 9 *a*) Cogit justitiæ nos iste perire sub umbra,
Nec licet abscondi, nec licet effugere.
Hæc merito patimur, quia nos commisimus illi,
Cujus semper ali sanguine vita solet.

(1) Lege : *volentis* et dele punctum. — (2) Lege : *et*.

Ista jocosa monent homines ne, dum mala vitant,
Non provisa satis pessima sponte petant.

XXVI. — DE EQUO ET HOMINE.

Fortis Equus Cervum nimis oderat, et tamen illum
Cornibus armatum vincere non poterat.
Venatoris opem tandem petit et sibi Cervum
Præpinguem blande sug[g]erit ut capiat,
Et jubet ipse sibi frenum sellamque parari,
Et de prædictis quid fieret docuit.
Dicta placent; Vir scandit Equum, Cervumque fugacem
Per sata, per campos, per nemus insequitur,
Et tamen evasit velox sine vulnere Cervus,
Ut qui non aliquo pondere pressus erat.
Jam(que) sudore fluens, defessus et il(l)ia ducens,
Vix Hominis pondus ferre valebat Equus.
Ergo gemens Hominem descendere sæpe precatur,
Ut liber solito vivere more queat.
Ille refert : Te sponte tua michi subposuisti,
Exhinc ut domino subditus esto mihi!
Ora reluctantis torquebant (1) frena; flagellis
Nolentem cogam te mea jussa sequi.

Quisquis vindictam nimiam capit, audiat ista,
Ne, dum vult hostem perdere, se perimat!

XXVII. — DE CORVO ET VULPE.

(Fol. 9 *b*) Excelsa lætus residebat in arbore Corvus,
Caseolum raptum mordicus ille ferens.
Præteriens, illum suspexit callida Vulpis;
Fallere quem cupiens talibus alloquitur :
Si Natura potens in avem me vertere vellet,
Corvum præcipue me cuperem facere.

(1) Sic pro *torquebunt*.

Nunquam vivit avis similis tibi, Corve decore,
Aut par ingenio non valet esse tuo.
Si tibi nunc solito modicum vox clarior esset,
Nulla tuis volucris laudibus obstreperet.
Corvus, adulanti credens, dum temptat aperto
Ore suo vocem reddere clarisono,
Caseolus cecidit, quem tollens callida Vulpis
Inquit : Prodesset plus tacuisse tibi.

Hæc reticere monent stultum, ne forte loquendo
Secretum prodat quod reticens tacuit.

XXVIII. — DE DUABUS CANIBUS.

Præstari sibi quæsivit Canis ab Cane tectum,
In quo fœta suos contegeret catulos.
Præstitit illa libens; peperit Canis; illa revertens
Illam (1) de lecto jussit abire suo.
Illa (2) rogat patiatur adhuc se tempore pauco,
Donec cum catulis possit abire suis.
Hoc quoque concessit; rediens post tempora pauca
Reddere nolentem cogere cœpit eam.
(Fol. 10 *a*) Indignans ait illa (3) : Potes si sola meorum
Turbam natorum pellere meque nido.

Hinc homines discant ingratis ne sua præstent,
Qui blande capiunt præstita vique tenent.

XXIX. — DE FORMICA ET CICADA.

Formicam bruma narratur adisse Cicada,
Ut sibi frumenti paucula grana daret.
Illa refert : Cur non sudando, tempore messis,
Non (4) tibi quæsisti quæ modo grana petis?
Respondens : Cantans per amœna vireta vagabar;
Cantandi requies non erat ulla michi.

(1) Lege : *istam*. — (2) Lege : *Ista*. — (3) Lege : *ista*. — (4) Lege : *Hæc*.

Hinc Formica refert : Cantasti tunc, modo salta;
Nam sine te comedam parta labore meo.

Admonet hæc pigros æstate vacare lobori (*sic*),
Ne mendicantes frigore nil capiant.

XXX. — DE GREGE ET LANISTA.

De Grege paulatim majorem quemque Lanista
Cornibus ablato dilaniabat eo.
Hic me non tangit, dicebat quisque relictus.
Sic nullus socio ferre volebat opem.
Unus jam solus restabat de Grege toto;
Hic quoque mactandus dum traheretur, ait :
Jure Gregem totum laniasti, sæve Lanista;
Ad mortem merito nunc quoque ducor ego :
Nam dum de medio Gregis unumquemque trahebas,
Si te quisque suis cornibus appeteret,
Salvus Grex, et ego nunc essem, tuque perisses;
(Fol. 10 *b*) Hæc quia non (1) tulimus, jure caremus ope.

A[d]monet hæc propriis vicini occurrere dampnis,
Tutus ut alterius fiat et alter ope.

XXXI. — DE VERACE ET FALLACE.

Verax et fallax simul advenisse feruntur
In quorum terra Simia rector erat.
Ad se deduci rex jussit protinus illos,
Fallacemque prius taliter alloquitur :
Quid tibi sit visum de me turbaque meorum,
Vivere si curas, nunc citius referas!
Te regem magnum, dixit, fortemque superbum
Confiteor; fortes hos quoque dico duces.
Par tibi rex mundo non est mihi visus in isto
Forma, divitiis, principibus, famulis.

(1) Melius : *nos*.

Rex illi tribuit gaudens ingentia dona,
  Et congaudentes multa dedere duces.
Protinus inquirunt alium sibi quid videatur,
  Dicat utrum socio sentiat æqua suo.
Ille, videns socium pro falsis multa lucratum,
  Credit plura sibi vera loquendo dari.
Rex, inquit, vester non est nisi Simia turpis;
  Nec vos esse feras, sed fera monstra puto.
Hi(i)s dictis, commota fuit fera turba ferarum :
  Unguibus et morsu mox laniavit eum.

(Fol. 11 *a*) Ista docent veros non semper vera referre,
  Et prodesse probant tempore falsa suo.

XXXII. — DE EQUO FORTI ET ASELLO.

Fortis Equus misero currens occurrit Asello;
  Despexit renitens, aurea frena gerens.
Pressus fasce via miserandus Asellus in ar[c]ta,
  Non potuit subito cedere lentus Equo.
Indignatur Equus : Michi nunc vix impero, dixit,
  Quin te percutiam vel pedibus cruciam (1).
Nonne vides, animal servum natumque labori,
  Ornamenta nitent quam pretiosa michi!
Qui dedit hoc sensit quanto sim dignus honore,
  Quantaque sit meritis gloria danda meis.
Me reveretur homo, dominator totius orbis,
  Et tu, serve, mihi cedere turpe putas!
Ut me vidisti, cur non mox procubuisti
  Ut per te posset trans(s)itus esse michi?
Ad præsens parcam; graviter torquebere, nequam,
  Impedias ultra si mihi forte viam.
Respondere tremens illi non ausus, Asellus
  Victores (2) magnos orat adesse Deos.

(1) Lege : *cruciem*. — (2) Melius : *Ultores*.

Post modicum tempus, currendo debilitatus,
Vilia portabat stercora vilis Equus;
Quem cernens Asinus : Ubi sunt nunc aurea, dixit,
Ornamenta quibus nuper eras tumidus?
(Fol. 11 *b*) Quid tibi ponpa (*sic*) brevis, quid gloria tam fugitiva
Prodest, cum servus factus es ecce michi?

Audiat ista potens et discat ferre minores,
Et celsus casum pertimeat subitum!

XXXIII. — DE CERVO ET CORNIBUS EJUS.

Miratus liquidam sua cornua vidit in undam
Cervus; non modica laude probabat ea;
Sed sua culpabat nimium subtilia crura,
Esse putans oneri non satis apta suo.
Dum facit hæc, venator adest, acresque molos[s]os
Evasit Cervus per loca plana fuga.
Ut nemus intravit, mox ramis cornibus hæsit;
Sicque miser captus, dum moreretur, ait :
Qui (1) me juverunt, michi crura nocere putabam;
Cornua laudabam quæ nocuere michi.

Sic quæ nos perdunt vitiorum monstra probamus,
Et bona virtutum maxima despicimus.

XXXIV. — DE RANIS ET LEPORIBUS.

Turbati fremitu venatorumque canumque,
Confugere leves ad fluvium Lepores,
Ut se de[j]icerent et præcipitando laterent (2),
Sæpe timor timidos ne cruciaret eos.
Horum lit[t]oreæ metuentes agmina Ranæ
Omnes in fluvium desiluere suum.
Tunc unus Leporum fertur : Timemur,
Nec quoque nos solos nunc metus exagitat.

(1) Lege : *Quæ*. — (2) Supra hoc verbum scriba scripsit : *vel necarent*.

(Fol. 12 *a*) Ut nos majores, sic nos metuere min
Proque necaturis se saliendo necant.
Ergo revertamur, communia perpatiamur;
Nam persæpe solent aspera læta sequi (1).
Non metus hic anget nos semper; credo, ridebit
Tranquillum tempus, lætitiæque dies.

Hoc monet adversis rebus ne deficiamus;
Nam persæpe solent aspera læta sequi.

XXXV. — DE MONTE PRÆGNANTE ET PARTURIENTE M

Cum gemitu magno Mons prægnans parturiebat,
Mugitu magnum exuberans tonitrum.
Vicinos omnes timor ingens excruciabat;
Auxilii nullus consiliive locus.
Dicebant : Terram cum Mons hic occupet istam,
Quid faciet partus illius immodicus?
Illius subito cumulus nos obruet ingens,
Membraque non minimo pondere nostra teret.
Murem post multas peperit Mons ille querelas;
In risum versus sic fuit ille metus.

Dicitur elatis istud qui maxima jactant,
Cum se facturos vix modicum faciunt.

XXXVI. — DE CAMELO ET PULICE.

Insiliens Pulex prostrati terga Cameli,
Credidit augeri non leve pondus ei;
Insultansque gravi nimium levis illa (*sic*) Camelo
Magna videbatur res, prope nulla, sibi.

Fasce gravi te, nunc parcendo, Camele, levavi.
  Ille refert : Grates hinc ego reddo tibi;
Sed neque te gestans gravius sensi mihi pondus,
  Nec, te deposito, sentio quid levius.

Perpendat dici sibi parvus inutilis ista,
  Nec putet eximios lædere posse viros!

XXXVII. — DE VENTRE ET MEMBRIS.

Invidiæ quondam nimio stimulata furore,
  Nolebant Ventrem pascere Membra suum.
Dicebant : Nos te gerimus blandeque fovemus,
  Ungimus, abluimus, ut dominum colimus,
Atque voranda damus nostro quæsita labore,
  Quæ mare, quæ tellus, quæ levis aer habet.
Mane satur, mediaque die persæpe repletus,
  Vespere tantumdem poscis habere tibi.
Quis tantæ conferre gulæ tot tantaque posset
  Fercula? Tu recipis omnia, nilque facis.
Jam servire pudet tibi nos tam desidioso;
  Escas ipse tibi quære labore tuo.
Venter ad hæc : Sicut dominum me nolo colatis;
  Sed sicut fidum pascite me famulum.
Quod confert dominis coquus, hoc ego confero vobis,
  Tradita qui vobis reddere cocta queam.
(Fol. 13 *a*) Vos quoniam vestrosque oculos offendere vito,
  Semper in occulto fercula vestra paro.
Quidquid confertis michi, me retinere putatis,
  Et deses videor officiosus ego.
Ergo meum jecorisque mei narrabo laborem,
  Ut quam sim vobis utilis edoceam.
Imprimis omnemque cibum potumque receptum
  Decoco (*sic*); succus fit lacteus ille prius.
Illius modica tantum pinguedine pascor,
  Dans intestinis omne quod est reliquum.

Per quasdam venas jecur ad se mox trahit omne,
Quod mage sincerum pingueque succus habet.
Hunc in sanguineum vertens recreando (1) calorem,
Vestram cuique suam confero particulam.
Unaquaque die, tali sudando labore,
Vobis cuncta damus, permodicum capimus;
Horum ni fuerint jecur intestinaque testes,
Protinus ut furti torquear ipse reus.
Plurima nostrorum modo præteriendo (2) laborum
Quæ vobis alio tempore discutiam,
Nec dicam morbos vi(n)ginti quinque dolorum,
Qui me, dum capio, plusve minusve trahunt.
Pro cunctis istis reddatur gratia nobis
Pristina; quam vobis confero detis opem.
Verba sui Ventris spreverunt Membra precantis,
Tradere consuetos nec voluere cibos.
(Fol. 13 *b*) Post paucos cœpere dies languescere Membra
Et naturalem perdere vim propriam.
Percepta causa, tandem livore remoto,
Ventris mox solitas Membra dedere cibos;
Quo confortato, proprium sensere vigorem,
Omnia cum domino lætificata suo.

Sic qui contempnit dantem sibi commoda vitæ,
A[d]monitu dampni rursus obedit ei.

XXXVIII. — DE PICA ET CAUDA SUA.

Pica levis quotiens pressis consederat alis,
Flectebat caudam gesticulando suam :
Cum patria turpem credens se linquere morem,
Frustra non modicum trans(s)iit illa fretum :
Jam (3) mox cum ripa consedit in ulteriore,
Vibravit caudam more priore suam.

(1) In margine eadem manu scriptum est : *vel recoquendo.* — (2) Lege : *prætermitto.* — (3) Lege : *Nam.*

Cum patria mores, inquit, mutare putabam,
Sed michi nunc vitium trans mare restat idem.

Sic, loca non animum mutans, componere mores
Qui putat, incassum transfretat ille fretum.

XXXIX. — DE LUPO ET CANE.

Pingui forte Cani factus Lupus obvius inquit :
Frater tam pinguis, dic, precor, unde venis?
De domini quam servo domo, Canis, exeo, dixit;
In qua non paucis affluo deliciis.
Nil facio, nisi quod fures fugo nocte latratu,
Et moneo dominum voce cavere sibi.
Hac causa, variis illic pinguissimus escis
Impleor, et grata sæpe quiete fruor.
(Fol. 14 *a*) Censeo te nimium, Lupus inquit, amice, beatum,
Qui tantis frueris absque labore bonis;
Sed cur nescio qua tibi sunt astricta cat(h)ena
Colla; precor, referas! Ret[t]ulit ista Canis :
Luce ligor, quia non notis sum sæpe molestus,
Cum vereor ne quid surripiant domino.
Res nimis ista michi, Lupus inquit, dura videtur,
Ut, ventris causa, vincula dura feras.
Sis satur et pinguis, servus vinctusque cat(h)enis;
Sim macer et vacuus, dummodo liber eam!

Quisquis dura pati vult, causa ventris avari,
A nobis dici sentiat ista sibi!

XL. — DE PHILOMENA ET PAVONE.

Mœsta querebatur volucris Junonia voce,
Parvula vincebat quod Philomena suam.
Juno suæ volucris cupiens lenire querelas,
Formam laudabat illius eximiam.

Dicebat vario pennas fulgore nitentes,
  Præcipuis gemmis sideribusque pares.
Illa refert : Tantæ quid prosunt munera formæ,
  Cum vincar modulis permodicæ volucris?
Respondit Juno : Naturæ provida virtus
  Nulli vult vitæ commoda cuncta dare.
(Fol. 14 *b*) Illa tibi formam tribuit variumque colorem,
  Qua (*sic*) superas omnes quas habet orbis aves.
Hæc vires aquilæ magnas dedit ancipitrique,
  Et dedit ut corvus voce futura canat;
Dat gallo cantu distringere tempora noctis;
  Luciferum progne voce notare docet,
Et modulos modicæ dulces dedit hæc philomenæ,
  Ne nichil hæc habeat unde placere queat.
Cuique dedit Natura suum doctissima morem
  Quo placet, et nichil est utilitate carens.
Pauca dedit reliquis, tibi maxima pluraque dona
  Contulit : unde, precor, sint satis ista tibi!

Torqueri nos ista bonis prohibent alienis,
  Et bona sufficiant ut sua cuique monent.

XLI. — DE LEONE ET MURE.

Silvæ secretis quondam narratur in antris
  Depressus somno forte cubasse Leo :
Hunc circa Mures venientes undique plures
  Non formidabant cursibus obstrepere.
Tandem lascivus super illum trans(s)ilit unus,
  Et vigilans sævus mox Leo sensit eum,
Extendensque pedem, miserum rapuit pede Murem.
  Ille gemens tali voce rogat veniam :
(Fol. 15 *a*) Parce, precor, misero, fortissime; non ego tantis
  Præda tuis videor viribus apta rapi.
Ingentes tauros, ursos quoque sternere sævos
  Te decet et reliquas cum feritate feras.

In se turpe putet virtus tua perdere Murem!
  In me tanta tuum (1) non habet ira locum.
Flenti (2) vel sola permit[t]as te pietate,
  Qui cunctas superas nobilitate feras.
Vindictæ satis esse potest sub judice tanto,
  Quod me morte metus durior excruciat.
Supplicibus verbis flexus lacrimisque rogantis,
  Nobilis optatam mox Leo dat veniam.
Post modicum silvas Leo dum lustraret easdem,
  Clam sibi dispositum decidit in laqueum;
Quem cum non posset nec vi superare nec arte,
  Rugitu cœpit non modico furere.
Insultant capto pecudesque feræque Leoni,
  Solus ob acceptam Mus doluit veniam.
Protinus accurrens : Vitam mihi quam tribuisti,
  Parvus, ait, reddam nunc, Leo magne, tibi.
Dixerat, et, solito corrodens vincula more,
  Solvit eum, justam retribuendo vicem.

(Fol. 15 *b*) Qui legit ista potens, minimis quoque parcere discat
  Cum magnum minimus sæpe juvare queat!

XLII. — DE CAPELLA ET LUPO.

Forte suum pastum dum vellet adire Capella,
  Fertur sic Hædum præmonuisse suum :
Insidias, dum vado, Lupi, rogo, nate, caveto,
  Quia varia nostrum decipit arte genus.
Quidquid agat, quidquid dicat, sibi credere noli,
  Nec stabulum reseres qualibet arte sibi.
Dixit et abcessit; Lupus affuit, et, simulando
  Voce Capram, fallax talia verba dedit :
Mater adest; aperi stabulum, carissime fili;
  Nam secreta volo dicere pauca tibi.

(1) Lege : *suum*. — (2) Melius : *Flecti*.

Materni sed consilii non immemor Hædus,
Spectans per rimas comperit insidias.
Sub specie matris, inquit, me, perfide, quæris
Perdere; curtatum non habet illa capud.

Consiliis nos ista monent parere parentum,
Qui nostræ causas utilitatis habent.

FINIS.

INDEX

PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI ET VETERUM EJUS IMITATORUM TAM DIRECTORUM QUAM INDIRECTORUM FABULÆ LATINÆ.

PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI FABULÆ VETERES ET NOVÆ.

PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI FABULARUM LIBRI V.

APPENDIX.

CODICUM QUINQUE MANUSCRIPTORUM SCRIPTURÆ SPECIMINA.

CODICUM QUINQUE MANUSCRIPTORUM DISSIMILES LECTIONES.

PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI VETERUM IMITATORUM DIRECTORUM FABULÆ.

FABULÆ ANTIQUÆ, ETC.

PHÆDRIANÆ FABULÆ, ETC.

ROMULI FABULARUM LIBRI IV, ETC.

PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI VETERUM IMITATORUM INDIRECTORUM FABULÆ TAM PROSAICÆ QUAM RHYTHMICÆ

PARS PRIMA. FABULÆ TAM PROSAÏCÆ QUAM RHYTHMICÆ EX PRISCIS ROMULI FABULIS DUNTAXAT ORTÆ.

ROMULEÆ FABULÆ,

A VINCENTIO BELLOVACENSI, ETC.

ROMULEÆ FABULÆ,

EX VINDOBONÆ CODICIBUS, ETC.

I. — VINDOBONÆ CODEX LATINUS 303.

II. — VINDOBONÆ CODEX LATINUS 901.

III. — BEROLINI CODEX LATINUS OCT. 87.

ROMULI NILANTII FABULÆ, ETC.

ROMULEÆ FABULÆ,

EX OXONIENSIS COLLEGII CORPORIS CHRISTI MS. CODICE LXXXVI, ETC.

ROMULEÆ FABULÆ,

EX ARCTOPOLITANO CODICE, ETC.

GUALTERI ANGLICI ROMULEÆ FABULÆ, ETC.

ROMULEÆ FABULÆ

EX SOLUTA ORATIONE IN RHYTHMICUM SERMONEM, ETC.

PARS SECUNDA. FABULÆ TAM PROSAÏCÆ QUAM RHYTHMICÆ, EX PRISCIS ROMULI FABULIS SIMUL ATQUE ALIIS ORTÆ.

FABULÆ DICTÆ ROMULUS MARIÆ GALLICÆ, ETC.

FABULARUM

EX MARIÆ GALLICÆ ROMULO ET ALIIS, ETC.

APPENDIX.

FABULA

EX MARIÆ GALLICÆ ROMULO EXORTA, ETC.

ODONIS DE CERITONA FABULÆ, ETC.

ODONIS DE CERITONA FABULIS PRIOR ADDITIO, ETC.

ODONIS DE CERITONA FABULIS POSTERIOR ADDITIO, ETC.

ROMULI MONACENSIS FABULÆ, ETC.

ANONYMI FABULÆ, ETC.

JOHANNIS DE SCHEPEYA FABULÆ, ETC.

ALEXANDRI NEQUAM FABULÆ, ETC.

FINIS INDICIS.

ERRATA.

Pag. 121, lin. 18, *pro :* (4) pereunt *lege :* pereunt (4).
Pag. 131, lin. 18, *post :* LUPUS *virgula delenda est.*
Pag. 144, lin. 22, *pro :* [LXV. — PAUPER ET SERPENS.] *lege :* LXV. — [PAUPER ET SERPENS.]
Pag. 146, not. 1, lin. 8, *pro :* Gnelferbytani, *lege :* Guelferbytani.
Pag. 149, lin. 21, *pro :* œstu *lege :* æstu, et lin. 23, *pro :* fabulam *lege :* fabula*m*.
Pag. 152, lin. 15, *pro :* AESOPI *lege :* ÆSOPI.
Pag. 153, lin. 21, *signum* (1) *transferendum est post :* idem baculam.
Pag. 159, lin. 23, *pro :* [II. — LEO ET EQUUS.] *lege :* II. — [LEO ET EQUUS.]
Pag. 160, lin. 8, *pro :* [III.— EQUUS ET ASINUS.] *lege :* III.— [EQUUS ET ASINUS.] et lin. 29, *pro :* [IV.— LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.] *lege :* IV. — [LUSCINIA, ACCIPITER ET AUCEPS.]
Pag. 161, lin. 27, *pro :* llia*m* *lege :* illa*m*.
Pag. 166, lin. 25, *pro :* lib. III *lege :* lib. IV.
Pag. 171, lin. 21, *pro :* [I.— CANIS SENEX ET DOMINUS.] *lege :* I.— [CANIS SENEX ET DOMINUS.]
Pag. 173, lin. 1, *pro :* VI *lege :* IV.
Pag. 175, lin. 27, *pro :* querelas *lege :* quærelas.
Pag. 176, lin. 7, *pro :* ESOPI *lege :* ÆSOPI, lin. 8, *pro :* Esopus *lege :* Æsopus, et not. 1, lin. 6, *post verbum* quem *dele virgulam.*
Pag. 195, lin. 5, *pro :* CALVUS *lege :* CERVUS.
Pag. 200, lin. 16, *pro :* ESOPI *lege :* ÆSOPI.
Pag. 217, lin. 7, *pro :* MURE *lege :* MURES.
Pag. 219, lin. 5, *pro :* promis *lege :* pomis.
Pag. 227, lin. 21, *pro :* MUSCA *lege :* CICADA.
Pag. 243, lin. 10, *ante :* CONTRA *lege :* ITEM.
Pag. 296, lin. 6, *pro :* CORVO *lege :* CERVO.
Pag. 327, lin. 18, *pro :* pæna *lege :* pœna.
Pag. 431, lin. 4, *pro :* uper *lege :* super.
Pag. 616, lin. 21, *post :* EUM *adde :* (*sic*).
Pag. 620, lin. 1, *pro :* SIMILITANTE *lege :* SIMILANTE.
Pag. 626, lin. 3, *pro :* vicino *lege :* vicina.

Paris. — Typographie de Firmin-Didot et Cie, 56, rue Jacob. — 13891.

PARIS

TYPOGRAPHIE DE FIRMIN-DIDOT ET Cie

56, RUE JACOB, 56



